INSTITUTIONES
THEOLOGICÆ

AD USUM SEMINARIORUM

EDITIO DECIMA QUINTA

JUXTA DOCTRINAM S. THOMÆ, S. ALPH. DE LIGORIO
AC LITTERAS APOSTOLICAS B. P. N. LEONIS PP. XIII

EXARATA AC RECOGNITA

APPROBANTIBUS

Ill. ac Rev. DD. AUGUSTINO FORCADE, Archiepiscopo Aquensi,
Ill. ac Rev. DD. ERNESTO BOURRET, Episcopo Ruthenensi.

AUCTORE A. BONAL
SOCIETATIS S. SULPITII PRESBYTERO

TOMUS SECUNDUS

DE FIDE, DE DEO, DE SS. TRINITATE, DE ANGELIS,
DE INCARNATIONE

APUD DOULADOURE-PRIVAT
EDITORES
TOLOSÆ
[illegible], via Saint-Rome, 39

APUD DELHOMME & BRIGUET
PARISIIS
13, via de l'Abbaye, 13
LUGDUNI
3, via de l'Archevêché, 3

1884

INSTITUTIONES

THEOLOGICÆ

AD USUM SEMINARIORUM

INSTITUTIONES THEOLOGICÆ

AD USUM SEMINARIORUM

EDITIO DECIMA QUINTA

JUXTA DOCTRINAM S. THOMÆ ET S. ALPH. DE LIGORIO, AC LITTERAS APOSTOLICAS SS. LEONIS XIII EXARATA AUT RECOGNITA

APPROBANTIBUS

Ill. ac. Rev. DD. AUGUSTINO FORCADE, Archiepiscopo Aquensi,
Ill. ac. Rev. DD. ERNESTO BOURRET, Episcopo Ruthenensi.

AUCTORE A. BONAL

SOCIETATIS S. SULPITII PRESBYTERO

TOMUS SECUNDUS

DE FIDE, DE DEO, DE SS. TRINITATE, DE ANGELIS, DE INCARNATIONE

TOLOSÆ

APUD DOULADOURE-PRIVAT, EDITORES BIBLIOPOLAS

VIA SAINT-ROME, 39.

1884



VIRGINI

IMMACULATÆ

TRACTATUS

DE FIDE

OBJECTUM, UTILITAS ET DIVISIO TRACTATUS

1. — Tria facta stabilita sunt in triplici Tractatu præcedenti; nimirum, ab Adamo usque ad Christum. Deus hominibus supernaturaliter locutus est; 2° a Christo usque ad consummationem mundi, verbum divinum traditur per Romanæ Ecclesiæ magisterium infallibile et universale; 3° idem verbum continetur in divina Traditiene et in Scriptura sacra.

Nunc vero de illo veritatibus revelatis assensu, qui prima Symboli catholici voce, *Credo*, significatur, agendum est. Per adhæsionem enim veritatibus a Deo revelatis, quisque has veritates in mente accipit, sibi proprium facit lumen, quod Revelationis ope in mundo illuxit; et ita in unoquoque incipit vita supernaturalis, ut assensus ille sit totius ædificii spiritualis basis atque fundamentum [1]. Unde et præsens Tractatus Theologiæ proprie dictæ exordium est.

Quinque erunt capita, 1° de notione, 2° de objecto materiali, 3° de motivo seu objecto formali, 4° de modo seu proprietatibus, 5° de subjecto fidei. Quibus subjiciemus appendicem de notis theologicis.

In Tract. *de Gratia*, statuuntur tum *supernaturalitas* fidei ex parte principii seu gratiæ internæ, tum ejusdem

1. Quare omnes fere supernaturalis ordinis in ipsa anima spectati difficultates sive mysteria in hocce Tractatu contrahuntur, uti aliunde evincitur ex diversis aut etiam contrariis opinionibus, in quas circa quæstiones plerasque abeunt Theologi; et ideo, ut scite et utiliter percurratur præsens Tractatus, mente acuta tenacique conatu opus est.

necessitas ad justificationem et ad actus gratiæ et gloriæ meritorios. In Tract. autem *de Decalogo*, expenditur *præceptum* eliciendi actus fidei, atque determinantur articuli quorum *explicita* fides necessaria est necessitate sive medii, sive præcepti. Has igitur quæstiones in præsenti Tractatu prætermittemus[1].

CAPUT PRIMUM

DE NOTIONE FIDEI

2. — *Quæritur* 1° quid sit Fides quoad *nomen?*

Resp. Fides, quoad *nomen*, 1. significat interdum *voluntatis* perfectionem, scilicet, vel *fiduciam* seu spem firmam, vel *fidelitatem* seu constantiam in promissis, vel *veracitatem*, vel ipsam *promissionem;* Matth. 14, ỳ 31 ; Levit. 6, ỳ 2 ; Apoc. 2, ỳ 13; I Tim. 5, ỳ 12.

Ordinarie tamen fides perfectionem *intellectus* spectat, atque exprimit quemlibet assensum intellectus ad unam partem determinatum: « *Credere* est *cum assensione cogitare.* » S. August., *de prædest. Sanct.* c. 2,

2. Frequentius designat assensum *opinativum*, quia talis assensus est formidolosus, et regulariter auctoritate fundatur. Unde praticum conscientiæ dictamen, quod ordinarie est tantum moraliter certum, conjecturis et auctoritate innixum, aliquando vocatur fides : « Quod non est ex *fide* (secundum conscientiæ dictamen), peccatum est, » Rom. 14, ỳ 23. In eodem sensu homo dicitur *bonæ* vel *malæ fidei.*

3. Tandem, in communi usu, fides significat *cognitionem obscuram, in testimonio fundatum*. Et hæc est significatio, quæ in præsenti Tractatu usurpatur. Fides autem est vel humana, vel divina, vel ecclesiastica, prout humano, aut

1. Circa Tractatum *de fide* consuli possunt. S. Th. 2. 2, q. 1 et seq.; — Suarez, *de fide;* — De Lugo, *de Virtute fidei;* — Kilber, *de fide*, in Theol. Wirceburg; — Montagne, *de Notis Theologicis, et de sensu Propositionum;* — Antoine, tom. 1 ; — P. Perrone, *de Loc. Theol.* 3 p., *de Analogia Rationis et Fidei.*

Declarationes autem et decreta sive Conc. Vaticani, sive Conc. Triden., quæ ad fidei actum et habitum attinent, referimus in Tract. *de Revelat.*, n. 3-19, et in Tract. *de Gratia*, n. 7-55.

divino, aut Ecclesiæ testimonio nititur. In hoc Tractatu agitur tantum de fide divina. Vide Tract. *de Loc. Theol.*, n. 103.

Quæ vero fides per se tria includit, habitum, actum et objectum : et illa tria, etiam sigillatim sumpta, sæpe in Scriptura nomine *fidei* designari solent; I Cor. 13, ℣ 13; Rom. 1, ℣ 8; Eph. 4, ℣ 5.

Attamen objectum seu veritas revelata non denominatur fides, nisi ab habitu aut ab actu fidei; actus autem non dicitur fides, nisi ex habitu, qui est principium ipsius actus; unde, per fidem divinam, directe et proprie designatur *habitus* fidei statim definiendus.

3. — *Quæritur* 2° quid sit fides quatenus *habitus*?

Resp. Fides, quatenus habitus, definitur : *Virtus supernaturalis et theologica, disponens mentem ad assentiendum firmiter, propter divinam auctoritatem, omnibus quæ Deus revelavit, et quæ, juxta consuetum Providentiæ ordinem, nobis per Ecclesiam credenda proponit.*,

1° *Virtus*, id est, bona qualitas seu accidens ex se stabilis et permanens, disponens ad verum et bonum, nunquam ad falsum et malum; in hoc habitus fidei secernitur ab ejusdem actu, qui est modus ex se transitorius, et ipsius virtutis exercitium.

2° *Supernaturalis*, scilicet, ratione objecti, materialis, principii, et motivi.

Et quidem 1. ratione *objecti*, prout, scilicet, apprehenditur tum quatenus a Deo *supernaturaliter revelatum*, seu quasi illuminatum *externo revelationis lumine*, de quo dictum est in Tract. de Revel., n. 37; tum in se sub *forma divina* et omnino supernaturali, ope *interni* luminis, quod vocatur *lumen fidei*, ut ex immediate subsequentibus melius intelligitur.

2. Ratione *principii*. Videlicet, veritates naturales apprehendimus ope facultatis intellectualis mere naturalis; fides autem, de qua agimus, perficitur ope luminis vere divini, quo intellectus noster elevatur ac *deificatur*, ut res, sub testimonio Dei affirmatas, apprehendat *ope facultatis* seu principii *deifici*, *deiformis*, sicque omnino supernaturalis.

Hujusmodi participatio divini luminis dicitur *revelatio subjectiva*, vel *habitus, auxilium, lumen fidei*. Propterea S. Paulus, Hebr: 6, ℣ 4, baptizatos vocat *illuminatos*, quia habitum seu lumen fidei recipiunt. Unde etiam S. Augustinus ait: « Credimus non hominibus, sed ipsi Deo *intrinsecus* animam nostram *firmanti* et *illuminanti*; » *Cont. Epist. fundamenti*, c. 17; — « Homo participat cognitionem *divinam per virtutem fidei*. » S. Th. 1, 2. q. 110, a. 4.

Unde, ex parte *principii*, fides a visione beatifica differt, in eo quod per lumen fidei supernaturaliter credimus illud, quod per lumen gloriæ supernaturaliter videmus in visione beatifica. Quare in cœlo fides evacuatur, ut ait S. Paulus, I Cor. 13, ℣ 8, 10, 11.

3. Ratione *motivi* seu divinæ veracitatis, quæ est motivum in se aliquo modo supernaturale, ut infra dicetur, n. 92, 93.

Ex supernaturalitate objecti, principii et motivi, divina fides discrepat ab aliquali fide mere *naturali*, quam hæretici proprie dicti seu pertinaces quibusdam veritatibus etiam revelatis præstant, n. 128.

3° *Theologica*, quia ejus primarium et principale objectum materiale est ipse Deus, cui, prout *in seipso* seu in Verbo vivit, nos per intellectum *divinitus* conjungit virtus fidei. Vide Tract. *de Virtutibus*, n. 5.

4° *Disponens mentem*; quibus duo notantur, videlicet, 1. primarium illis virtutis subjectum esse *intellectum*; et sub hoc respectu fides differt a cæteris virtutibus theologicis, id est, a spe et charitate, quarum primarium subjectum est voluntas; propterea fides vocatur virtus *intellectualis*; 2. secundarium vero ejusdem virtutis subjectum esse voluntatem, sine cujus pio concursu nec dispositio ad credendum, nec actus fidei concipitur; exinde fides est libera, atque habet rationem meriti.

5° *Ad assentiendum*; hoc verbo indicatur actus, ad quem disponit virtus fidei.

6° *Firmiter*; quo excluditur assensus plus minusve probabilis, aut quocunque modo hæsitans. Motivum enim seu objectum formale divinæ fidei per se omni dubio semper repugnat; atque omnimodam fidem exigit.

7° *Propter veracitatem divinam*, quæ est motivum seu objectum formale fidei; et sub hoc respectu hæc virtus differt ab habitu assentiendi propter evidentiam naturalem, aut propter auctoritatem humanam, aut propter supernaturalem evidentiam, qua in cœlis Beati Deo per intellectum conjunguntur.

8° *Omnibus quæ Deus revelavit;* quibus indicatur materiale fidei objectum. Omnia enim a Deo revelata, cadunt sub ejus testimonio, id est, sub fidei motivo, et ita fiunt ejusdem virtutis objectum materiale.

9° *Et quæ, juxta consuetum Providentiæ ordinem, nobis per Ecclesiam credenda proponit.* In his duo innuuntur, nempe, 1. Ecclesiæ testimonium esse de facto ordinarium *medium*, quo infallibiliter nobis constat ipsa revelatio alicujus propositionis a Deo facta; 2. et simul hoc medium ad actum fidei non essentialiter requiri, sed ordinarie tantum, scilicet, ad fidem catholicam, non vero ad fidem simpliciter divinam. Unde

13. — *Quæritur* quid sit fides divina, quid fides catholica?

Resp. Fides simpliciter *divina* ea est, cujus objectum apprehenditur simpliciter uti a Deo revelatum; v. g. : credo Deum esse trinum, quia ex Scriptura clare mihi constat hoc esse a Deo revelatum.

Catholica vero fides ea est, cujus objectum creditur tanquam revelatum, quia ut tale ab Ecclesia omnibus credendum proponitur; v. g. : Credo Deum esse trinum, quia tale dogma a Deo esse revelatum declaratur omnibus ab Ecclesia Catholica in Symbolo Apostolorum. Fides igitur simpliciter divina est genus; species autem, fides catholica, ut infra iterum dicetur, 54.

Hic ordinarie ab auctoribus traduntur aliæ fidei subdivisiones ratione *objecti, subjecti*, *modi* et *medii*, quæ melius venient in decursu discussionis circa singula illorum capita.

CAPUT II

DE MATERIALI FIDEI OBJECTO

Dicemus 1° de materiali objecto fidei divinæ simpliciter, 2° de materiali objecto fidei catholicæ.

ARTICULUS PRIMUS

De materiali objecto Fidei in genere, seu divinæ simpliciter.

14. — Omnes veritates divinitus revelatæ sunt objectum fidei divinæ. Cum autem revelatio sit vel publica seu data in publicam utilitatem, vel privata seu facta in utilitatem alicujus aut aliquorum privatorum, duplex exsurgit objectum divinæ fidei. Unde

§ I

De materiali objecto Fidei publicæ.

15. — Omnes veritates in publicam utilitatem revelatæ, continentur in divina Traditione et Scriptura sacra, ex dictis in Tract. *de Loc. Theol.*, n. 4. At veritas quædam in Scriptura et Traditione diverso modo potest contineri, ac proinde diverso modo potest esse objectum fidei publicæ.

Itaque tria hic inquirenda veniunt, nempe, 1. quotuplici modo aliqua veritas contineri possit in divina revelatione; 2. quænam veritates in divina revelatione contentæ, sint objectum proprie dictum fidei publicæ; 3. quænam denique, etsi aliquo modo in divina revelatione comprehensæ, tamen ad divinæ fidei objectum non pertineant. Itaque

NUMERUS PRIMUS

De variis modis, quibus aliqua veritas contineri potest in divina Revelatione.

16. — Duplici modo aliqua veritas revelari potest, seu in divina Traditione aut Scriptura contineri, nimirum, *formaliter*, aut *virtualiter* tantum. Quæ verba accuratissime explicanda sunt, ut occurramus omnibus difficultatibus. æquivocationibus, dubiisve, quæ in præsenti materia frequentiora sunt.

PUNCTUM PRIMUM

De Revelatione formali.

17. — *Quæritur* 1° quid sit Revelatio *formalis?*

Resp. Illud est *formaliter* revelatum, quod *in suo proprio conceptu a Deo prolatum est*, ita ut vere in ipso verbo Dei contineatur, atque sit proprium objectum, in quod cadat testimonium Dei revelantis. Quod formaliter revelatum est, dicitur etiam *in se, immediate* revelatum.

18. — *Quæritur* 2° quotuplici modo aliqua veritas possit *formaliter* revelari?

Resp. Duplici modo, explicite vel implicite. *Explicite* revelatur illud, quod *propriis terminis* in ipso Dei verbo continetur, atque a Deo *clare* et *distincte* prolatum est; v. g. : *In principio Deus creavit cœlum et terram; Verbum caro factum est; Christus passus est, mortuus est, resurrexit.*

Implicite autem illud est revelatum, quod *in conceptu veritatis explicite revelatæ continetur*, sed *confuse, non disertis* et *propriis terminis* a Deo prolatum est. Propterea implicite revelata non statim apparent, atque eorum revelatio explicari debet per aliam propositionem mere declaratoriam propositionis explicite revelatæ. Hæc facilius intelligentur cum distinctionibus et exemplis statim afferendis.

Itaque particulæ *formaliter, immediate, in se*, respiciunt veritatis revelatæ *conceptum;* particulæ vero *explicite, implicite*, ejusdem veritatis *terminum* spectant.

19. — *Quæritur* 3° quotuplici *modo* fieri possit *implicita* Revelatio?

Resp. Triplici modo, nimirum, per explicitam revelationem vel propositionis, quæ eadem est ac altera quoad sensum, vel totius actualis, vel totius potentialis.

Et quidem 1° *posita revelatione explicita propositionis, quæ eadem est ac altera quoad sensum*, hæc altera eo ipso est revelata quoad sensum seu formaliter, non autem propriis terminis, sed *implicite* tantum.

Hoc evenire potest in triplici casu, scilicet, 1. implicite

revelata est omnis propositio *synonymon* propositionis explicite revelatæ, quia utraque quoad sensum exprimit quid unum et idem : sic, v. g., cum expresse revelatur, *Verbum caro factum est*, eo ipso implicite profertur hæc illius synonymon aut æquivalens propositio : *Verbum sibi assumpsit corpus et animam humanam.*

2. Implicite etiam revelata est omnis propositio *correlativa* propositionis explicite revelatæ, eo quod res correlativæ sunt simul natura et cognitione : sic, v. g., si reveletur *esse Filium Dei*, eo ipso implicite revelatur *Deum esse Patrem;* vel, si dicas Deum *esse creatorem*, eo ipso implicite dicis *esse creaturas.*

3. Demum, si explicite reveletur *affirmatio* unius *e contradictoriis*, eo ipso implicite revelatur *negatio alterius;* sic, v. g., si explicite reveletur *Christum esse Deum*, eo ipso implicite revelatur negatio contradictoriæ, *Christus non est Deus*. Idem enim non potest esse simul et non esse ; et eadem fides, quæ inclinat ad credendum aliquam propositionem esse veram, inclinat ad credendum oppositam esse falsam.

20. — 2° *Posita revelatione explicita totius actualis*, eo ipso formaliter et *implicite* revelantur omnia illius attributa *essentialia*, omnes partes *essentiales*.

Totum enim *actuale* illud est, quod *in se* habet partes, sicut Petrus habet in se corpus et animam : porro totum hujusmodi nec esse, nec concipi potest absque suis partibus sive attributis essentialibus : ergo totius actualis explicita revelatio est eo ipso formalis, etsi confusa seu implicita, revelatio partim sive attributorum essentialium. Sic, Deus revelans Christum *esse hominem*, eo ipso formaliter, etsi confuse seu implicite, revelat Christum habere corpus et animam. Utrumque enim est essentialis pars definitionis hominis, atque in hujus conceptu continetur.

21. — 3° *Posita revelatione explicita totius potentialis*, eo ipso formaliter et *implicite* revelantur *omnes partes subjectivæ*, quibus constat totum illud potentiale.

Etenim totum *potentiale*, illud est, quod habet, non *in se*, sed *sub se* partes, quas vocant *subjectivas*, qualia sunt genus respectu specierum, species respectu propositionum singularium : porro omnia individua continentur in propria specie, eamque essentialiter constituunt; et idem verum est de speciebus respectu generis, de propositionibus singularibus respectu earum saltem propositionum universalium, quæ *immediate* et *absolute* continent illas singulares propositiones; ergo; qui revelat universale, genus, speciem, eo ipso revelat omnia singularia, omnes species, omnia individua, quæ sunt quasi partes essentiales componentes illam speciem, illud genus, illud universale. Ita Suarez, disput. 3, sect. 11 ; De Lugo, disput. 1, sect. 3 ; Ripalda, sect. 4, n. 66, 67 ; Melch. Can. lib. 6, cap. ult. ; Bellarm., Sylvius, Montagne, etc.

Sic, v. g., dum dicitur in Scriptura, Gen, 2, v. 20, quod « appellavit Adam nominibus suis *cuncta animantia,* » eo ipso formaliter, sed implicite, revelatur Adamum appellasse nomine suo speciem leonum, equorum, boum, etc., quia hujusmodi species continentur, etsi confuse, in ipso conceptu generis *animantium*.

Similiter, singularis propositio : *Petrus est resurrecturus*, implicite revelatur in hac universali explicite revelata : *Omnes homines resurgent*. Hæc enim universalis pro *immediato* objecto habet omnes homines etiam sigillatim sumptos, et ideo ipsum Petrum; ergo veritas et revelatio propositionis circa resurrectionem Petri, tam est absoluta et immediata, ac revelatio et veritas propositionis circa omnium hominum resurrectionem.

22. — *Quæritur* 4° an formaliter, etsi implicite, sint revelatæ propositiones *singulares*, quæ in universali formaliter revelata, non continentur, nisi *mediante aliquo facto contingenti ?*

Resp. Non consentiunt Theologi, sed in tres hac de re abeunt sententias. Scilicet, 1. alii, et quidem communius, sentiunt omnes illas singulares propositiones cadere sub revelatione universalis propositionis, modo *absoluta certi-*

tudine constet factum contingens, quo mediante, in illa universali continentur, n. 30, 31. Tunc enim singulares illæ fiunt totidem partes illam universalem componentes, harumque veritas evadit absoluta. Ita auctores jam citati, n. 21.

2. Alii vero negant singularem propositionem, de qua agitur, esse implicite revelatam in universali formaliter revelata. Ita Cajetanus, Bannes, etc. Ut enim aliqua propositio sit revelata, requiritur quod sit *absolute vera :* atqui propositio singularis contenta in universali, mediante tantum facto contingenti, est vera tantum conditionate, seu posito quod verum sit illud factum contingens; et ideo absolute dici non potest revelata.

Sit syllogismus ; *Christus est realiter præsens sub omni hostia rite consecrata :* atqui *hæc* hostia *est rite consecrata ;* ergo Christus *est realiter præsens* sub *hac* hostia.

Major est universalis formaliter revelata ; conclusio autem est singularis, quæ in majori non continetur, nisi mediante facto contingenti in minori expresso : porro hujusmodi factum non est absolute verum ; ergo nec absolute verum est, nec proinde revelatum, quod Christus sit realiter præsens sub *hac* hostia, n. 30, 31.

3. Alii tandem distingunt. Scilicet, vel propositio universalis intuitu singularium, utpote ad regimen et utilitatem totius Ecclesiæ respicientium, revelata est, vel non : si prius, omnes singulares in universalis revelatione a Deo immediate intenduntur, ideoque sunt et ipsæ immediate revelatæ; si posterius, a Deo immediate non intenduntur, nec proinde sunt immediate revelatæ.

Sic propositio universalis, *omne Concilium generale est infallibile,* revelata est propter has singulares : *Concilium Nicænum, aut Tridentinum est infaillibile;* dum propositio universalis : *omnis infans, rite baptizatus, est ab omni peccato immunis,* revelata est quidem ut innotescant Baptismi effectus et necessitas, non autem intuitu hujus particularis : *hic infans est immunis ab omni peccato ;* ergo particulares prioris generis sunt in se revelatæ, non vere posterioris generis. Ita Card. de Laurea, Antonius a Panormo, *Scrutinium,* c. 3.

23. — *Quæritur* 5° an conclusio *e duabus præmissis formaliter revelatis immediate* deducta, sit et ipsa *formaliter*, etsi implicite, *revelata?*

Resp. Affirmative. Etenim, quando duæ præmissæ sunt formaliter revelatæ, Deus affirmat majorem, quæ conclusionem continet, et insuper in illa majori hanc conclusionem contineri ipse declarat per minorem; ergo eo ipso Deus immediate conclusionem profert. Sic, v. g. : « omnes Apostoli acceperunt Spiritum Sanctum : atqui S. Joannes erat unus ex Apostolis; ergo S. Joannes accepit Spiritum Sanctum. » Conjungendo minorem cum majori, hoc argumentum ad hanc propositionem formaliter a Deo revelatam reducitur : « Omnes Apostoli, quorum unus erat S. Joannes, acceperunt Spiritum Sanctum. » Patet igitur, in illo et similibus argumentis, conclusionem contineri in præmissis tanquam in aliquo quoad conceptum prorsus identico, atque non tam deduci, quam ostendi in præmissis inclusam, seu ratiocinium esse in verbis, non vero in mente; n. 27, 34.

PUNCTUM II

De Revelatione virtuali.

24. — *Quæritur* 1° quid sit Revelatio *virtualis?*

Resp. Illud est *virtualiter revelatum*, quod non *in se* et *secundum se*, seu in *proprio* terminorum *conceptu*, sed tantum *in conceptu alterius* revelatur,

Unde, ad propositionem virtualiter revelatam, duo requiruntur, nempe : 1. *ut non eumdem conceptum* exprimat ac propositio formaliter revelata, alioquin et ipsa in proprio conceptu seu formaliter esset revelata, n. 17 ; — 2. ut *res* seu *significatus* per hujus propositionis terminos sit *indivulse connexus* cum significatu per propositionem formaliter revelatam; alioquin illa propositio non revelaretur *mediante conceptu* propositionis formaliter revelatæ, nec *virtute* revelationis istius propositionis. Quapropter virtualis revelatio dicitur *mediata, illativa, causalis.*

Sic, v. g., causa et effectus non sub eodem conceptu a mente apprehenduntur; et tamen effectus in causis aliquo

modo, nempe virtualiter, continentur, et sub hoc respectu hæc duo connectuntur; ergo, mediante conceptu causæ revelatæ, revelatur conceptus effectus, et vice versa.

Similiter, principium et conclusio non eumdem omnino conceptum menti exhibent; attamen significatus conclusionis continetur in significatu principii, et sub hoc respectu identificantur principium et conclusio; et ideo, mediante conceptu principii, revelatur et conclusio, et vice versa. Simili modo proprietates continentur in essentia, ex qua deducuntur.

Jam vero, omnis propositio virtualiter tantum revelata dicitur *conclusio theologica;* cujus accurata notio ad materiale objectum fidei publicæ discernendum, multum interest. Unde

25. — *Quæritur* 2° quid sit *conclusio Theologica?*

Resp. Conclusio theologica est propositio *deducta certo et evidenter ex majore formaliter revelata, mediante minore ex lumine naturali nota, nec aliunde formaliter revelata.*

Dicitur 1 ; *deducta;* nam, ad conclusionem proprie dictam, requiritur vera illatio : vera autem adest illatio, quando conceptus conclusionis a conceptu sive majoris seorsim sumptæ, sive minoris etiam seorsim sumptæ, differt, et simul in eis virtualiter continetur, ideoque ex his proprie eruitur ; n. 24.

Proinde, ad veram deductionem, non sufficit discursus seu syllogismus mere expositivus, cujus conclusio nihil aliud sit quam nova expressio aut determinatio quædam clarior præmissarum ; uti, si quis colligeret Christum constare corpore et anima, quia est verus homo, n. 19.

Dicitur 2 : *certo* et *evidenter;* alioquin adesset tantum *opinio* plus minusve probabilis, non autem vera et proprie dicta conclusio, seu ex principiis inconcussis inconcusse defluens.

Dicitur 3 : *ex majore formaliter revelata, mediante minore cognita lumine naturali.* In hoc conclusio, de qua agitur, discrepat tum a conclusione mere rationali, quæ e duabus præmissis lumine naturali cognitis deducitur ; tum a con-

clusione a duabus præmissis formaliter revelatis defluente, quæ, saltem si materialiter sumatur, n. 27, non vere et proprie deducitur, nec est conclusio proprie dicta, sed duntaxat clarior præmissarum expositio, n. 23.

Sit, v. g., syllogismus : Tres sunt personæ in Deo : atqui in Deo una est substantia; ergo tres personæ in Deo sunt in una substantia.

Major est in se revalata; minor est principium mere rationale ; conclusio est theologica. Nam ex una parte, conceptus conclusionis differt a conceptu sive majoris, sive minoris, et, ex altera, in his duabus præmissis continetur; ac proinde ex his eruitur mediate, illative, causaliter.

Et vero, juxta communem sensum Theologorum, sola conclusio vere et mere *theologica* ea est, quæ ex *una tantum* præmissa formaliter revelata per veram illationem certo eruitur.

Notandum est, præmissam formaliter revelatam pluribus propositionibus formaliter revelatis aliquando constitui ; v. g. : omnes Apostoli, quorum unus erat S. Petrus, acceperunt Spiritum Sanctum.

Dicitur 4 : *nec aliunde formaliter revelata*. Fieri enim potest, ut propositio per veram illationem certo deducta ex præmissa formaliter revelata, sit et ipsa immediate revelata : porro hujusmodi propositio non est conclusio theologica simpliciter dicta. Natura enim rei cujuslibet ex hujus perfectiori, non vero ex minus perfecta proprietate infertur; unde propositio in se revelata simul et ex revelatione deducta, non est conclusio simpliciter, sed propositio simpliciter revelata.

Et vero, quidquid in se revelatum est, nedum sit conclusio theologica simpliciter, est principium unde Theologia suas deducit conclusiones. Sic, v. g., ex propositione immediate revelata : *Christus est Deus et homo*, evidenter eruitur Christum *duplicem habere voluntatem et operationem*. Verum, quia duplex illa voluntas et operatio immediate revelata est, ideo ista propositio : *Christo duplex inest voluntas et operatio*, improprie dicitur conclusio theologica.

26. — Hinc eadem propositio simul esse potest philosophice aut historice certa, theologica conclusio, et immediate revelata.

Sic, v. g., philosophice certum est hominem *esse liberum ;* sed hoc etiam evidenter deducitur ex hac præmissa revelata : *unicuique secundum opera sua retribuetur ;* tandem idem fuit immediate revelatum. Attamen talis propositio non dicitur simpliciter certa, nec simpliciter conclusio theologica, sed simpliciter revelata seu de fide divina aut catholica.

Unde hujusmodi propositionis contradictoria erit simul *falsa*, *erronea* et *hæretica :* falsa quidem, ut opposita propositioni philosophice aut historice certæ ; erronea autem aut hæresi proxima, ut opposita conclusioni theologicæ ; hæretica denique, ut opposita propositioni formaliter revelatæ.

27. — *Quæritur* 3° *quotuplici modo* spectari possit conclusio theologica ?

Resp. Duplici modo, scilicet *formaliter* seu *illative*, et *materialiter* seu *theologice* : si prius, consideratur quatenus conclusio proprie dicta, seu ut ex unione extremorum cum medio termino defluens ; et tunc discursus est motivum formale seu propria ac per se causa assentiendi huic conclusioni.

Si posterius, conclusio consideratur tantum ut connexa præmissæ revelatæ, non autem ut defluens ex unione extremorum cum medio termino, qui in præmissa revelata non continetur : et ideo tunc discursus non est assentiendi motivum, sed duntaxat via, medium, instrumentum ad detegendam connexionem conclusionis cum præmissa revelata, vi cujus conclusioni adhæremus.

Sit, v. g., syllogismus : *unicuique retribuetur secundum opera sua :* atqui hoc dici nequit, nisi homo in operibus suis sit liber ; ergo libertate præditus est homo. Jam vero, quis sumeret conclusionem *materialiter*, si, absoluto syllogismo, eam admitteret solum ob revelationem majoris ; *formaliter* autem, si eam confiteretur ob revelationem majoris simul et minoris veritatem.

« Isti duo modi assentiendi cuidam conclusioni possibiles sunt, ut per se constat, et pendent ex voluntate hominis, et illos recte distinxit Vasquez, et alii non contradicunt. » Suarez, *de Fide*, disp. 3, sect. 11, n. 5, 7, 10.

NUMERUS II

De veritatibus in divina Revelatione comprehensis, quæ sunt objectum Fidei publicæ.

Post distinctiones in præcedenti numero expositas, præsens quæstio sat facile evolvetur.

28. — I. *Omnis propositio formaliter et explicite revelata, est objectum divinæ fidei.* Certum est.

Etenim illud est materiale objectum divinæ fidei, in quod proxime cadit testimonium Dei revelantis : atqui, ex dictis, n. 17, 18, propositio formaliter et explicite revelata ea est, quæ cadit sub testimonio Dei revelantis tum quoad sensum terminorum, tum etiam quoad proprios terminos, quibus exprimitur ; ergo propositio formaliter et explicite revelata est objectum fidei divinæ.

29. — II. *Omnis propositio formaliter et implicite revelata,* excepta forsan singulari, cujus veritas pendet a facto contingenti, *est objectum divinæ fidei.* Ita omnes.

Etenim illud est objectum divinæ fidei, quod proxime cadit sub testimonio Dei revelantis : atqui propositio formaliter revelata, sed implicite, ea est, quæ in proprio terminorum conceptu, licet confuse, proxime cadit sub testimonio Dei revelantis, n. 18, 19 ; ergo talis propositio est objectum fidei divinæ.

30. — Dixi : *excepta forsan singulari propositione, cujus veritas ab aliquo facto contingenti et sola ratione cognito pendet.*

Nam, ut vidimus, n. 22, non concordant auctores circa formalem hujusmodi propositionum revelationem, atque ideo disputant an sint divinæ fidei objectum.

Qui affirmant, omnimodam certitudinem requirunt circa

factum contingens, unde pendet veritas propositionis singularis, sub universali formaliter revelata.

Assensus enim propter auctoritatem Dei excludit omnem errandi formidinem : porro, nisi certo constet factum, quod est conditio, sine qua singularis non contineretur in universali revelata, tali singulari mens assentire nequit propter auctoritatem Dei eam revelantis, nec proinde circa illam verum divinæ fidei actum elicere.

Et vero Conc. Trid., eo quod quilibet prudenter dubitare possit de propria justificatione, infert eam non posse credi fide divina ; sess. 6, c. 9 ; ergo, ad assensum fidei, plena requiritur certitudo juncta cum evidentia, quod Deus de hac singulari in universali explicite revelata locutus fuerit.

31. — Hinc sequentes propositiones : puer iste *vere baptizatus est*, et *justificatus ; talis homo valide consecratus est in sacerdotem ; Christus est præsens in hac hostia*, etc., non sunt de fide divina credendæ. Etsi enim nulla sit de veritate harumce propositionum formido, tamen applicatio propositionis universalis revelatæ ad illas particulares non fit absque morali formidandi facultate, propter varias et occultas circumstantias, a quibus pendent. Suarez, disput. 3, sect. 11.

Nihilominus, quando prudenter, licet non evidenter, judicatur talem hostiam esse rite consecratam, hæc est absolute adoranda. Virtus enim religionis regitur prudentia : atqui prudentia judicat, et ad agendum inclinat non semper ex evidentia, sed ex communiter contingentibus ; ergo inclinat ad talem hostiam adorandam, quia ordinarie in iisdem circumstantiis rite consecrantur hostiæ ; n. 116.

32. — III. *Omnis conclusio ex duabus præmissis formaliter revelatis deducta, si materialiter sumatur, est objectum divinæ fidei.* Ita omnes.

Namque, ex dictis, n. 23, 27, talis conclusio sic sumpta est formaliter revelata, ideoque proxime cadit sub Dei testimonio ; ergo est divinæ fidei objectum.

Si vero præfata conclusio *formaliter* sumatur, seu uti per verum discursum illata, tunc ei assentitur non propter solam Dei revelantis auctoritatem, sed propter ejus connexionem cum præmissis lumine rationis manifestatam; et ideo sic spectata, illa conclusio non est divinæ fidei objectum, juxta omnes, 27.

33. — Hinc, qui assensum denegat propositioni, quam certe reputat explicite vel implicite contineri in Scriptura sacra aut divina Traditione, hæreticus est in *foro Dei*, non autem in *foro Ecclesiæ;* nec ideo incurrit pœnas contra hæreticos latas, nec desinit esse externum Ecclesiæ membrum; cum, ex hypothesi, Ecclesia illam propositionem tanquam explicite aut implicite revelatam omnibus credendam nondum imposuerit.

NUMERUS III

De veritatibus aliquo modo in Revelatione contentis, quæ tamen non sunt divinæ fidei objectum.

34. — Tractandum superest de conclusione theologica, n. 25. Porro, juxta omnes, conclusio theologica, etiam illa quæ ex duabus præmissis revelatis educitur, n. 23, si sumatur *formaliter*, n. 27, id est, in quantum per ratiocinium deducitur, eique ob discursum assentitur, non est divinæ fidei objectum, n. 32. Fides enim non discurrit, sed sola divina auctoritate innititur, n. 84, 85. Unde

35. — *Quæritur* an conclusio vere et proprie theologica, n. 25, *materialiter* sumpta, n. 27, credi possit fide divina, utpote contenta in præmissa revelata?

Resp. Triplex est ea de re sententia. Alii negant conclusionem, de qua agitur, esse objectum divinæ fidei; ita Antonius a Panormo, Melchior Can., Tournely, Lafosse, d'Argentré, Kilber, Cajetanus, Molina, Montagne, et communiter Thomistæ, etc.

Alii vero affirmant, inter quos Ripalda, Grandin, Simonet, Antoine, etc.

Alii tandem distinguunt; scilicet, ante definitionem Ec-

clesiæ, conclusiones theologicæ non sunt divinæ fidei objectum ; bene vero, postquam ab Ecclesia fuerint definitæ. Ita Suarez, de Lugo, Muzarelli; etc.

Prima sententia longe probabilior et communior sic asseritur et propugnatur :

PROPOSITIO

36. — *Conclusio vere theologica, materialiter sumpta, non est divinæ fidei objectum ante, nec post Ecclesiæ definitionem.*

Et quidem 1° non *ante* Ecclesiæ definitionem. Etenim solum Dei verbum, sive scriptum, sive traditum, est divinæ fidei objectum ; atqui conclusio vere theologica non est proprie verbum Dei, sed ex hoc verbo illata tantum seu consequens ; ergo non est objectum divinæ fidei.

Sit, v. g., syllogismus : *Christus est Deus-homo :* atqui repugnat Deum-hominem unquam carere auxilio efficaci ad bene agendum ; ergo repugnat Christum seu naturam humanam in Christo unquam carere efficaci auxilio ad bene agendum.

Major est revelata : porro affirmare Christum esse Deum-hominem, de se non importat *intentionem* etiam implicitam manifestandi *formalem* conceptum de necessaria concessione auxilii in Christo indesinenter efficacis ; ergo conclusio præfati syllogismi non est verbum Dei, nec proinde objectum divinæ fidei. n. 41.

Et vero, formalis seu proprius conceptus conclusionis theologicæ diversus est a formali conceptu majoris revelatæ, ut patet ex allato exemplo : atqui diversitas conceptus importat diversitatem motivi ; ergo hujusmodi conclusio, saltem ante Ecclesiæ definitionem, credi nequit ob solam auctoritatem Dei, sicut major formaliter revelata.

2° Nec *post* Ecclesiæ definitionem. Etenim, ex communi Theologorum adagio, *Ecclesia novos non condit fidei articulos,* id est, non efficit ea esse de fide divina seu *in se* revelata, quæ ante de fide seu in se revelata non erant ; sed duntaxat juridice et infallibiliter declarat id esse revelatum, quod antea pro omnibus non constabat contineri in Scrip-

tura vel Traditione : porro, ex hypothesi, conclusio vere theologica, ante Ecclesiæ definitionem, non erat in se revelata, nec objectum divinæ fidei ; ergo nec fit hujus fidei objectum per Ecclesiæ definitionem.

Revera, juxta omnes, ad tradendam doctrinam revelatam, Ecclesia gaudet tantum supernaturali assistentia : porro, si hujusmodi assistentia sufficeret ad nova fidei dogmata constituenda, eo ipso quodlibet infallibile judicium Ecclesiæ materiam fidei constitueret, etiam quando notas infra hæresim infligit : quod a nemine asseritur ; ergo conclusio theologica, post Ecclesiæ definitionem, non est divinæ fidei objectum.

37. — Hinc 1° conclusio theologica a propositione de fide discrepat ratione objecti et motivi.

Et quidem 1. ratione *objecti*. Nam objectum fidei illud est, quod in se et in suo proprio conceptu a Deo prolatum est ; objectum autem conclusionis theologicæ est quid in se non a Deo prolatum, sed ex revelatione consequens.

2. Ratione *motivi*. Motivum enim. propter quod assentimus propositioni formaliter revelatæ, est ipsa Dei revelantis auctoritas ; motivum vero conclusionis theologicæ simpliciter, est evidentia connexionis cum revelatione, seu revelationis simul et rationis lumen. Unde assensus conclusioni theologicæ non est fides divina, nec adhæsio mere naturalis, sed assensus mixtus seu *theologicus*.

38. — Hinc 2° propositio conclusioni theologicæ opposita, non est hæresis, nec error simpliciter, sed error *theologicus* seu propositio *erronea,* modo tamen *certe* et *directe* opponatur conclusioni theologicæ *certo* deductæ.

Tribus autem potissimum modis certo constare potest propositionem alteri mediate revelatæ directe adversari, nempe *evidentia, concordi* Theologorum *consensu*, Ecclesiæ *definitione,* qua declaretur aliquam propositionem esse erroneam. Vide Tract. *de Loc. Theol.*, n. 103, 104.

Aliquando tamen nota *erronea* latiori et generico sensu

sumitur, atque significat errores in materia fidei et morum, sive sint hæreses, sive tantum erroneæ propositiones.

39. — Hinc 3° conclusio theologica semel ab Ecclesia definita, non est solum theologice certa, nec de fide divina, sed de fide *ecclesiastica*.

Tunc enim tali conclusioni assentimus non solum ob evidentiam ejus connexionis cum formaliter revelato, sed insuper propter auctoritatem Ecclesiæ illam utpote ex revelato consequentem definientis.

Unde, qui theologicæ conclusioni jam definitæ obluctaretur, non esset tantum *erroneus*, sed etiam *præsumptive hæreticus*, quia merito præsumeretur negare principium obscure revelatum, et ipsammet Ecclesiæ in hac materia infallibilitatem, quæ est saltem mediate revelata, n. 45. Imo et ante definitionem, præsumptive esset hæreticus, qui obluctaretur conclusioni theologicæ ita claræ et apertæ, ut ipsius cum revelatis connexio ab omnibus etiam rudioribus facile percipi posset.

Qui vero censent conclusiones theologicas, post Ecclesiæ definitionem, esse divinæ fidei objectum, n. 38, ii consequenter existimant formaliter hæreticum fore, qui scienter illis reluctaretur.

40. — *Obj.* 1° Ea propositio est objectum divinæ fidei, quæ satis est revelata, quæ sufficienter cognoscitur ut revelata, cuique ideo assentire possumus propter solam auctoritatem Dei revelantis : atqui ita est de conclusione theologica; ergo hæc est divinæ fidei objectum.

Resp. Nego min. Ex dictis enim conclusio theologica non est nisi virtualiter seu mediate revelata, nec ut revelata cognoscitur, nisi mediante discursu seu rationis lumine, nec ideo ei assentitur nisi ex lumine revelationis simul et rationis, n. 36, 37.

41. — *Inst.* 1. Deus cognoscit necessariam connexionem conclusionis theologicæ cum præmissa revelata : atqui Deus illam præmissam revelare non potest, quin eo ipso affirmet conclusionem, sine qua præmissam stare non posse Deus cognoscit; ergo conclusio theologica satis est revelata.

Resp. Nego min. Namque Deus, quamvis non sit liber in *cognoscendo* connexionem conclusionis theologicæ cum præmissa revelata, tamen liber est in *revelando*, atque, ut revelans, liber est præscindere et revera præscindit a connexione ; alioquin revelando unam veritatem, eo ipso Deus omnia etiam remotissima hujus veritatis consectaria revelaret : quod manifeste falsum est; ergo conclusio theologica non est satis revelata.

42. — *Inst.* 2. Posita conclusione vere theologica, mens clare et certo cognoscit connexionem necessariam talis conclusionis cum præmissa formaliter revelata : atqui hoc sufficit ut conclusio tanquam revelata cognoscatur; ergo illa conclusio sufficienter ut revelata agnoscitur.

Resp. Nego min. Nam, ut propositio quædam tanquam revelata agnoscatur, non sufficit quod certo cognoscamus ejus connexionem cum præmissa revelata, sed etiam necesse est quod in suo proprio conceptu cadat sub Dei revelantis testimonio, alioquin ob illud solum testimonium credi non posset : atqui theologica conclusio non in se a Deo profertur, sed propositioni a Deo prolata connectitur tantum, et ex illa per rationem deducitur ; ergo ut revelata non sufficienter agnoscitur.

43. — *Inst.* 3. Præmissa naturalis haberi potest uti instrumentum ad educendum e revelatione quidquid in ea continetur, seu ut conditio sine qua non cognovissemus quid includat præmissa revelata : porro, ea cognitione semel obtenta, nihil obstat quominus credamus conclusionem propter solam Dei auctoritatem ; ergo conclusioni theologicæ assentire possumus ob fidei motivum.

Resp. Nego min. Etenim connexio conclusionis cum præmissa revelata nititur veritate præmissæ naturalis : atqui conclusionis veritas ab illa connexione pendet; ergo hæc conclusio credi nequit ex solo motivo auctoritatis Dei, sed etiam ex lumine rationis, cujus ope præfata connexione apparet.

44. — *Obj.* 2° Testimonium æque est efficax, sive per seipsum, sive per Ecclesiam illud præbeat Deus : porro quod definit Ecclesia, Deus, cujus est organum, per illam testificatur; ergo conclusio theologica semel ab Ecclesia definita, est sufficienter revelata, atque objectum divinæ fidei.

Resp. Nego min. Aliud est enim testificari revelando, et aliud testificari assistendo tantum. Siquidem, quando adest revelatio, Deus vere et proprie loquitur; quando autem adest assistentia tantum, Deus nihil revelat, non loquitur, sed suppeditat auxilium ne Ecclesia judicando erret; ergo judicium ex assistentia divina prolatum, est semper verum, non autem eo ipso revelatum.

45. — *Inst.* 1. Infaillibilitas Ecclesiæ in definiendo est immediate revelata, et eo ipso revelata est veritas omnium, quæ definit Ecclesia : porro, virtute hujus infallibilitatis, Ecclesia plures definit conclusiones theologicas; ergo, post Ecclesiæ definitionem, veritas conclusionis theologicæ a Deo revelatur, atque fit divinæ fidei objectum.

Resp. Dist. major. Infallibilitas Ecclesiæ in definiendo conclusiones thelogicas, est immediate revelata, *transeat* [1]; revelata est veritas omnium quæ definit Ecclesia, eo ipso ac revela fuit Ecclesiæ infaillibilitas in definiendo, *nego.*

Etenim ex eo quod Ecclesia gaudeat auxilio efficaci in definiendo, sequitur tantum rem definitam esse veram, non autem revelatam, alioquin illud auxilium esset revelatio, non simplex assistentia.

46. — *Inst.* 2. Conclusionum theologicarum veritas definita continetur in Ecclesia infallibilitate, ex hypothesi immediate revelata sicut singulares in universali : atqui, revelata universali, eo ipso immediate revelantur omnes singulares in illa universali contentæ, ex dictis, n. 21 ; ergo conclusiones theologicæ, semel definitæ, immediate cadunt sub divino testimonio, atque fiunt divinæ fidei objectum.

Resp. Nego maj. Veritas enim conclusionis definitæ continetur in revelatione infallibilitatis Ecclesiæ, sicut effectus in causa, seu virtualiter, non autem sicut pars in toto seu formaliter, prout singulares in universali comprehenduntur.

Et revera, cum Ecclesia definit propositionem immediate revelatam, affirmat ipsam hujus propositionis revelationem tanquam factum historicum; et ideo huic propositioni assentimus propter solam auctoritatem Dei eam revelantis.

1. Certum est infallibilem esse Ecclesiam in definiendo conclusiones theologicas; at non consentiunt omnes Theologi illam infallibilitatem esse *formaliter* revelatam, atque de fide credendam, ut dictum est in Tract. *de Eccl.*, n. 168, 171.

Quando autem Ecclesia definit conclusionem theologicam, hujus non proponit revelationem, sed connexionem cum præmissa revelata, atque tali conclusioni sic definitæ adhæremus immediate propter auctoritatem Ecclesiæ, et mediate propter auctoritatem Dei revelantis auctoritatem Ecclesiæ; ergo virtualiter tantum conclusio theologica semel definita continetur in revelatione infaillibilitatis Ecclesiæ; ac proinde assensus tali conclusioni præstandus, non est fides divina, sed *ecclesiastica*.

Sic, in Conc. Trid., sess. 24, can. 7, de *fide* declaratum est « Ecclesiam *errare non posse* cum docet *juxta evangelicam et apostolicam doctrinam*, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi : » atqui non exinde sequitur hujusmodi indissolubilitatem esse de fide; imo Concilium talem extensionem præfato decreto dare noluit, ut infertur ex discussionibus quæ illius decreti redactionem præcesserunt; vide Tract. *de Matrim.*, n. 115; Card. Pallavic., *Hist. Conc. Trid.* lib. 3, p. 626 et seq. Ergo, juxta sensum Concilii Trident., conclusio theologica etiam ab Ecclesia definita, non est divinæ fidei objectum.

§ II

De objecto materiali Fidei privatæ.

Quædam breviter expendere non inutile est circa privatarum revelationum objectum, obligationem quam inducunt, et certitudinem qua constant.

47. — *Quæritur* 1° an revelatio *privata* esse possit *objectum fidei?*

Resp. Affirmative. Etenim 1. in Scriptura legimus multas revelationes privatim factas, etiam de rebus humanis et temporalibus, atque fides inde concepta laudatur tanquam fides divina; Hebr. 11.

2. Ex Conc. Trid., sess. 6, c. 12, 13, can. 15, 16, *sine speciali revelatione* nemo scire potest quos Deus sibi elegerit, aut *certitudine fidei* certus esse de sua gratia, aut de futura perseverantia; ergo Concilium supponit ex speciali revelatione illa omnia et similia infallibili fide credi posse.

3. Illud revera est objectum divinæ fidei, quod fuit a

Deo formaliter revelatum, atque propter ejus auctoritatem creditur : porro utrumque convenit objecto revelationis privatæ; ergo talis revelatio, modo certissime constet, esse potest divinæ fidei objectum.

48. — Hinc 1. assensus privatæ revelationi ex habitu infuso, quo sumus christiani, procedit.

Ita contra quosdam, asserentes hunc assensum oriri ex alio lumine sive fidei particularis, sive prophetiæ, sive discretionis spirituum.

Habitus enim specificantur ex objecto materiali et motivo : porro ex dictis, objectum revelationis, sive privatæ, sive publicæ, est quid immediate revelatum, et pro utraque instat idem motivum; ergo idem est habitus.

49. — Hinc 2. qui dissentiret revelationi privatæ, sibi factæ, sibique certo constanti, fidei infusæ habitum amitteret, fieretque hæreticus coram Deo, minime vero coram Ecclesia, n. 33.

Namque fidei habitus deperditur per quodlibet peccatum mortale directe contra auctoritatem Dei aliquid revelantis commissum : atqui dissensus revelationi privatæ certo constanti est illius speciei peccatum grave; erga talis dissensus fidem excludit, atque est hæresis coram Deo.

50. — Hinc 3. ii, propter quos facta fuerit revelatio privata, tenebuntur credere et Dei mandato obedire, modo eis proponantur cum sufficientibus argumentis.

Deus enim eis loquitur saltem per alium, ideoque ab eis fidem exigit. Et revera, in Scripturis aliqui reprehenduntur propter tarditatem in credendo etiam privatæ revelationi, ut advertimus de Sara, Zacharia, et illo propheta, qui a leone occisus est, eo quod mandato sibi facto per specialem revelationem, inobediens fuerat; III Reg. 13, ỷ 24. Unde S. Paulus ait : *Prophetias nolite spernere;* I Thess. 5 ỷ 20.

Illi autem ad quos non dirigitur, non tenentur, nec possunt credere fide divina, ait De Lugo, *de Fide*, disp. 1, n. 230, quia Deus ab eis non exigit assensum, nec eis nomine Dei seu

ex divina commissione transmittitur hujusmodi revelatio. Alii tamen communiter contrarium propugnant. Eo quod enim revelatio ad ipsos non pertineat, sequitur quidem eos non teneri credibilitatis monumenta expendere. At, si ipsis affulgeant, v. g., si videant miraculum indubitanter divinum in illius revelationis confirmationem, tunc positivum assensum exigit debita divinæ auctoritati reverentia.

31. — *Quæritur* 2° utrum homini certo constare possit aliquid sibi fuisse divinitus revelatum?

Resp. *Affirmative*, ex dictis in Tract. *de Revelat*,, n. 44. Confirmatur tum ex donis prophetiæ et discretionis spirituum, quæ erant prioribus seculis apud fideles quasi ordinaria; tum ex Conc. Trid., quod manifeste supponit ex speciali revelatione hominem privatum cum certitudine fidei scire posse se esse in statu gratiæ, aut a Deo accepturum fore donum perseverantiæ finalis, n. 47.

Quibusnam autem characteribus certo constare possit privata revelatio, jam dictum est in Tract. *de Revelat.*, n. 87 et seq., n. 99, 102, 103. Hic quædam addere sufficiat. 1. Manifesta est deceptio, quælibet revelatio contra bonos mores aut fidei regulam. 2. « Bonus Angelus nonnisi ad bona hortatur; et si terreat in principio, tamen statim consolatur et confortat. Malus autem spiritus in principio quidem prætendit bona, sed postmodum, volens explere desiderium suum et quod intendit, scilicet decipere, inducit et instigat ad mala; sed insuper stupefacit et desolatum dimittit, ut stupefactum facilius decipiat »; S. Thom. in II Cor. 11, ℣ 14. — 3. In revelationis subjecto sit recte judicandi facultas, vera humilitas, perfecta obedientia; atque cum exquisita prudentia a legitimo superiore probentur spiritus, an a Deo sint, juxta illud : « Prophetias nolite spernere. *Omnia autem probate;* » I Thess. 5. ℣ 20, 21. — *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint.* I Joan. 4, v. 1 [1].

1. « Les paroles qui procèdent de notre entendement ne produisent aucun effet; elles sont comme un premier mouvement de la pensée, qui passe.
« Les paroles proférées de Dieu sont quelquefois accompagnées d'une telle

Cæterum difficile ita constabit revelatio privata, ut ii, ad quos non dirigitur, ei assentire teneantur. Innocent. III, in cap. *Cum ex injuncto*, dicit revelationi speciali non esse adhibendam fidem, nisi miraculo confirmetur. Conc. Lateran. V, sess. 11, prohibuit prædicari revelationes speciales de rebus futuris, sine examinee et approbatione Ecclesiæ. Unde regula generalis est requiri approbationem Ecclesiæ, ut alii credere teneantur.

52. — *Quæritur* 3° qualis fides adhibenda sit revelationibus *privatis a Sede Apostolica approbatis?*

Resp. Ecclesia nullam revelationem fide credendam proponit, quæ sit extra depositum fidei publicæ. Hæc sunt verba Benedict. XIV, *de Canon.* lib. 2, c. 32, n. 11 : « Sciendum est approbationem istam nihil aliud esse quam *permissionem*, ut edantur ad fidelium utilitatem post maturum examen : siquidem hisce revelationibus licet non debeatur, nec possit adhiberi assensus fidei catholicæ, debetur tamen assensus fidei humanæ juxta prudentiæ regulas, juxta quas nempe tales revelationes sunt *probabiles, pieque credibiles*. » Deinde quærit utrum irrepserint apocryphæ;

majesté, que nous ne saurions ne point trembler, lorsqu'elles nous reprennent de nos fautes, et ne point nous sentir embrasés d'amour, quand elles nous témoignent de l'amour. Elles expriment en peu de mots et nous font concevoir tant de sens si admirables, qu'il faudrait beaucoup de temps pour les démêler et les mettre en ordre. Elles sont comme une chose subsistante, que Dieu imprime de telle sorte dans la mémoire, qu'elles ne peuvent s'en effacer, surtout celles de prophétie; elles comblent l'âme d'une joie également tranquille, permanente et agréable.

« Lorsque c'est une illusion du démon, non-seulement les paroles que nous entendons, ne produisent pas de bons effets, mais elles en produisent de mauvais. L'âme se trouve aussitôt dénuée de toute vertu, dans la sécheresse, le dégoût, le trouble, et incapable de rien faire de bon, parce que, encore que le démon paraisse lui donner de bons désirs, ils sont si faibles, son humilité est si fausse, et son inquiétude est si grande, qu'elle ne goûte ni douceur, ni suavité. Néanmoins, comme le démon peut nous dresser plusieurs piéges, et qu'ainsi nous avons toujours sujet de craindre, nous devons sans cesse nous tenir sur nos gardes, et prendre pour guide un directeur vertueux et capable, à qui nous donnions une entière connaissance du fond de notre âme. Par ce moyen, nous vivrons en assurance. » Sainte Thérèse, *Sa vie par elle-même*, c. 25.

et respondet affirmative, atque plures recenset; lib. 3, cap. ult., n. 131[1].

ARTICULUS II

De materiali objecto Fidei Catholicæ.

Tria hic expendenda sunt, videlicet, 1° natura objecti fidei catholicæ, 2° media quibus dignoscuntur veritates ad illud pertinentes, 3° earum major aut minor numerus in successu temporum.

§ I

De natura objecti Fidei Catholicæ.

55. — *Quæritur* 1° quodnam sit objectum *materiale* fidei catholicæ?

Resp. Objectum materiale fidei catholicæ sunt omnes veritates, quæ *ab Ecclesia sive solemni judicio, sive ordinario et universali magisterio tanquam divinitus revelatæ credendæ proponuntur*. Ita Conc. Vaticanum, sess. 3, cap. 3. Unde, ad constituendum fidei catholicæ objectum, duæ requiruntur et sufficiunt conditiones : 1. ut propositio sit formaliter revelata seu de fide divina, n. 17; 2. ut tanquam formaliter revelata ab Ecclesia proponatur in seipsa aut in æquivalente.

Ratione illius affirmationis ab Eccleaia prolatæ, revelatio alicujus propositionis sic affirmatæ certo et infallibiliter pro omnibus constat; ideoque illa propositio ut in se revelata ab omnibus credenda est. Propterea dicitur *dogma catholicum*, seu de fide divina non solum in se, sed etiam

1. Quæsitum est an ab Apostolica Sede fuerint approbatæ Apparitiones, seu revelationes, quæ contigisse perhibentur, quæque cultui B. M. Virginis, sub titulis *de Lourdes*, *de La Salette* causam præbuerunt?

S. Congr. Rit., 12 maii 1877, respondit : « Ejusmodi Apparitiones seu Revelationes, neque approbatas neque reprobatas seu damnatas ab Apostolica Sede fuisse, sed tantum permissas tanquam *pie credendas*, fide solum *humana*, juxta traditionem, quam ferunt, idoneis etiam testimoniis ac monumentis confirmatam. Nihil proinde obstare, quin Ordinarii pari ratione se gerant : facta desuper (si de opere typis vulgando agatur) in eodem sensu opportuna declaratione seu protestatione, ad tramitatem decretorum Urbani VIII, Const. *Sacrosancta Synodus*, 15 maii 1642. »

quoad omnes fideles. Eadem ratione fides tali propositioni præstanda, nuncupatur simpliciter *catholica*, et qui hujusce fidei actum elicit, *catholicus* denominatur. Vide Tract. *de Eccl.*, n. 98. Unde

54. — *Quæritur* 2° an quidquid est de fide catholica, sit etiam de fide divina, et vice versa?

Resp. Quod est de fide catholica est etiam de fide divina, sed non vice versa. Etenim omnes veritates de fide catholica sunt immediate revelatæ seu de fide divina, ut jam diximus; at omnes veritates immediate revelatæ non sunt ut tales ab Ecclesia propositæ, seu de fide catholica; ergo fides divina seu theologica ad catholicam se habet sicut includens ad inclusum; n. 13. Unde

55. — *Quæritur* 3° an propositio simpliciter *hæretica* sit illa, quæ *directe* et *immediate* opponitur *dogmati catholico?*

Resp. *Affirmative.* Namque *hæresis*, in genere, est propositio contradictoria propositionis formaliter revelatæ; unde omnis revelatæ propositionis ut talis nondum ab Ecclesia propositæ contradictoria, est hæretica *quoad se* et *coram Deo*; omnis autem propositionis uti revelatæ ab Ecclesia propositæ contradictoria, est *hæretica simpliciter*, seu non solum quoad se et coram Deo, sed etiam *coram Ecclesia*. Vide Tract. *de Eccl.*, n. 99; Tract. *de Locis Theol.*, n. 22, 24, 25. Unde

56. — *Quæritur* 4° quid requiratur, ut quis sit *hæreticus simpliciter?*

Resp. Ut quis sit hæreticus simpliciter, requiritur quod sit *baptizatus*, et *insuper ut aliquod dogma catholicum interne et externe neget, cum pertinacia.*

Et quidem 1. necesse est quod *Baptismo initiatus* fuerit. In hoc enim hæreticus distinguitur ab infideli simpliciter seu a judæo, a pagano, et catechumeno postea infideli. Aliunde nonnisi per Baptismum homo fit membrum Ecclesiæ, ideoque hujus judiciis obnoxius.

2. Requiritur etiam ut *aliquod dogma catholicum rejiciat,*

sive per negationem, sive per dubium proprie dictum. In hoc hæreticus discrepat ab apostata, qui, post baptismum, omnem prorsus christianam fidem abjicit.

Qui dogma aliquod catholicum rejicit *interne* tantum, ille hæreticus est coram Deo, non vero coram Ecclesia, nec subjicitur pœnis ecclesiasticis contra hæreticos latis. Qui vero aliquod dogma catholicum rejicit non solum interne, sed etiam externe, talis est hæreticus coram Deo et Ecclesia, atque incurrit pœnas contra hæreticos jure canonico statutas. Vide Tract. *de Decal.*, n. 35, *de Censuris*, n. 40.

3. *Cum pertinacia*, alioquin esset hæresis materialis quidem et objectiva, non vero formalis et subjectiva.

Hæc autem pertinacia duo essentialiter involvit, unum *præsuppositive* ex parte *intellectus*, notitiam, scilicet, sufficientem tum auctoritatis Ecclesiæ, tum declarationis qua propositio negata tanquam dogma catholicum proponitur ab Ecclesia; alterum *formaliter* ex parte *voluntatis*, actum, nempe, quo quis velit resistere Ecclesiæ tale dogma proponenti, nec ei suum judicium subjicere; n. 128.

Unde quælibet circa Ecclesiæ auctoritatem aut propositionis declarationem uti revelatæ ignorantia etiam crassa et affectata, dummodo non sit concomitans, excusat a formali hæresi, et ab hæreticorum pœnis.

Hæc est communis Theologorum et Canonistarum sententia, ait Suarez, *de Fide*, Disput. 19, sect. 3. Vide S. Th. 1 p., q. 32, a. 4; 1. 2, q. 11, a. 2, ad 3.

Contrarium autem verum est, si ignorantia sit *concomitans*. Quæ enim ignorantia talis est, ut secum admittat, imo requirat voluntatem non mutandi sententiam, etiamsi constaret Ecclesiam aliud docere; et ideo non est causa errandi, nec excludit pertinaciam.

37. — *Quæritur* 3° an hæresis sit asserere aliquid esse de fide, quod *nullatenus de fide est?*

Resp. Talis assertio hæresis esset in eo, qui tam firmiter crederet opinionem aliquam, etiam veram, ut haberet animum deliberatum non credendi contrarium, etiamsi

Ecclesia id definiret. In hoc enim animo adest pertinacia hæretica, et judicium contra Ecclesiæ auctoritatem infallibilem.

Item posset in hoc hæresis contingere, si Ecclesia de aliqua re definiisset non esse certam, et nihilominus aliquis sentiret et affirmaret esse certam : « Habere incerta pro certis, error est. Unde, si sit in materia definita, saltem quoad illum modum, erit error *hæreticus*. » S. August., *Enchir*,, c. 17, 19.

« Extra hos casus, nullum est periculum hæresis in hoc modo seu excessu affirmandi ut certum, quod incertum est. Attamen existimo et moneo posse peccari graviter in hac materia, exaggerando proprias opiniones, et contrarias censuris sine delectu afficiendo. Nam propositio *modalis* habet suam veritatem aut falsitatem, pertinentem ad theologicam doctrinam, et ideo in attributione vitiosæ censuræ potest esse non minor excessus, quam in simplici propositione. Imo tales censuræ sine delectu prolatæ scandalum generant, et injuriosæ sunt, quia et infamiam inurunt, et interdum inducunt alia incommoda et detrimenta; et ideo prudens Theologus ac timoratus diligentissime observare debet, ut has censuras sine magno judicio non efficiat. » Ita Suarez, *de Fide*, disput. 19, sect. 2.

58. — *Quæritur* 6° quodnam sit discrimen inter dogma fidei, dogma catholicum, articulum fidei, propositionem de fide, pertinentem ad fidem, et in ordine fidei positam?

Resp. 1. *Dogma*, in genere, sumitur pro doctrina singulis fidelibus proposita cum obligatione credendi, sive sit de fide divina seu immediate revelata, sive de certitudine tantum theologica seu mediate revelata. In sensu stricto et communi, *dogma, dogma fidei, dogma catholicum* sunt verba æquivalentia, n. 53.

2. *Articulus fidei*, late sumptus, est quodcunque dogma catholicum; stricto autem et communiori sensu, est dogma non solum catholicum, sed *principale, primario* ad fidem pertinens, scitu magis *necessarium*, et ad credendum *spe-*

cialem habens difficultatem, qualia sunt dogmata in Symbolis recensita[1].

3. Propositio *de fide*, in genere, ea est quæ exprimit veritatem a Deo formaliter revelatam, sive sit ab Ecclesia ut talis proposita, sive non. Propositio autem *simpliciter de fide,* ea est quæ exprimit dogma catholicum, seu veritatem de fide catholica, n. 53.

4. Propositio *ad fidem pertinens*, ea est quæ proxime et evidenter sequitur ex una præmissa revelata et altera naturali, n. 21, 34.

5. Denique propositio *in ordine fidei* posita, dicitur illa quæ cum immediate revelatis quocunque modo connexa est.

§ II

De mediis, quibus dignoscuntur dogmata Fidei catholicæ.

59. — Dogmata fidei catholicæ dignoscuntur omnibus mediis, quibus constat ipsa fides Ecclesiæ. De iis jam dictum est in Tract. *de Loc. Theol.*, n. 27-56. Attamen ad præsentem Tractatum quasdam remisimus notiones circa Symbola et professiones fidei, quæ præcipuos fidei articulos continent. Quatuor igitur breviter explananda sunt, nempe Symbolorum notio et utilitas, numerus, convenientia, atque fidei professiones.

NUMERUS PRIMUS

De notione et utilitate Symbolorum.

60. — *Quæritur* 1° quid sit *fidei Symbolum?*

Resp. Symbolum, a voce græca συμβάλλειν, id est, colligere, conferre in unum, in genere significat *collationem,*

1. « Nomen *articuli*, græce αρθρον, significat quamdam coaptationem aliquarum partium distinctarum : et ideo particulæ corporis sibi invicem coaptatæ, dicuntur membrorum articuli. Unde et credibilia fidei christianæ dicuntur per articulos distingui, prout in partes quasdam dividuntur, habentes aliquam coaptationem ad invicem : porro objectum fidei est aliquid non visum circa divina ; ergo, ubi occurrit aliquid *speciale ratione non visum*, ibi est specialis articulus ; ubi autem multa secundum eamdem rationem sunt cognita vel non cognita, ibi non sunt articuli distinguendi. » S. Th. 2. 2, q. 1, a. 6.

vel signum aut tesseram militarem, qua veri milites ab aliis discernuntur.

Apud Catholicos, Symbolum est *simplex et brevis summa præcipuorum doctrinæ revelatæ articulorum, quæ per Ecclesiam omnibus credenda proponitur, tanquam signum professionis suæ*. Idem sic exprimit S. August., *Serm.* 213 : « *Symbolum* est breviter complexa regula fidei, ut mentem instruat, nec oneret memoriam; paucis verbis dicitur, unde multum acquiritur. »

61. — *Quæritur* 2° quænam sit Symboli *utilitas?*

Resp. Præcipua fidei dogmata per modum Symboli proposita fuere, 1. ut *docentes* haberent unam et eamdem fidei regulam, quam omnibus populis inculcarent, ad fidei unitatem facilius constituendam atque servandam.

2. Ut *discentes* tenerent fidei formulam simplicem, brevem, atque plenam, cujus simplicitas ruditati, brevitas memoriæ, plenitudo doctrinæ consulat; quam ideo singuli fideles facile memoriæ mandare, in ea semper habere paratos fidei articulos *explicite* necessario credendos, eamque quotidie ac frequenter profiteri possent, et ita secum invicem consentire, et ab infidelibus discerni.

3. Ut, per manifestiorem mysteriorum declarationem, occasione insurgentium errorum factam, fideles efficacius retraherentur a falsis prædicatoribus, qui, fidem corrumpere intendunt. Propterea edita sunt plura Symbola, quæ in nullo differunt, nisi quod in uno plenius explicantur, quæ in alio implicite continentur, secundum quod exigebat hæreticorum instantia. S. Th., 2, 2, q. 1, a. 9, ad 2.

NUMERUS II

De variis fidei catholicæ Symbolis.

Tria sunt celebriora Symbola, Apostolicum, scilicet, Nicæno-Constantinopolitanum, Athanasianum.

PUNCTUM PRIMUM

De Apostolico Symbolo.

62. — *Quæritur* 1° quænam sit Apostolici Symboli *origo?*

Resp. Juxta omnes, Apostolicum Symbolum consonat

quidem Scripturis et Apostolicæ doctrinæ, et ab Apostolorum temporibus jam traditum ac pervulgatum fuit. « Neque enim dubium est, inquit ipse Calvinus, quin a prima statim Ecclesiæ origine, adeoque ab ipso Apostolorum seculo, instar publicæ et omnium calculis receptæ confessionis obtinuerit. » *Instit.*, lib. 2, c. 16.

At idem Calvinus et alii plures Protestantes negant illud Symbolum ab ipsis Apostolis conditum fuisse atque digestum. Contrariam sententiam semper tenuere fere communiter Catholici. Et revera, semper in universa Ecclesia fuit in usu illud Symbolum, nec citari potest ullum Concilium, ulla particularis ecclesia, a qua editum fluxerit in Ecclesiam universam; et ideo ejus origo nonnisi ab Apostolis repeti potest.

63. — *Quæritur* 2° quænam fuerit *primæva* Apostolici Symboli *forma?*

Resp. Non charta et atramento, sed verbo tantum illam fidei formulam tradiderunt Apostoli, ut corde retineretur et remaneret sub lege arcani, nec ab hæreticis corrumpi posset; quare nec scribi permittebatur usque ad tempora S. Gregorii Magni, qui hanc prohibitionem sustulit, versus finem VI seculi. « Symbolum fidei et spei nostræ ab Apostolis traditum, *non scribitur* in charta, sed in tabulis *cordis* carnalibus. » S. Hieron., *Epist.* 61.

64. — *Quæritur* 3° quænam sit Apostolici Symboli *materia?*

Resp. Hoc Symbolum quatuordecim constat articulis, quorum septem spectant divinam majestatem, septem vero humanitatis Christi mysterium.

Circa majestatem divinam, tria nobis credenda proponuntur, nempe, 1. *unitas* divinitatis : « Credo in Deum. » 2. *Trinitas* personarum, et de hoc tres sunt articuli, secundum tres personas : « Patrem, Filium Dei unicum, Spiritum Sanctum ; » 3. *opera* divinitati propria, id est, opus *creationis* : « Factorem cœli et terræ ; » opus *santificationis* : « Ecclesiam sanctam ; opus *glorificationis* : « Carnis resurrectionem, et vitam æternam. »

Circa humanitatem Christi, proponuntur 1. conceptio, 2. nativitas ex B. Virgine, 3. passio, mors et sepultura, 4. descensus ad inferos, 5. resurrectio, 6. ascensio, 7. adventus ad judicium.

Quidam tamen distinguunt duodecim tantum articulos, sex pertinentes ad divinitatem, et sex ad Christi humanitatem. Tres enim articulos trium personarum comprehendunt sub uno, ob unitatem essentiæ, et quia cognitio unius personæ includit duarum aliarum cognitionem; articulum vero de opere glorificationis distinguunt in duos, scilicet, resurrectionem carnis, et gloriam animæ. Similiter conceptionem et nativitatem Christi in unum articulum conjungunt. Vide S. Th. 2. 2, q. 1, a. 8.

Cum autem Filio et Spiritui Sancto conveniat mitti ad sanctificandam creaturam rationalem, circa illam missionem plurima credenda occurrunt; et propterea circa personam Filii et Spiritus Sancti plures articuli multiplicantur, quam circa personam Patris, quæ nunquam mittitur, ut dicitur in Trac. *de SS. Trinit.*

PUNCTUM II

De Symbolo Nicæno-Constantinopolitano.

65. — *Quæritur* quænam sit illius symboli *origo* et *materia?*

Resp. Illud Symbolum, quod et *Patrum* dicitur, inchoatum est in Concil. Nicæno, an. 325, ad clarius confitendam divinitatem Verbi, ejusque cum Patre consubstantialitatem contra Arianos.

In Conc. Constantin. I, an. 381, fuit auctum, ad manifestius declarandam Spiritus Sancti processionem a Patre contra Eunomium, et divinitatem contra Macedonium; atque probatum est etiam a Conc. Ephesino, an. 431.

Hæc porro sequentia verba addidit Conc. Constantin. : « Cœli et terræ... natum ante omnia secula... De Spiritu Sancto, ex Maria Virgine... Sedet ad dexteram Patris..., Cujus regni non erit finis... Dominum et vivificantem, qui ex Patre procedit; qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur, qui locutus est per prophetas... et in

unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam... in unum Baptisma, in remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam. »

Nono aut decimo seculo, contra eos qui rejiciebant Spiritus Sancti processionem a Filio, addidit Ecclesia particulam, *Filioque*. Cæterum non constat quandonam illud Symbolum ex omni parte fuerit consummatum, prout nunc in Ecclesia canitur. Vide Tract. *de Trinit.*, n. 80.

Publice in Missa canitur, quia est declarativum Symboli Apostolorum, et etiam quia fuit conditum fide jam manifestata, et Ecclesia pacem habente. Symbolum autem Apostolorum, eo quod tempore persecutionis editum fuerit, fide nondum publicata, occulte dicitur in Prima et Completorio, quasi contra tenebras errorum præteritorum et futurorum. S. Th. 2. 2, q. 1, a. 9, ad 6.

PUNCTUM III

De Symbolo Athanasino.

66. — *Quæritur* quænam sit Symboli Athanasiani *origo* et *auctoritas*.

Resp. Illud Symbolum dicitur S. Athanasii, vel quia summam fidei accuratissime expressam continet circa Verbi divinitatem, cujus S. Athanasius invincibilis assertor fuit atque vindex ; vel quia ab ipso S. Athanasio revera fuit compositum.

De hujusmodi enim quæstione facti non consentiunt auctores. Alii hoc Symbolum S. Athanasio denegant, eo quod de illo nullibi mentio fiat ante VI seculum, atque ad dogma per hæresim Eutychianam, S. Athanasio posteriorem, impugnatum, diserte et expresse partim respiciat.

Nihilominus hanc fidei formulam S. Athanasio inscribunt Ecclesiæ Romana, Constantinopolitana, Serviana, Bulgarica, Russica, Moscovita; et, inter auctores, S. Th. 2. 2, q. 1, a. 10, ad 3; Suarez, *de Fide*, disput. 2, sect. 5 ; Kilber, etc. Eugenius IV, in decreto ad Armenos, commemorat *compendiosam illam fidei regulam per Beatissimum Athanasium editam*.

Præterea fatentur omnes doctrinam hujus Symboli in

operibus S. Athanasii reperiri; atque Nestorianam et Eutychianam hæreses fuisse jam propugnatas a Cerinthianis et Ebionitis, a Docetis et Apollinaristis, qui tempore anteriori vel coævo S. Athanasio vixere; vide Tract. *de Incarn.*, n. 56, 62, 63. Eo quod igitur Symbolum, de quo agitur, partim respiciat dogma hæresi Nestorianæ et Eutychianæ oppositum, non sequitur S. Athanasio non esse tribuendum. Aliunde argumentum ex silentio circa illud Symbolum ante seculum VI, cum sit mere negativum, parum probat.

Nec objici potest ad S. Athanasium, ut simplicem Episcopum, non pertinuisse symbolum fidei condere. Non enim compendiosam illam fidei regulam per modum symboli composuit; sed per modum expositionis doctrinalis, ut ex ipso modo loquendi apparet. S. Th. 2. 2, q. 1, a. 10, ad 3.

Quidquid sit de illa quæstione facti, Symbolum Athanasianum ab utraque Ecclesia, Occidentali et Orientali, tanquam fidei regula recipitur; et Romana Ecclesia in Breviario illud consignavit, ut recitetur Dominica ad Primam. Omnes igitur veritates, quas enuntiat, ad fidem catholicam pertinent.

NUMERUS III

De convenientia trium Symbolorum.

67. — *Quæritur*, scilicet, an præfata Symbola *convenienter tradant* materiale fidei objectum?

Resp. *Affirmative*, et evidenter ex ipsorum materia colligitur. Etenim veritates, quæ sunt fidei objectum, spectant *finem* supernaturalem, seu Deum in trinitate personarum per vitam æternam cognitum et dilectum, atque *media* seu Verbi Incarnationem, gratiam inde fluentem, et Ecclesiam homines docentem et per Sacramenta sanctificantem : porro hæc omnia clare, simpliciter et breviter in præfatis Symbolis proponuntur; ergo in eis convenienter traditur materiale fidei objectum.

Et vero, Symbolum Apostolicum ad fidelium instructionem sufficit; Constantinop. autem, ad hæreseon confutationem, præsertim contra mysteria SS. Trinitatis et In-

carnationis; denique Athanasianum, ad majorem horum mysteriorum explicationem; ergo. etc.

68. — *Nota* 1. In Symbolo Nicæno-Constant., omissi sunt articuli de descensu ad inferos et de communione Sanctorum, vel quia expresse in Symbolo Apostolorum erant enuntiati; vel quia non est necessarium, licet utile, singulis fidelibus illos explicatius credere, quam continentur in articulis de morte Christi, et de Ecclesiæ unitate et sanctitate.

69. — *Nota* 2. In nullo Symbolo mentio fit de sacramento Eucharistiæ, etsi præ multis articulis specialem habeat difficultatem, tum quia tunc temporis nullus motus fuerat error contra Eucharistiam, tum quia Apostoli et Patres voluerunt tradere compendium doctrinæ fidei de iis duntaxat, quæ spectant fidem speculativam, nempe cognitionem Dei et Christi, et quæ indiscriminatim ab omnibus adultis ante Baptismum credi debent. Cætera enim explicabantur tunc, quando per Baptismum erant facti aliorum Sacramentorum participes, et eorum urgebat præceptum: quod ipse de Eucharistia testatur S. August., *in Joan.* Tract. 11.

NUMERUS IV

De Fidei Professionibus.

70. — *Quæritur* 1° quid et quænam sint fidei *professiones?*

Resp. Professiones fidei sunt expositiones articulorum fidei, ab Ecclesia comprobatæ, quæ ad fidei symbola accedunt, et quorum usus introductus fuit occasione posteriorum hæreseon, quibus explicite non obviabant Symbola. Præcipuæ sunt Professio fidei pro Græcis Gregorii XIII, pro Orientalibus Urbani VIII, et Tridentina.

Inter alias eminet ea, quæ modo *Tridentina,* modo *Piana* dicitur: Tridentina quidem, eo quod præcepta est a Conc. Trid., sess. 24, *de Reform.* c. 1, 12; Piana vero, quia redacta fuit a Pio IV, Bulla *Injunctum,* ad calcem Conc.

Trid., et denuo eam proposuit Pius V, Bulla *In sacrosancta*.

Hæc fidei professio, quæ etiam nunc juratur ab omnibus Episcopis electis, antequam consecrationem suscipiant, complectitur Symbolum Constantin., quale in Ecclesia canitur, et omnes errores novorum hæreticorum ab Ecclesia damnatos. Concluditur his verbis : « Cætera item omnia a sacris *canonibus*, et *œcumenicis Conciliis*, ac præcipue a sacrosancta *Tridentina Synodo tradita, definita* et *declarata*, indubitanter recipio ac confiteor. » Qua generalitate verborum includi videntur non tantum dogmata fidei stricte sumpta, sed et alia omnia, quæ necessariam habent cum dogmate connexionem. Ex decreto S. Cong. Conc., 20 jan. 1877, a Pio IX approbato, præcipitur ut in præcitata Piana formula, post verba *præcipue a sacrosancta Trid. synodo*, dicatur : *et ab œcumenico Conc. Vatic. tradita, definita ac declarata, præsertim de Rom. Pontif. primatu et infallibili magisterio.*

71. — *Quæritur* 2° quinam sint præcipui *expositores* fidei Catholicæ?

Resp. Inter alios, præstant Veronius, *Regula fidei catholicæ;* Bossuet, *Exposition de la doctrine de l'Eglise catholique;* Denzinger, *Enchiridion Symbolorum et dogmatum;* Klée, *Manuel de l'histoire des dogmes chrétiens*, 2 vol. in-8°. In Cursu Completo, t. 1, 6, citantur etiam Holden, *divinæ fidei analysis*, et Chrismam, *regula fidei catholicæ, et collectio dogmatum credendorum*. Sed hæc opera plena sunt erroribus; insuper Chrismani opus in Indicem relatum est.

§ III

De extensione materialis objecti Fidei successu temporum.

72. *Quæritur* 1° quotuplici modo crescere possit numerus dogmatum fidei?

Resp. Duplici modo, scilicet, vel *simpliciter*, vel *secundum quid :* si prius, formaliter revelantur a Deo res, quæ aliquo modo virtualiter tantum continebantur in præcedentibus revelationibus.

Si posterius, res quidem non a Deo proprie revelantur,

sed res antea revelata incipit quoad nos esse credibilis, quatenus revelatio olim jam facta, si sit obscura, per infallibilem interpretem magis explicatur; si vero sit controversa, per infallibilem controversiarum judicem certificatur; si denique sit universalis, per legitimam auctoritatem applicatur ad singularia, n. 21, 22.

Insuper, numerus dogmatum crescere potest simpliciter aut secundum quid quoad substantialia, vel quoad accidentalia. Itaque

73. — *Quæritur* 2° quænam, inter revelata, sint *substantialia* seu principalia, et quænam *accidentalia* seu secundaria?

Resp. Substantialia, inter revelata, spectant finem supernaturalem et media *per se necessaria* ad hunc finem consequendum; atque sunt duo *generalia,* nempe, Dei existentia, et ejus circa salutem hominum providentia; duo etiam *particularia,* id est, Dei in personis *Trinitas,* et ejus providens dispositio circa hominum salutem per *Christum* procurandam.

Accidentalia autem ad illum finem et ad hæc media pertinent, non per se, sed *per accidens* et quasi ex voluntate Dei *secundaria :* talia sunt varia Dei præcepta positiva, sacrificia, sacramenta, aliaque salutis media ac circumstantiæ ad Redemptorem nostrum et Ecclesiam spectantia. Quæ enim possent vel non esse, vel alia esse, stantibus fine supernaturali et mediis ad hunc assequendum *per se necessariis.*

74. — Jam vero, inquiri potest an numerus dogmatum fidei creverit simpliciter vel secundum quid, et quidem quoad substantialia, vel accidentalia, successu temporum, nempe, ab Adamo usque ad Christum et Apostolos inclusive, et a tempore Christi et Apostolorum.

PROPOSITIO PRIMA

75. — *Principales articuli fidei sive generales, sive particulares, nunquam modo proprie et stricte dicto creverunt.* Ita omnes.

Etenim 1° *duo* articuli *generales* jam ab ortu mundi constabant omnibus fidelibus, siquidem juxta S. Paulum, « sine fide impossibile est placere Deo; credere enim oportet accedentem ad Deum quia *est*, et inquirentibus se *remunerator sit.* » Hebr. 11, ℣ 6.

2° *Duo* etiam articuli *particulares* ab ortu mundi revelati sunt, et, saltem ante Christum, crediti fide pro aliis explicita, pro aliis vero implicita.

Namque statim post lapsum protoparentis, redemptio generis humani per Messiam promissa fuit, eademque promissio explicite renovata est Abraham, Isaac, Jacob, Moysi, David, etc., ita ut Messias ab origine mundi fuerit exspectatio gentium; Gen. 3, ℣ 15; 22, ℣ 18; 49, ℣ 10, 18. Propterea S. Paulus ait : « Juxta *fidem* defuncti sunt omnes isti, non acceptis *repromissionibus*, sed a longe eas *aspicientes* et *salutantes.* » Hebr. 11, ℣ 13. Vide Tract. *de Revelat.* n. 106, 146, 148, 193, 212.

Porro, in hac explicita fide de venturo Messia, implicite continebatur fides de Messiæ divinitate, ac proinde de pluralitate personarum in Deo. Sed etiam hoc SS. Trinitatis mysterium fuit ab initio mundi insinuatum. Genes. 1, ℣ 26, 27; 3, ℣ 22; et explicite creditum a Patriarchis, a Prophetis, a viris sanctitate conspicuis, necnon a Legisperitis, ut dicetur in Tract. *de SS. Trinit.* n. 27, 36.

« Eadem est fides nostra et illorum, quoniam hoc illi crediderunt *facturum*, quod nos credimus *factum*... Tempora variata sunt, non fides...; mutatus est sonus, *venturus est, venit;* eadem tamen fides utrosque conjungit, et eos qui venturum esse, et eos qui eum venisse crediderunt. » S. August. Epist. *ad Opt.* 157; *in Joan.* Tract. 45. — Propterea S. Irenæus, *Hæres.* lib. 4, c. 13, S. Greg. Naz. *de Mach.* Orat. 15, Eusebius, *Hist.* lib. 1, c. 4, dicunt omnes fideles ab origine mundi fuisse vere *christianos*.

PROPOSITIO II

76. — *Secundarii articuli fidei ab Adamo usque ad Christum et Apostolos inclusive creverunt simpliciter.*

Hanc sententiam expresse tenent plerique auctores contra

quosdam, qui a cæteris dissentire videntur tantum quoad modum loquendi.

Etenim 1° ex Scriptura patet Deum Adamo, Abrahæ, Moysi, David, aliisque prophetis, et præsertim in novo Testamento per Christum et Apostolos multa revelasse, quorum non pauca non continentur in quatuor principalibus articulis, n. 73, sed sunt totidem novæ propositiones ac revelationes distinctæ ab omni alia priori revelatione; ergo, etc.

2° Ex sententia contraria sequeretur, revelatione semel facta de Deo infinite perfecto atque providente hominibus supernaturalia auxilia per Mediatorem, jam quamlibet aliam proprie dictam revelationem repugnare. Porro hoc absurdum videtur; siquidem innumera sunt objecta contingentia, quæ esse possunt vel non esse, illæsa veritate revelationis de existentia Dei, et de ejus providentia per Christum, et quæ ideo in his duobus nequidem virtualiter continentur : sic, ad principalium articulorum veritatem, non magis pertinet quod Messias nascatur ex Abrahamo, quam ex alio, nec quod sint septem potiusquam tria, vel quatuor Sacramenta. Ergo talium et aliorum similium revelatio nova fidei dogmata constituit.

Et vero, qui contrariam sententiam propugnare videntur, dicunt fidem *implicitam* semper et in omnibus fuisse de tota fidei materia, vel quia fideles antiqui parati essent ad credendum omnia objecta, quæ substare possent divinæ auctoritati revelanti; vel eo sensu quo fideles dicuntur credere omnia quæ credit Ecclesia, quamvis illa ignorent; vel quia credebant principia quædam, ex quibus fluunt veritates postea in se revelatæ; vel denique quia credebant veritates singulares in universalibus in se revelatis et creditis; vide S. Th. 2. 2, q. 1, a. 7, Suarez, *de Fide*, disp. 2, sect. 6, n. 2, 6; De Lugo, *de Fide*, disp. 3, sect. 5 : porro fides implicita, in aliquo ex illis modis intellecta, semper et in omnibus fuit de tota materia fidei, ut patet, omnesque illud fatentur.

Unde controversia in re præsenti est mera quæstio de nomine, atque provenit ex eo quod alii vocem *implicitam*

in stricto et proprio sensu intelligunt, n. 18, 19 ; alii vero in sensu latiori et valde improprio.

77. — Hinc, juxta omnes, eadem fuit priorum hominum fides cum nostra, tum ratione habitus infusi ; tum ratione motivi, quo parati erant ad credendum quidquid Deus esset revelaturus ; tum ratione præcipuorum articulorum, in quibus aliquo modo cæteri continebantur ; tum denique in quantum per anticipationem credebant saltem in fide majorum, Mediatorem daturum esse Sacramenta et præcepta ; ac proinde vero sensu dici potest, uti volunt Thomistæ, totam œconomiam Revelationis contineri in revelatione facta Adamo et Patriarchis, eamdem semper fuisse fidem et Ecclesiam, omnesque fideles ante Christum fuisse vere Christianos.

PROPOSITIO III

78. — *A tempore Christi et Apostolorum, articuli fidei publicæ non creverunt simpliciter, sed tantum secundum quid.* Ita omnes.

Et quidem 1° non *simpliciter*, n. 72. Nam revelatio dogmatum ad publicam utilitatem pertinentium, completa fuit per Apostolos, juxta hæc et alia similia : « Paracletus autem Spiritus Sanctus... vos docebit *omnia* et suggeret vobis *omnia quæcunque dixero vobis... omnia* quæcunque *audivi* a Patre meo, *nota feci vobis.* » Joan. 14, ℣ 26 ; 15, ℣ 15.

Et revera, nullus est articulus fidei publicæ, nisi ab Ecclesia proponatur, n. 53 : porro Ecclesia a Christo instituta est ad infallibiliter docendam tantum revelationem per Christum et Apostolos consummatam, ex dictis in Tract. *de Eccl.*, n. 1, 37, 39, 57, 58, et in Tract. *de Loc. Theol.* n. 18, 23, et in hoc Tract., n. 36, 44. Propterea doctrina catholica dicitur etiam *Apostolica.*

Idem confirmatur declaratione Conc. Trid., sess. 6, in fine procemii, et sess. 13, in initio decreti de Eucharistia, ubi affirmat « se non aliud intendere, quam *exponere* omnibus Christi fidelibus veram sanamque doctrinam... *quam*

sol justitiæ, Christus Jesus, fidei nostræ auctor et consummator, *docuit*, Apostoli *tradiderunt*, et Ecclesia Catholica, Spiritu Sancto suggerente, perpetuo *retinuit*. »

2° Sed *secundum quid* creverunt articuli fidei, n. 72. Ecclesia enim, occasione præsertim hæreseon, per varias definitiones multos fidei articulos et traditiones clarius explicavit; quædam certo esse revelata pronuntiavit; plures revelationes ad objecta particularia, tanquam implicite revelata, extendit. Ergo sub hoc triplici respectu creverunt fidei dogmata.

Sic quæstiones de Semipelagianismo, de tempore visionis beatificæ, de inspiratione librorum deuterocanonicorum, de conceptione immaculata B. Virginis, de infallibili magisterio S. Pontificis, fuerunt olim inter ipsos Catholicos controversæ; nunc vero, post Ecclesiæ definitionem de illorum formali revelatione, ab omnibus de fide creduntur; atque ideo in his et aliis similibus fides publica transiit ex implicita in explicitam, ex simpliciter divina in catholicam.

79. — *Quæritur* 1° an Apostoli *explicita fide* crediderint omnia dogmata ad *substantiam* mysteriorum pertinentia, quæ ab Ecclesia definita sunt, et forte definientur?

Resp. Affirmative, ex communi Theologorum sententia, atque adeo contrarium ut temerarium reprobandum foret, ait Suarez, *de Fide*, disp. 2. sect. 6, n. 10. Hoc infertur ex dictis, n. 78; aliunde, Apostoli fuerunt magistri fidei novi Testamenti, propter quod fides Ecclesiæ dicitur fundata super fidem Apostolorum; et ideo fides non potest esse magis explicita in Ecclesia, quam in Apostolis fuerit. Vulgo affirmatur Apostolos hanc plenitudinem fidei explicitæ in die Pentecostes accepisse.

Particulares autem mysteriorum *circumstantias* successu temporis plenius cognoverunt, prout necessitas postulabat; similiter, in universali tantum propositione eis revelatæ sunt propositiones circa *facta particularia*, quæ tempore Apostolico nondum evenerant. Sic S. Petrus, per visionem, didicit Gentiles æque ac Judæos ad fidem Christi jam per-

tinere; Apostoli primum aliquatenus dubitaverunt de abrogatione circumcisionis et observantiarum veteris legis, Act. 10, 15; S. Joannes in Apocalypsi multa intellexit de futuris, quæ aliis non fuere revelata; et fortasse multa ex iis certo et explicite non intelligentur, donec impleantur.

80. — *Quæritur* 2° an apud *fideles* variorum dogmatum notitia, pro variis temporibus, *magis vel minus distincta* esse possit?

Resp. Affirmative. « Nulla enim certa regula præscribi potest, ait De Lugo, ut vel priora, vel posteriora semper secula præferamus in hac explicita rerum notitia; cum, alternantibus vicibus, aliquando hoc seculo major lucis splendor affulgeat, aliquando minor, providente Deo suis temporibus Doctores Ecclesiæ suæ, prout necessitas et divinæ providentiæ ordo exigit. » *De Fide*, disput. 3, sect. 5.

81. — *Quæritur* 3° an punctum aliquod ab Ecclesia definitum, possit ita *obscurari*, ut ipsi doctiores amiserint ejus memoriam, et desierit obligatio in Ecclesia illud credendi fide explicita?

Resp. Negative, contra plures, qui rem fieri posse senserunt, illæsa Ecclesiæ firmitate et immutabilitate. Etenim 1. Ecclesia est immutabilis in sua doctrina : porro hæc immutatur per oblivionem de qua agitur; siquidem talis oblivio contradictoriam veritatis definitæ propositionem implicare videtur. Sic, v. g., definitum est *liberum hominis arbitrium esse fidei dogma :* porro, ex illius definitionis oblivione, dici posset : *liberum hominis arbitrium non est fidei dogma.*

2. Pius VI, Bulla *Auctorem fidei,* ut hæreticam damnavit primam Synodi Pistoiensis propositionem, quæ, more Jansenistarum, asserebat postremis hisce seculis sparsam esse generalem *obscurationem* circa *veritates gravioris momenti* spectantes ad Religionem, et quæ sunt *bases fidei,* et moralis doctrinæ Jesu Christi ; » porro sententia, de qua agi-

tur, huic errori viam aperit, eique favet. Etsi enim propositio damnata ad quasdam tantum veritates restringeretur, nihilominus practice evertitur circa plura auctoritas et permanens infallibilitas Ecclesiæ.

Unde ad summum dici potest, ita obscurari et deleri posse alicujus definitionis notitiam, ut jam plerique illam ignorantes, bona fide errarent circa objectum definitum.

CAPUT III

DE MOTIVO SEU FORMALI OBJECTO FIDEI

Dicemus 1° de illius motivi essentia, 2° de lumine quo cognoscitur, 3° de mediis quibus ad ejus applicationem deducimur.

ARTICULUS PRIMUS

De motivi seu objecti formalis Fidei essentia.

82. — *Quæritur* quid sit fidei motivum seu objectum formale?

Resp. Motivum fidei est illud, *quod cognitum et quatenus cognitum nos movet ad assentiendum veritatibus revelatis quatenus revelatis.*

Dicitur 1° : *quod cognitum quatenus cognitum nos movet.* Scilicet, motio duplici modo causari potest, vel per impulsionem proprie dictam, vel per cognitionem rationum aliquid operandi : si prius, causa impellens vocatur causa *efficiens;* si posterius, causa impellens seu ratio cognita nuncupatur *motivum, causa formalis :* porro 1. ratio quæcumque est quid cognitum, alioquin non esset proprie ratio ; 2. ratio quælibet non movet per impulsionem proprie dictam, sed tantum quatenus est cognita ; et ideo motivum fidei est illud, quod cognitum quatenus cognitum nos movet ; sic, v. g., assentimus veritati rationali propter convenientiam inter duos terminos quatenus evidenter cognitam ; diligimus Deum ex charitate propter infinitam Dei amabilitatem quatenus cognitam. In hoc motivum fidei discrepat a fidei habitu seu a lumine infuso, quod movet

intellectum ut causa efficiens, per impulsionem proprie dictam, et nullo modo ut quid cognitum, cum illius luminis seu habitus nullam habeamus conscientiam, n. 7, 87.

Dicitur 2° *ad assentiendum:* quo verbo duo exprimuntur, nempe, 1. motum, quem causat motivum, esse intellectualem ; 2. motivum proinde non movere voluntatem, nisi mediante ipsius cognitione per intellectum.

Dicitur 3° : *veritatibus revelatis quatenus revelatis;* quibus indicatur objectum materiale, ad quod movet motivum divinæ fidei ; et in hoc fidei motivum distinguitur a motivo sive humanæ fideì, sive naturalis evidentiæ, sive intuitivæ visionis.

Scilicet, 1. motivum fidei *humanæ* nos movet ad assentiendum alicui veritati aut facto, quatenus *ab homine testificato;* 2. motivum *evidentiæ naturalis* nos movet ad assentiendum alicui veritati aut facto, vel quatenus convenientia inter duos veritatis terminos ratione percipitur, vel quatenus facti existentia constat aut sensu intimo, aut memoria, aut sensuum perceptione, aut inductione; 3. tandem motivum *visionis intuitivæ* nos movet ad assentiendum veritatibus quidem a Deo revelatis, sed quatenus in se, ope luminis gloriæ, clare perceptis; 4. motivum vero fidei divinæ nos movet ad assentiendum veritatibus aut factis a Deo revelatis, quatenus a Deo revelatis seu testificatis.

Motivum nuncupatur *formale* objectum, eo quod quasi induit et informat objectum materiale, ita ut hoc ab intellectu et voluntate *uti a Deo revelatum* non apprehenderetur, nisi indueretur illa ratione seu motivo.

83. — Jam vero plures exstant errores circa elementa illius motivi constitutiva. Quippe quidam sentiunt nullum aliud admittendum esse intellectualis assensus motivum. quam perceptionem claram seu evidentiam naturalem ; ita Manichæi, Abelard, et hodierni Rationalistæ. Isti siquidem nomine *revelationis* intelligunt eam manifestationem divinarum perfectionum, quæ elucet in creaturis, ut dictum est in Tract. *de Revel.*, n. 32 ; nomine autem *fidei* intelli-

gunt assensum qualemcunque per inspirationem vel enthusiasmum quemdam.

Alii vero putant habitum fidei infusum id præstare circa veritates revelatas, quod evidentia circa naturales veritates; ac proinde habitum illum, seu lumen fidei per modum habitus infusum, esse divinæ fidei motivum.

Alii asserunt summam Dei perfectionem in essendo, utpote fontem divinæ veracitatis primarium, esse ultimum divinæ fidei motivum.

Alii auctoritatem Ecclesiæ ut motivum saltem partiale fidei habent. Itaque

PROPOSITIO

84. — *Motivum fidei est Dei revelantis veracitas.* De fide est.

Prob. 1° *Script.* Veracitas Dei est ejus infallibilitas in cognoscendo et in dicendo, ita ut unquam nec falli possit, nec fallere : porro utraque hujusmodi infallibilitas sæpe in Scriptura designatur tanquam credendi motivum : « Amen, amen dico tibi, quia quod *scimus, loquimur,* et quod *vidimus, testamur,* et *testimonium nostrum non accipitis.* Qui accipit ejus *testimonium,* signavit quia Deus *verax* est... Qui me misit, *verax* est, et ego, *quæ audivi* ab eo, *hæc loquor* in mundo. » Joan. 3, ℣ 11, 33; 8, ℣ 26. In his verbis clare dicitur Deo loquenti credendum esse propter ejus testimonium, et hoc testimonium esse accipiendum propter Dei veracitatem ; ergo Dei veracitas est divinæ fidei motivum.

2° *Traditione.* Conc. Vatic., sess. 3, c. 3, declarat « *fide,* quæ humanæ salutis initium est, a Deo revelata vera esse nos credere, *non propter intrinsecam rerum veritatem* naturali rationis lumine perspectam, sed *propter auctoritatem ipsius Dei revelantis,* qui nec falli, nec fallere potest. » Idem definitur can. 2 ejusdem capitis ; unde propositio fide catholica tenenda est.

3° *Ratione.* Ad fidei assensum veracitas Dei requiritur et sufficit. Et quidem 1. *requiritur.* Namque, si Deus supponatur summe veridicus, sed falli queat, jam non erit impossibile quod pro vero et certo habeat falsum aut du-

bium, ideoque nos in errorem inducat; ergo, ad divinæ fidei assensum, requiritur Dei infallibilitas *in cognoscendo*.

Similiter, quantumvis omniscius supponatur Deus, si aliquid contra mentem suam dicere posset, jam ejus testimonio firmum assensum semper et pro semper præbere non possemus; ergo, ad divinæ fidei assensum, infallibilitas Dei non solum in cognoscendo, sed etiam *in dicendo* requiritur.

2. *Sufficit* autem. Nam, ubi constat Deum revelantem nec falli, nec fallere posse, eo ipso certiores sumus de veritate propositionis a Deo enuntiatæ; ergo, ut tali propositioni quatenus revelatæ assentiamus, sufficit Dei veracitas.

85. — *Obj.* 1° Ratio non adhæret veritatibus revelatis, nisi quia clare percipit motivum talis adhæsionis : atqui hoc nihil aliud est quam assentire propter evidentiam rationalem; ergo evidentia rationalis est ultima ratio assensus fidei.

Resp. Nego min. Etenim perceptio motivi est quidem conditio sine qua motivum non moveret intellectum ad assensum fidei; at hujusmodi assensus non præstatur nisi propter vim ipsius motivi seu veracitatis divinæ; et ideo evidentia naturalis non est motivum fidei, etsi istud motivum non moveat intellectum, nisi quatenus ratione percipitur.

Revera aliud est *scire* seu videre, aliud *credere* : prius competit demonstrabilibus ex convenientia intrinseca; posterius vero, iis quorum veritas nititur testimonio humano vel divino : atqui veritates revelatæ, quatenus revelatæ, essentialiter nituntur testimonio Dei seu veracitate divina; ergo eis assentimus propter illud testimonium, non vero propter earumdem evidentiam.

86. — Cæterum ratio multum confert ad actum fidei, ex dictis in Tract. *de Loc. Theol.*, n. 100 et seq. Siquidem rationis ope apprehendimur tum ipsos revelatæ propositionis terminos, quorum supernaturalis convenientia nos latet; tum ipsum fidei motivum, ut infra, n. 94; tum ipsius revelationis factum et motiva, quibus constat illud factum, ex dicendis n. 105; tum denique aliqualem inter revelatæ propositionis terminos congruentiam. Unde gravis profecto momenti, imo plane necessarius est rationis concursus ad actum fidei sive divinæ sive catholicæ.

87. — *Obj.* 2° Habitus fidei nos impellit ad assensum fidei : atqui hoc sufficit ad hujusmodi assensum; ergo ad actum fidei non est alia causa sive motivum, quam fidei habitus.

Resp. 1. *Dist maj.* Habitus fidei ad fidei assensum nos impellit uti causa *efficiens*, *conc.*; uti causa *motiva*, *nego*. Etenim ut jam dictum est, n. 82, motivum quodlibet est quid cognitum et quatenus cognitum movens intellectum aut voluntatem : atqui de habitu fidei non sumus conscii; ergo talis habitus non est fidei motivum. Et vero, si habitus infusus sit motivum fidei, eo ipso vera fides a falsa per internos instinctus, sive gustus, sive radios distinguitur, sicque fanatismo omnibusque illuminismi deliramentis, sub nomine Spiritus Sancti, via latissime patet, ut dictum et in Tract *de Eccl.* n. 239, 246. Hoc aliunde damnatum est a Conc. Vatic., sess. 3, can. 3 : « Si quis dixerit... *inspiratione privata* homines *ad fidem moveri debere :* anathema sit. »

2. *Nego minor.* Namque, juxta omnes Theologos et Philosophos alicujus nominis, *credere* est assentire propter *auctoritatem* loquentis : atqui habitus fidei est dispositio intellectus credentis, et ideo causa *efficiens* fidei, non autem loquentis veracitas, nec proinde causa *motiva*.

88. — *Obj.* 3° Veracitas divina non est motivum fidei, si ultimate resolvatur in summam Dei perfectionem in essendo : atqui ita est, siquidem Deus veritas est in loquendo, quia est summe perfectus in essendo, et ideo ultimate credimus Deo revelanti propter ejus summam perfectionem; ergo veracitas divina non est fidei motivum.

Resp. Nego maj. Etenim summa Dei veracitas præbet sufficiens motivum assensus, præciso per mentem quolibet alio attributo; ita ut, si per impossibile, Deus esset summe verax, non autem omnipotens, aut æternus, ei tamen fides esset adhibenda; ergo summa Dei perfectio est quidem ratio ultima cur Deus sit summe verax, non autem ratio formalis seu motivum assensus nostri.

Revera, quamvis Deus sit ens simplicissimum, ejusque perfectiones realiter non distinguantur ab invicem, tamen earum effectus ad extra sunt diversi, et ideo illas perfectiones nonnisi per conceptus realiter distinctos intellectus noster apprehendit; et exinde singulæ virtutes theologicæ habent diversa motiva, quibus ab invicem discrepant. Sic non assentimus Deo revelanti, quia Deus est omnipotens, aut immensus, aut

infinite bonus; hæc enim attributa per se non ostendunt veritatem in revelata propositione, nec ideo per se ad credulitatem movent.

89. — *Obj.* 4° Auctoritas Ecclesiæ nobis revelationem testificantis est motivum fidei saltem partiale, si revelatæ propositioni assentiamus propter testimonium tum Ecclesiæ, tum ipsius Dei : atqui ita est; ergo auctoritas Ecclesiæ est saltem partiale fidei motivum.

Resp. Nego minor. Auctoritas Ecclesiæ est quidem *conditio sine qua* motivum fidei catholicæ non posset intellectui applicari, sed non est ullomodo hujusmodi motivum. Etenim aliud est credere hoc vel illud dogma esse a Deo revelatum, aliud autem credere idem dogma quatenus a Deo revelatum esse verum : atqui propter auctoritatem Ecclesiæ credimus quidem Deum tale vel tale dogma *revelasse;* sed nonnisi propter Dei veracitatem credimus idem dogma sic a Deo revelatum esse *verum;* ergo sola Dei veracitas est fidei motivum; n. 111.

90. — *Quæritur* autem an ipsa *revelatio* sit divinæ fidei *partiale motivum*, an vero solum *conditio sine qua non?*

Resp. Controvertitur. 1° Alii quippe asserunt revelationem seu manifestationem divini conceptus per signi Deo extrinseci exhibitionem, esse partiale fidei motivum, ideoque actum fidei sic esse enuntiandum : *Credo, quia Deus dixit, et est infinite verax.* Ita Suarez, de Lugo, Simonet, Kilber, Antoine, etc.

Etenim 1. Scriptura non minus revocat fidem nostram ad Dei testimonium seu locutionem, quam ad veracitem. Dicitur enim : « Spiritus est qui *testificatur*, quoniam Christus est veritas; » I Joan. 5, ℣ 6. — « Si testimonium hominum accepimus, *testimonium* Dei majus est, » I Joan. 6, ℣ 9, nempe, in movendo ad credendum, ita ut fides ipso testimonio innitatur.

2. Divina veracitas non movet ad assentiendum alicui propositioni, nisi quatenus *cognoscitur* infallibiliter connexa cum hac propositione : atqui hæc connexio non cognoscitur, nisi per ejusdem propositionis revelationem; ergo hæc revelatio ad fidem movet ut quid cognitum, et ideo est fidei partiale motivum. Suarez, disput. 3, sect. 2.

2° Alii vero et quidem probabilius affirmant revelatio-

nem esse tantum conditionem, sine qua non posset applicari alicui propositioni motivum fidei, atque ideo rigorose loquendo, sic enuntiandum esse actum fidei : *Credo quia Deus, qui hoc dixit, verax est.* Ita Scotus et Scotistæ fere omnes, Thomistæ non pauci, Habert, Grandin, Henno, Dens, S. Ligorius, qui hanc sententiam communiorem asserit, lib. 2, c. 1, in fine.

Etenim 1. illud non est partiale motivum fidei, quod de se nihil movet ac determinat intellectum ad assentiendum : atqui revelatio seu ipsa alicujus propositionis affirmatio a Deo, de se non reddit intellectum certum, nec per se importat omnem inerrantiam, nec proinde per se movet intellectum ad tali propositioni assentiendum; ergo non est partiale fidei motivum.

Et vero, alicujus facti affirmatio ab homine, ad illud factum credendum non movet, bene vero hujus hominis veracitas realis aut præsumpta; ergo idem dicendum est de affirmatione ab ipso Deo homini facta.

2. Scriptura et fideles sæpe revelationem allegant, reddendo rationem fidei, eo quod revelatio connotat summam Dei veracitatem, id est, statim suscitat ejus ideam, et propterea dictum est : « Qui accepit ejus *testimonium, signavit* quia Deus *verax* est, » Joan. 3., ℣ 33; dum e contra Dei veracitas non necessario secum importat revelationem. Sic aliquis interrogatus de causa incendii, respondebit : quia Petrus ignem subjecit, quamvis non illa admotio ignis, sed vis ignis combustiva sit incendii causa.

Huic sententiæ favere videtur jam allatum Conc. Vatic. decretum, n. 84, in quo declaratur motivum fidei esse ipsammet Dei *auctoritatem* seu veracitatem.

3. Ex eo quod requiratur revelatio, ut veracitas divina sit infallibiliter connexa cum propositione de fide credenda, sequitur tantum revelationem esse conditionem, sine qua non posset veracitas divina applicari tali propositioni; non autem quod de se impellat ad revelatæ propositioni assentiendum; ergo revelatio est ad fidem proxima conditio tantum sine qua non. Aliunde contraria sententia pluribus ambagibus necessario se implicat, ex statim dicendis.

ARTICULUS II

De lumine quo cognoscitur Fidei motivum.

91. — *Quæritur* an veracitas divina quatenus fidei motivum, et ipsamet revelatio, si reapse sit fidei motivum partiale, cognosci debeant per *ipsam revelationem*, atque ideo *credi per lumen fidei infusum?*

Resp. Circa hujusmodi haud parum difficilem quæstionem plures in lucem proditæ fuerunt sententiæ, Scilicet, 1. alii putant, ut veracitas divina aut etiam revelatio, sint fidei motivum, omnino requiri quod cognoscantur et credantur per ipsam revelationem et ex fidei lumine infuso.

Unde, juxta illos, omnis assensus alicui veritati uti revelatæ, tres actus fidei realiter omnino distinctos implicat, nempe, actum quo, ex revelatione et lumine infuso, creditur Deum *esse summe veracem;* actum quo, ex revelatione et lumine infuso, creditur Deum esse *revelantem* aliquid; actum denique quo, ex revelatione et lumine infuso, creditur ipsa propositio revelata, v. g., *Deus est trinus.* Hic tertius assensus duobus prioribus innititur, atque actus fidei potissimum appellatur. Ita Suarez, disput. 3, sect. 6, n. 4, 5; Kilber, Antoine, Dens, etc.

2. Alii vero sentiunt veracitatem divinam, quatenus fidei motivum, cognosci ex evidentia naturali et simul ex habitu infuso vel fidei, juxta De Lugo, vel sapientiæ supernaturalis, juxta Ripalda.

Ipsa autem revelatio, quatenus partiale fidei motivum, applicatur intellectui vel quia credibilitatis motiva, miracula scilicet, documenta Pastorum, apprehenduntur tanquam verba et voces ipsius Dei, ait De Lugo, disput. 1, n. 102, 104, 105, qui in hoc recedit a communi sensu Theologorum, inquit Kilber; vel quia illa credibilitatis momenta, prout intelliguntur auxilii supernaturalis ope, componunt unum totum motivum cum ipsa revelatione, ait Ripalda, disp. 3. n. 58, 60, qui in hoc etiam multo magis recedit a communi sententia, n. 89.

3. Tandem alii, qui simul tenent veracitatem divinam esse *adæquatum* fidei motivum, n. 90, affirmant hanc vera-

citatem solo evidentia naturali cognosci, saltem ad *primum* eliciendum fidei actum, atque hoc motivum sic cognitum esse nihilominus ordinis divini, et ad supernaturalem fidei assensum sufficere.

Ita plures veteres Theologi, ut refert Suarez, disp. 3, sect, 6, n. 2. S. Thomas et ejus Schola id admittere debent, Docent enim fidem et scientiam haberi non posse de eodem objecto, n. 113; ergo, qui habent scientiam veracitatis divinæ, hanc per fidem credere non possunt; ideoque pro eis hæc veracitas, quatenus evidenter cognita, sufficit ad eliciendum fidei actum, alioquin pro illis actus fidei esset impossibilis. Hæc tertia sententia sat probabilis nobis videtur, atque sic asseritur:

PROPOSITIO

92. — *Veracitas divina, quatenus motivum divinæ fidei, ex revelatione et lumine fidei infuso credi nequit, sed, etsi lumine naturali percepta, sufficit ad actum fidei supernaturalem.*

Et quidem 1° *ex revelatione et fide infusa credi nequit.*

1. Non *ex Revelatione*. Etenim in sententia opposita, ad hoc necessario resolvitur omnis actus fidei : « Credo Deum *esse*, v. g., *trinum*, *quia* Deus hoc dixit, et, hoc dicens, verax est : *Credo* autem Deum et *hoc dicere*, et *veracem esse*, *quia* Deus utrumque simul *dicit ;* » ergo semper redit quæstio cur credendum sit Deo aliquid dicenti, vel dicenti se esse veracem ; semperque mens volvitur in eodem circulo, quin unquam sistere possit ; et quantumcunque illud explicetur, totum est ludere verbis, ait De Lugo, disp. 1, n. 82.

Et vero, omnis cognitio quæ non est intuitiva rei in se, sed fit per aliquod medium, supponit hoc medium cognitum esse sub alio cognitionis modo ; sic, in fide humana, objectum creditum, v. g., existentia Romæ, non eodem modo cognoscitur, ac veracitas hominis existentiam Romæ testificantis : porro, in fide divina, cognitio rei creditæ non est immediata, sed per veracitatem Dei rem illam testificantis obtinetur ; ergo hæc veracitas in actu fidei alio modo ac res credenda, seu non ex revelatione cognoscitur.

Quare ipse Suarez, disput. 3, sect. 6, n. 8, fatetur hoc esse magnum fidei mysterium, ut veritati revelatæ assentiamus propter Dei veracitatem etiam revelatam, et ut revelatio credatur propter seipsam in se reflexam.

2. Neç *ex infuso lumine* seu *habitu fidei*. Etenim hujusmodi habitus nihil aliud est quam habitualis et permanens assensus veritatibus revelatis ; porro assensus quilibet præsupponit suum motivum tanquam causam ; ergo motivum ad fidei assensum prius movere debeat, ut existat fidei habitus.

2° *Licet lumine naturali percepta, veracitas Dei sufficit ad eliciendum actum fidei supernaturalem.*

Namque divina veracitas in se sumpta est infinita, et ut talis sumitur in motivo fidei, seu uti veracitas absoluta atque summa : atqui motivum ex se infinite efficax, per se sufficit ad actum ordinis quantumcunque supernaturalis ; ergo veracitas divina, etiam lumine naturali cognita, sufficit ad actum fidei supernaturalem.

Revera, motivum fidei non est ipsa naturalis *cognitio* veracitatis divinæ ; sed hæc *veracitas cognita* ; siquidem in omni assensu propter auctoritatem loquentis, hujus veracitatis cognitio est tantum conditio, sine qua veracitas loquentis non applicaretur intellectui credenti ; ergo, hac applicatione per cognitionem divinæ veracitatis facta, hæc veracitas vi sua ex se absoluta, infinita, et ordinis vere superioris, haud secus ac ipse Deus, movet ac determinat assensum, qui proinde superioris est ordinis ex parte talis motivi etiam per cognitionem rationalem applicati. Sic, qui æquali evidentia cognoscit Petrum nunquam mentiri, Paulum vero quandoque, tamen non cum æquali firmitate credit rem a Paulo, ac rem a Petro testificatam ; ergo non vercitatis cognitio, sed veracitas cognita est fidei motivum.

93. — Hinc 1. divina veracitas per lumen naturale cognita, *supernaturale* est motivum, in quantum rei natura patitur.

Namque *primus* actus fidei est transitio ab ordine rationis ad fidei ordinem : atqui transitio utrumque extremum

attingere debet, alioquin non esset vera transitio; ergo actus fidei pro motivo habere debet aliquid, quod attingat, ex parte luminis, ordinem rationis, et simul ordinem divinum ex parte essentiæ ipsius motivi. Revera aliquid natura sua obscurum credi nequit, nisi propter aliud evidens.

Dixi : *primus* fidei actus. Ipsa enim revelatio et veracitas divina sunt etiam formaliter revelatæ; et ideo talis actus fidei elici potest, cujus objectum materiale sit ipsa revelatio, vel ipsa divina veracitas, quatenus in se revelata; et cujus motivum sit hæc eadem revelatio et veracitas, quatenus naturali lumine cognoscuntur.

At, hujusmodi actu semel elicito, nihil obstare videtur, quominus veracitas Dei *per fidem credita*, sumatur ut motivum actuum fidei subsequentium; sicut, in scientiis, veritas aliqua semel agnita tanquam inconcussa, sumi potest ut motivum ulterioris assensus.

94. — Hinc 2. motivum fidei est exclusive *perfectio divina* seu veracitas Dei in se sumpta.

Si enim aliquid Deo extrinsecum accederet, esset vel revelatio, vel cognitio divinæ veracitatis : atqui, ex dictis, n. 90, 92, hæc duo sunt tantum conditio sine qua intellectui non applicaretur divina veracitas, quæ sola actum fidei determinet. A fortiori idem dicendum est de motivo aliarum virtutum theologicarum.

95. — *Obj.* 1° Causa motiva ordinis naturalis supernaturalem fidei assensum determinare nequit : porro veracitas divina solo naturali lumine nota, est causa motiva ordinis naturalis; ergo supernaturalem fidei assensum determinare non potest.

Resp. Nego minor. Ex dictis enim, n. 92, 93, veracitas divina est *ex se* motivum ordinis superioris, atque supernaturale, in quantum rei natura patitur, ac proinde omnino sufficiens ad determinandum supernaturalem fidei assensum. Aliunde, per lumen fidei cognosci non potest in primo fidei assensu, quin adsit circulus vitiosus; ergo illa veracitas naturali lumine cognita sufficit ad assensum fidei.

96. — *Inst.* 1. Non adest circulus vitiosus, nisi idem affir-

metur propter idem et sub eodem respectu : atqui in actu fidei, idem non creditur propter idem sub eodem respectu, sed affirmatur *explicita* revelatio objecti materialis propter *implicitam* tantum revelationem motivi. Scilicet, sicut Deus, aliquid explicite revelando, eo ipso seu implicite affirmat se esse revelantem et quidem veraciter, cum ejus testimonium si intrinsece infaillibile; ita, qui assentit objecto explicite revelato, eo ipso movetur propter illam implicitam ipsius revelationis et divinæ veracitatis revelationem. Ergo non adest circulus vitiosus.

Resp. Nego minor. Semper enim eadem est revelatio, sive sumatur ut explicita, sive ut implicita. Et revera, qui credit rem revelatam, quia Deus simul affirmat se eam revelare, et in hac revelatione se esse veracem, nonne credit ille revelationem propter revelationem, tanquam ultimum motivum?

97. — *Inst.* 2. Multi rudiores carent naturali cognitione veracitatis divinæ, cum et docti plures eam negare potuerint; ergo credunt illi propter veracitatem divinam uti revelatione et ex lumine infuso cognitam.

Resp. Nego anteced. Etenim ad divinæ veracitatis cognitionem, sufficit idea entis perfecti : porro hæc idea in mente affulget, simul ac idea divinitatis; ergo fidelis quilibet certo ex naturali lumine cognoscit Deum esse veracem.

ARTICULUS III

De mediis, quibus ad applicationem motivi Fidei deducimur.

Ad assensum veritati revelatæ propter divinam veracitatem, tria prærequiruntur, nimirum, alicujus objecti revelatio, objecti revelati propositio, et de utraque credibilitatis motiva. De his igitur dicendum superest.

§ I

De Revelationis modo ad Fidei assensum requisito.

98. — *Quæritur* quotuplex sit revelationis *modus*, et quisnam ad fidei assensum requiratur et sufficiat?

Resp. Revelatio potest esse *interna* vel *externa*, *publica* vel *privata*, *immediata* vel *mediata*.

Porro nullus ex illis medis præ cæteris requiritur ad

fidei assensum, sed quilibet per se sufficit. Ad actum enim fidei necesse est, ut veritas sit formaliter revelata, sicque immediate cadat sub Dei testimonio : atqui veritas, quocunque ex his præfatis modis a Deo affirmetur, est formaliter revelata, et immediate cadit sub fidei motivo; ergo ad assensum fidei sufficit quilibet ex illis revelationis modis. Vide Tract. *de Revelat.* n. 44, 56.

99. — Attamen ad Dei sapientiam hominisque utilitatem pertinuit, quod homines ad fidem adducerentur per *externam, publicam* et *mediatam* revelationem. Hujusmodi enim revelationis modus genio et indoli hominum maxime accommodatur, fanatismo omnibusque illuminismi deliramentis viam præcludit, Religionis unitatem efficacius conservat; denique cum majori merito et humilitate ad fidem conducit, dum in re difficillima homo homini subjicitur, etiam quoad intellectum, in quo solet esse major difficultas. Hæc evoluta sunt in Tract. *de Revelat.* n. 56, et diserte exponit Suarez, *de Fide*, disput. 4, sect. 1.

Objectiva illa revelatio, seu *revelationis lumen*, sedulo distinguenda est tum a revelatione subjective seu lumine fidei, n. 5, tum ab auxilio speciali fidei quo indigemus ad assentiendum ipsis credibilitatis motivis, n. 109.

§ II

De revelati objecti propositione ad Fidei assensum prærequisita.

100. — *Quæritur* 1° *quid sit fidei propositio*, et *quotuplex?*

Resp. Propositio fidei est *revelatio mediata*, seu affirmatio veritatis revelatæ quatenus revelatæ apud eos, quibus Deus immediate non est locutus. Unde ab ipsa revelatione differt, in eo quod hæc sit affirmatio veritatis ab ipso Deo supernaturaliter facta; dum propositio fidei sit ejusdem veritatis jam a Deo testificatæ affirmatio pro iis, qui Deum revelantem non audierunt. Licet igitur nova non minime fiat revelatio in publicam utilitatem, novæ tamen in dies sunt propositiones fidei.

2. Duplex est revelatæ veritatis propositio, alia *publica*,

alia *privata :* prior fit ab infallibili Ecclesiæ auctoritate, atque respicit *totam* fidelium societatem, cui aliquid tanquam a Deo revelatum, et ideo fide catholica credendum proponitur ab Ecclesia catholica.

Posterior vero fit per Pastores, Parochos, Catechistas, parentes aut alios privatos, cum illi idem objectum jam ab Ecclesia omnibus propositum ut a Deo revelatum, immediate singulis individuis credendum proponunt.

Alia etiam privata propositio distingui potest, quæ scilicet non præsupponit fidei propositionem jam ab Ecclesia factam, et sufficit ad fidem simpliciter divinam, ex statim dicendis.

101. — *Quæritur* 2° an, ad fidei assensum, absolute requiratur *publica propositio* fidei?

Resp. Negative. Etenim 1. ex dictis n. 51, revelatio privata propter veracitatem divinam credi potest sine propositione facta ab Ecclesia; ergo idem verum est etiam de revelatione publica, si sufficientibus motivis proponatur.

2. Ecclesiæ auctoritas intervenit non uti fidei motivum, n. 111, sed ut medium certo veritates revelatas dignoscendi : atqui hoc medium per alia suppleri potest, v. g., per miracula, prophetias et similia motiva, quæ in aliqua prædicatione interveniunt.

3. In lege naturæ, plerique credebant ex solis parentum documentis, eaque domestica auctoritas ad dogmata numero paucissima transmittenda sufficiebat. Similiter plures Moysi aliisque prophetis crediderunt, antequam eorum prophetiæ ab Ecclesia reciperentur et proponerentur; ergo publica propositio fidei absolute non requiritur.

102. — *Quæritur* 3° an, in præsenti rerum statu, auctoritas saltem *humana* Ecclesiæ sit medium commune et ordinarium ad fidei assensum?

Resp. Affirmative. Etenim miraculum quidem, ut diximus, n. 51, est certum divinæ revelationis signum. At hujusmodi signum non est in ordinario Providentiæ cursu, et tamen omnes vocantur ad fidem; ergo aliud medium com-

mune et ordinarium requiritur : porro auctoritas Ecclesiæ, etiamsi ut mere humana consideretur, præcellit aliam quamlibet auctoritatem humanam, atque per eam facile et tuto habere possumus notitiam monumentorum multiplicis generis, quibus de revelatione divinitus facta constet. Vide Tract. *de Revel.*, n. 25.

103. — *Quæritur* 4° an, ad *catholicæ* fidei assensum, absolute necessaria sit propositio per *divinam* Ecclesiæ auctoritatem ?

Resp. Affirmative. Namque fides dicitur catholica, in quantum complectitur omnia dogmata revelata ab omnibus credenda : porro, humana Ecclesiæ auctoritas sufficit quidem ad certitudinem obtinendam circa facta, quibus constat de revelationis existentia et de dogmatibus clare et nitide contentis in Scriptura et Traditione; at sufficere non potest ad obtinendam certitudinem circa singula, et multo minus ad omnes adunandos in unam fidem, præsertim quando surgunt hæreses, ut patet ex multiplici divisione sempiternaque confusione apud sectas, quæ infallibilem Ecclesiæ auctoritatem rejiciunt; ergo hæc divina auctoritas absolute necessaria est ad fidem catholicam. Hoc fusius probatum manet in Tract. *de Eccl.*, n. 37, 39, 50, 57, 58, 64.

Nec sane adest circulus vitiosus, in eo quod fides catholica nitatur in Ecclesiæ infallibilitate, quæ et ipsa fide catholica creditur.

Siquidem, ope monumentorum historicorum, demonstratur divina Ecclesiæ auctoritas, quæ ideo tunc creditur fide divina tantum, ut actum est in decursu Tract. *de Eccl.*, n. 27, 28. Deinde vero hanc Ecclesiam de sua auctoritate loquentem audimus, et hanc auctoritatem sic definitam fide catholica credimus : porro in hoc ne umbra quidem adest circuli vitiosi.

104. — *Quæritur* 5° an, ut quisque cognoscat propositionem fidei catholicæ, necessaria sit *privata* fidei propositio ?

Resp. Affirmative. Ecclesia enim, definiendo seu propo-

nendo revelata dogmata, non immediate singulis loquitur, nec loqui potest; ergo ejus definitiones non cognoscunt singuli homines, nisi mediantibus Pastoribus, Parochis, Catechistis, parentibus aut aliis privatis.

§ III

De credibilitatis motivis.

105. — *Quæritur* quid sint *credibilitatis motiva?*

Resp. Hæc motiva sunt momenta, quibus *unicuique constat* objectum aliquod reipsa *fuisse a Deo revelatum*, et ideo quibus persuademur illud objectum esse *credibile* et *credendum*, seu illi assensum fidei præstari *posse* ac *debere*.

Videlicet, ex dictis, n. 98, 103, 104, ad divinæ fidei assensum, prærequiritur revelationis factum; ad catholicæ autem fidei actum, necessaria est tum publica veritatis revelatæ propositio ab Ecclesia, tum hujus propositionis publicæ privata attestatio: porro momenta quibus constant sive factum revelationis ad fidem simpliciter divinam, sive, ad fidem catholicam, divina Ecclesiæ auctoritas in publica fidei propositione, sive veracitas privatorum in propositione fidei privata, dicuntur *credibilitatis motiva*.

In duplici propositione statuemus motivorum credibilitatis necessitatem, et eorumdem notitiam ad assensum fidei prærequisitam.

PROPOSITIO PRIMA

106. — *Ad fidei assensum, ordinarie prærequiruntur credibilitatis motiva externa.* De fide est.

Hoc patet ex ipsa illorum motivorum notione. Sed etiam constat 1° *Script.:* « Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos *rationem* de ea, quæ in vobis est spe; » I Petr. 3, ỷ 15. — *Qui credit cito, levis corde est;* Eccli. 19, ỷ 4. Idem confirmatur ex agendi ratione Christi et Apostolorum, qui semper ostendebant cur credenda essent, quæ prædicabant.

2° *Traditione.* Res sic definita est a Conc. Vatic., sess. 3, cap. 3, can. 3 : « Si quis dixerit, revelationem divinam *externis signis credibilem fieri non posse*, ideoque *sola interna*

cujusque *experientia* aut *inspiratione privata* homines *ad fidem moveri debere* : anathema sit. »

3° *Ex natura hominis*, qui sine motivo factum Revelationis credere non potest ; « Nemo credit, nisi prius cogitet *esse credendum* ; » S. August., *de Prædest. Sanct.*, c. 2. — « Non crederet intellectus, *nisi videret* ea *esse credenda* vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi ; S. Th., 2. 2, q. 1, a. 4, ad 2. Et revera facultas rationis primario nobis donata est, ut veram religionem recognoscamus : porro ab hoc officio prorsus removeretur, si ad fidei assensum credibilitatis motiva non essent prærequisita.

4° *Ex natura assensus* fidei, qui debet esse 1. *rationalis* : quisque enim, veritati revelatæ assentiendo, agere debet modo rationi consentaneo, ut patet ; 2. *meritorius*, cum sit actus liber et supernaturalis, ex dicendis in Tract. *de Gratia*, c. 5 ; — 3. *ex se invincibilis*, juxta illud : « licet Angelus de cœlo evangelizet vobis *præterquam quod evangelizavimus* vobis, *anathema sit* ; » Galat. 1, ℣ 8 : porro talis esse nequit veritati revelatæ quatenus revelatæ assensus, qui sine rationabili motivo de ipsius revelationis existentia eliceretur ; ergo, ad fidei assensum, requiruntur credibilitatis motiva. Aliunde talis est dignitas et excellentia fidei, ut, nedum rationem extinguat, eam e contra elevet ac perficiat.

Dixi : *ordinarie*, quia, ut ait S. Thomas, *Quodlib.* 2, a. 6, quamvis *ordinarie* fides fiat credibilis per miracula et alia signa *externa*, nihilominus *sine illis* potest Deus *per vocationem internam* propositionem complere. »

PROPOSITIO II

107. — *Ad Fidei assensum requiritur motivorum credibilitatis notitia, qua certo judicemus objectum esse reapse a Deo revelatum.* De fide est.

Prob. 1° *Script.* Dicitur enim : « Testimonia tua *credibilia* facta sunt *nimis* ; » Ps. 92, ℣ 5 : atqui particula *nimis* non videtur significare minorem quam evidentem credibilitatem. Similiter de iis, qui non credebant, ait Christus ; *Nunc autem excusationem non habent* ; Joan. 15, ℣ 22 : at-

qui, si sufficeret probabilitas, et si probabilitatem tantum generarent motiva fidei, excusationem haberent, qui non credunt, quia sequerentur aliud judicium probabile, quo putarent probabiliter hæc mysteria non esse revelata; ergo, ad fidei assensum, requiritur et possibilis est credibilitatis certitudo.

2° *Traditione*. Constat enim ex hujus propositionis damnatione ab Innoc. XI: « Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem, stare potest *cum notitia saltem probabili Revelationis*, imo *cum formidine* qua quis formidat, *ne non sit locutus Deus*. »

Idem sic definitur a Conc. Vatic., sess. 3. can. 6.: « Si quis dixerit, parem esse conditionem fidelium atque eorum, qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut *catholici justam causam habere possint*, *fidem*, quam sub Ecclesiæ magisterio jam susceperunt, *assensu suspenso in dubium vocandi*, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suæ absolverint; anathema sit: » porro, si ad fidei assensum sufficeret mera probabilitas circa revelationis factum, sane, supervenientibus contrariis conjecturis, catholicus justam haberet causam fidem, assensu suspenso, in dubium vocandi; ergo ad fidei assensum certitudo requiritur de revelationis facto.

3° *Ratione*. Ipse fidei assensus, ob infallibilitatem motivi, quo nititur, adeo debet esse firmus, ut parati simus mortem potius subire, quam ab illo discedere: atqui prudenter præstari non posset talis assensus, nisi certum judicium præcederet de ipsa objecti revelatione seu credibilitate; ergo, etc.

Propterea ipse Deus, quando extraordinarie mittit prædicatores, dat eis potestatem faciendi signa et mirabilia, quibus possint res demonstrare uti sufficienter credibiles; atque Theologi sedulo incumbunt, probando objecta fidei nostræ esse evidenter credibilia.

Cæterum, ubi adest tantum probabilitas circa Revelationis factum, suspendendo assensum, Deum honoramus, cum tunc eo præcise fine nolumus credere propter divinam veracitatem, id quod fortasse falsum est.

108. — *Quæritur* 1° an, ad fidei assensum, sufficiat credibilitatis certitudo *respectiva*, an *absoluta* requiratur?

Resp. Controvertitur. Videlicet, *absoluta* certitudo ea est, quæ tot tantisque motivis nititur, ut ista penetrata et ponderata, sufficiant respectu *cujuslibet intellectus* etiam sagacis et acuti, ad ingerendam cognitionem credibilitatis et revelationis existentis, et ad excludendum omne dubium et prudentem formidinem de opposito.

Respectiva autem dicitur, quæ nititur motivis talibus vel ita consideratis, ut ea satis sint ad cognitionem, quæ excludat omnem de opposito prudentem formidinem, non quidem respectu intellectus cujuscunque, sed *talis* vel *talis personæ*, ratione particularis dispositionis, v. g., quia vel puer est, vel idiota, vel non admodum sagax, qui nequeat omnia rite perpendere.

Porro, inter auctores, 1° alii negant sufficere respectivam certitudinem, sed absolutam requiri contendunt; ita Suarez, Cajetanus, d'Argentré, Contenson, Billuart, et Thomistæ non pauci.

Namque fidei assensus non potest esse invincibilis, nisi revelationis factum unicuique constet certitudine proprie dicta, quæ excludat non solum actualem, sed et radicalem formidinem ne non sit locutio Dei : atqui hujusmodi certitudo deficit in eo, qui non participat aliquo modo ipsam evidentiam motivorum credibilitatis, cum sufficiat mutatio circumstantiarum, loci, personarum, ut etiam prudenter amittatur certitudo respectiva illorum motivorum, ac proinde ipsa fides; ergo absoluta requiritur certitudo.

2° Alii vero censent respectivam certitudinem sufficere. Ita de Lugo, Viva, Antoine. Grandin, Kilber, Regnier, Legrand, etc.

Etenim 1. Deus voluit ut singuli homines docerentur a Parochis, a Catechistis, a parentibus et aliis privatis : atqui hujusmodi medium non est ex se infallibile, nec ex se confert absolutam certitudinem de Revelationis facto; ergo, ex ipsa Dei ordinatione, respectiva motivorum credibilitatis certitudo ad fidei assensum sufficit. Et revera, certitudine respectiva fideles ordinarie acquiescere in negotio fidei, li-

quet ex plurimis exemplis credentium populorum et parvulorum tum in veteri, tum maxime in Novo Test., ubi ad simplicem verbi divini prædicationem, fides ab auditoribus fuit adhibita,

2. Respectiva certitudo sufficit ut actualiter eliciatur actus fidei firmissimus; atque Deus, per auxilium internum, ita supplere potest illius certitudinis imperfectionem, ut hujusmodi assensus in eo, qui facit quod in se est, semper invictus permaneat.

Juxta enim ipsum Suarez, disput. 4, sect. 5, n. 9, et plures alios contrariæ sententiæ patronos, contra cæteros, si contingat exteriorem prædicationem fidei et propositionem non esse sufficientem ad formandum judicium ita firmum et evidens de credibilitate objecti revelati, tunc, per divinam inspirationem et vocationem internam, potest compleri illa credibilitas. Sed etiam S. Thomas, *Quodlib.* 2, a. 6, dicit : « Quamvis ordinarie fides fiat credibilis per miracula et alia externa signa, nihilominus *sine illis* potest Deus per vocationem *internam* propositionem complere. »

Et vero, qui in respectiva tantum certitudine versatur circa alicujus revelationis factum, vel hoc repudiabit culpate, vel inculpate : si prius, in causa est; si posterius, amittet quidem explicitam fidem circa hunc fidei articulum, sed implicitam retinebit, ob beneficium bonæ fidei, in qua remanet respectu illius revelationis; nunquam vero inculpate amittet *explicitam* fidem quæ necessaria est *necessitate medii;* alioquin absque sua culpa quis à fide et salute deficeret : quod repugnat; ergo, facienti quod in se est, Deus non denegat internam gratiam, qua respectiva certitudo compleatur.

Hæc posterior sententia longe probabilior videtur. Sed, quidquid sit, ex hac controversia concludendum est quantum intersit, ut fideles pro captu suo edoceantur de motivis credibilitatis. Non enim omnino constat relativa certitudinis motiva sufficere; et, licet constaret, nemo non videt quantis periculis exponatur, hoc præsertim tempore, fides tam debili tutamento protecta.

Cæterum, ex dictis in Tract. *de Eccl.*, n. 153 et seq.,

omnis adultus certo et facile recognoscere potest tum divinum Romanæ Ecclesiæ magisterium, tum doctrinam hic et nunc ab hoc magisterio uti revelatam propositam : porro ad hæc duo reducuntur credibilitatis motiva ; ergo Pastores, Parochi, Catechistæ, parentes omni conatu fideles docere debent Ecclesiæ auctoritatem, in qua præcipue nititur certitudo de revelationis facto.

109. — *Quæritur* 2° an, ut quis prudenter judicet aliquam veritatem esse revelatam, seu credibilem et credendam, præter signa externa ac motiva, concurrere debeat etiam tum *recta dispositio*, tum *gratia actualis* et *interna* Spiritus Sancti *illustratio?*

Resp. Affirmative. De rectæ dispositionis necessitate jam diximus in *Introduct.*, n. 16. Hic igitur statuenda superest gratiæ supernaturalis necessitas. Videlicet, 1. talis gratiæ necessitas his verbis insinuata est : « Cujus *Dominus aperuit cor, intendere his,* quæ dicebantur a Paulo ; » Act. 16, ỳ 14 : quasi hoc necessarium fuerit, ut crederet. Et revera, « neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui *incrementum dat Deus ;* » I Cor., 3, ỳ 7 : porro assensus motivis credibilitatis est aliquod incrementum ad ipsam fidem concipiendam ; ergo ex aliquo speciali Dei auxilio oritur.

2. SS. Patres in eodem sensu loquuntur. « Nisi divinus Spiritus cordi adsit *audientis,* otiosus est sermo doctoris ; » S. Gregor. Papa. *Homil.* 40. — « *Rudes* perveniunt ad fidem miris modis *per altitudinem divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei ;* » S. August., *Epist.* 102. — « Ille qui credit, habet sufficiens *inductivum ad credendum;* inducitur enim auctoritate divinæ doctrinæ *miraculis* confirmatæ, et, quod plus est, *interiori instinctu Dei invitantis.* » S. Th., 2, 2, q. 2, a. 9, ad 3.

Conc. Vaticanum, sess. 3, cap. 3, idem sic declarat : « *Cui Ecclesiæ testimonio efficax subsidium accedit ex superna virtute.* Etenim benignissimus Dominus *errantes gratia sua excitat atque adjuvat*, ut *ad agnitionem veritatis venire possint.* »

3. Doctrina fidei est valde supernaturalis, et ex magna parte repugnans humanæ concupiscentiæ; ergo, ut credibilis et amabilis fiat, seu ut quisque sufficienter percipiat propositionem fidei, et de illa convenienter judicet, necessaria est divina virtus, quæ illam speciali modo persuadeat, et hominis capacitati accommodet: nam totum hoc est opus valde supernaturale, ait Suarez, *de Fide*, disput. 4, sect. 1, n. 6.

Per hujusmodi autem gratiam Deus non actualiter quidem revelat talem veritatem fuisse aliquando revelatam, sed tantum illustrat circa vim motivorum credibilitatis, ita ut mens facilius ea apprehendat, eisque efficaciter assentiat; ita Kilber, *de Fide*, n. 173, 178.

110. — Hinc prædicator, catechista, aut quilibet ipsum Revelationis factum docens, non tam in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis fidere debet, quam in interiori Dei invitantis instinctu, a quo præsertim pendet verbi externi efficacia; ac proinde omni modo et occasione ad humilem, constantem fidentemque orationem incitare necesse est eos, quibus ipsam Revelationis existentiam persuadere intendit catechista aut prædicator.

111. *Quæritur* 3° quid et quænam sit *resolutio* fidei catholicæ?

Resp. Per fidei *resolutionem* intelligitur designatio principiorum seu rationum, quæ nos inducunt ad credendum, ac præsertim designatio rationis ultimæ seu principii, ultra quod christiana fides non progreditur, sed in quo quiescit.

Talis loquendi modus ex Aristotelis philosophia desumptus videtur; sicut enim analyticos seu resolutorios libros appelavit eos, in quibus demonstrat syllogismi principia; ita scholastici *resolutionem* seu analysim fidei appellaverunt designationem principiorum seu motivorum fidei.

Porro, ex huc usque dictis, sic classificantur hujusmodi motiva, atque resolvitur fides christiana.

1. Ex *credibilitatis motivis*, nobis constat Parochos, parentes, aliosque privatos nec falli, nec fallere, cum nobis testificantur hoc *factum* semper actuale et maxime notorium : *Ecclesia Catholica hic et nunc docet tale dogma esse a Deo revelatum*. Unde *factum de authenticitate doctrinæ catholicæ* credimus propter *veracitatem privatorum testium*.

2. Ex *motivis* etiam *credibilitatis*, nobis constat Ecclesiam in spatio et tempore Catholicam, nec falli, nec fallere *posse* cum nobis hoc *factum*, cujus ipsa fuit *immediate testis*, testificatur : *Deus hoc dogma formaliter revelavit*. Unde *Revelationis factum* credimus propter *veracitatem Ecclesiæ Catholicæ ;* n. 103.

3. Tandem dogma uti revelatum ab Ecclesia propositum, credimus *esse verum*, seu reapse se habere sicut a Deo revelatum est, propter *veracitatem ipsius Dei* revelantis. Unde actus fidei elicitur, non quidem propter auctoritatem privatorum hominum, nec propter auctoritatem Ecclesiæ, sed propter auctoritatem solius Dei, in quam proinde ultimo resolvitur, seu in qua finaliter et unice nititur ipse fidei assensus. Vide Tract. *de Eccl.*, n. 155.

Itaque 1., si petas cur, v. g., credam tres esse in Deo personas, respondeo, quia Deus, qui id revelavit, est summe verax.— 2. Si quæras unde mihi constet Deum id revelasse, respondeo, quia Ecclesia ita testificatur seu proponit. — 3. Si roges unde mihi constet Ecclesiam id testificari, respondeo, quia Parochus, Catechista, parentes, etc., ita mihi affirmant. — 4. Tandem si postules cur certam fidem adhibeam Ecclesiæ hoc vel illud tanquam divinitus revelatum proponenti, et etiam Parocho, parentibus illam Ecclesiæ propositionem affirmantibus, respondeo, quia, ex motivis veracitatis humanæ, certus sum in hoc casu Parochum, parentes non esse deceptos, nec deceptores, et quia omni probationum genere certus sum Ecclesiam a Deo constitutam fuisse infallibilem, quoties aliquid tanquam revelatum testificatur.

112. — Hinc assensus fidei discursum supponit, sed ipse non est *discursivus*.

Namque, ad actum fidei, prærequiritur cognitio facti revelationis et veracitatis divinæ : porro illa cognitio discursum plus minusve formalem includit. At, revelationis facto et divina veracitate semel recognitis, immediate in veracitate divina tanquam in ultimo motivo fides innititur et mens quiescit; ergo fidei assensus discursum præsupponit, sed ipse non est discursivus.

CAPUT IV

DE MODO SEU PROPRIETATIBUS FIDEI.

Hic inquirendum habemus quisnam sit modus fidei proprius ratione proprietatum fidei specialium, quæ ad tres ordinarie reducuntur, nempe, ad obscuritatem, veritatem et certitudinem.

ARTICULUS PRIMUS

De Fidei obscuritate.

113. — *Quæritur* an objectum materiale fidei sit semper obscurum sub respectu *motivi*, vel etiam relative *ad subjectum credens?*

Resp. Obscuritas objecti materialis fidei seu ipsius propositionis revelatæ spectari potest sub respectu motivi, vel relative ad subjectum credens.

Porro sub respectu *motivi*, materiale fidei objectum semper est obscurum. Fides enim divina nititur sola Dei revelantis veracitate : atqui testimonium Dei clare quidem nobis manifestat rei revelatæ *existentiam*, sed circa ejusdem intimam *naturam* prorsus silet ; ergo, sub respectu motivi, materiale fidei objectum semper est obscurum. In hoc consentiunt omnes.

An autem sit etiam essentialiter obscurum *relative ad subjectum*, ita ut objectum evidentia naturali cognitum, non possit simul credi propter veracitatem Dei illud revelantis, atque fides et scientia non possint in eodem intellectu circa idem objectum coexistere, controvertitur inter Theologos.

Alii quippe negant objectum evidenter ratione cognitum posse simul fide divina credi. Ita P. Lombardus, S. Th. 2. 2, q. 1, a. 4, 5, et tota ejus schola, Scotus et Scotistæ. Nituntur præsertim his verbis S. Pauli, Hebr. 11, ỳ 1 : « Est autem *fides* sperandarum substantia rerum, *argumentum non apparentium.* » Idem sentire videntur plures SS. Patres, dum asserunt « fidem non habere meritum, ubi humana ratio præbet experimentum ; » S. Gregor. Papa, *Homil.* 26. Ratio ipsa aliquatenus suadet neminem propter auctoritatem credere posse res, quas ante oculos habet.

Alii vero multo plures partem affirmativam tenent, inter quos, Albert. Magn., Alex. Alensis, Durandus, Salmeron, Suarez, disput. 3, sect. 9, Kilber, n. 211, Perrone, *de Loc. Theol.*, 3 p., c. 2, prop. 4 [1].

Utraque sententia sub aliquo saltem respectu vera nobis videtur, atque sic conciliari possunt argumenta in specie opposita.

PROPOSITIO

114. — *De uno et eodem objecto haberi possunt simul scientia et fides, sed non sub eodem respectu considerato, ita ut materiale objectum fidei sit essentialiter obscurum.*

Et quidem 1° *de uno et eodem objecto haberi possunt simul scientia et fides.*

Prob. 1. *Script.* Dicitur enim : « *Sine fide* impossibile est placere Deo. *Credere enim* oportet accedentem ad Deum quia *est*, et inquirentibus se remunerator sit ; » Hebr. 11,

1. « De Lugo amplexus est opinionem intermediam, disput. 2, n. 73, 74. Scilicet, affirmat fidem stare posse cum evidentia sive demonstrationis, sive revelationis sensuum, quæ non manifestat intimam rei naturam, non autem cum evidentia immediata seu plenissima, qualem habemus de primis principiis, siquidem, hac semel obtenta evidentia, mens sentit se nihil moveri propter auctoritatem affirmantis ad novum et firmiorem assensum ; et aliunde ille fidei assensus esset inutilis.

Hæc intermedia opinio negligenda videtur, tum quia fides nullum proponit objectum hujusmodi ; tum quia, quamtumvis perfecta supponatur evidentia nostra, ei superaddi possunt gradus certitudinis desumpti ex divina auctoritate aut saltem ex habitu fidei, ut infra evolvetur, n. 119.

℣ 6. Unde sic : ex hoc textu, ab omnibus, ut Deo placeant *credendum* est Deum *existere*, etiam quatenus auctorem naturæ consideratum, juxta communem interpretationem Patrum, ex quibus SS. Chrysost., Athan., Theodoret., apud Suarez, disput. 3, sect. 9, n. 6 : porro, ex eodem textu, hæc existentia Dei ab omnibus credenda est fide supernaturali, ut constat tum eo quod verba, « credere *enim* oportet... quia *est*, » in probationem afferuntur priorum, « *sine fide* impossibile est, etc., » in quibus, juxta omnes, agitur de fide supernaturali omnibus necessaria; — tum ex communi sensu Patrum, apud Suarez, *ibid.*; — tum ex Conc. Trid., sess. 6, c. 6, ubi, ex iisdem verbis, « credere oportet quia *est*, » fidem tanquam dispositionem ad justificationem assignat.

Ergo, ex S. Paulo, fide supernaturali ab omnibus, sive doctis, sive indoctis, credendum est Deum *esse* seu simpliciter existere : porro existentia Dei evidenter rationis lumine ab omnibus cognoscitur; ergo de uno eodemque objecto haberi possunt simul scientia et fides..

2. *Traditione*. Post SS. Patres jam citatos, unum testimonium sufficiat. Primus Symboli articulus sic se habet : *Credo in unum Deum, creatorem cœli et terræ*. Unde sic : in hoc articulo agitur de *existentia* et *unicitate* Dei, et de Deo tanquam *auctore naturæ :* porro articulus ille ab Ecclesia omnibus, sive doctis, sive indoctis, fide supernaturali credendus proponitur; ergo omnes tenentur fide divina credere et existentiam, et unicitatem, et operationem creatricem Dei : atqui tamen hæc tria evidenter ratione demonstrantur ; ergo de uno et eodem objecto haberi possunt simul scientia et fides.

3. *Ratione*. Juxta fere omnes sententiæ oppositæ defensores, qui lumine rationis nondum vident res revelatas, has interea credere possunt fide infusa; imo in his remanet hujusmodi habitus fidei circa res illas, etiam postquam earum evidentiam naturalem assecuti sunt : atqui talis habitus erumpere potest in actum, alioquin quoad res illas esset inutilis; ergo de uno et eodem objecto potest esse assensus ex habitu fidei, et ex evidentia naturali.

Et vero, tunc perficiuntur duo actus specie distincti, sicut et motiva, quibus nituntur : atqui per se non repugnat intellectum duos actus specie distinctos circa idem objectum efficere ; ergo, etc.

Tandem, si de uno et eodem objecto scientia et fides simul haberi nequeunt, sequitur hominem quo doctior evadit, eo magis de fide amittere, sicque ille præ indocto fieri pejoris conditionis : atqui nemo nisi absurde unquam affirmavit meliorem esse rudium, quam doctorum conditionem ; et aliunde experientia constat e contra sæpe sæpius eo intensiorem esse fidem circa res aliunde naturali lumine notas, quo quis doctior evadit ; ergo de uno et eodem objecto haberi possunt simul scientia et fides.

2° *Sed non sub eodem respectu considerato, ita ut materiale fidei objectum sit essentialiter obscurum.*

Etenim objectum revelatum a credente apprehenditur ope luminis fidei, n. 5, et ideo non sub respectu mere naturali, sed *sub forma prorsus divina :* porro, quandiu in via sumus, de apprehensione objecti revelati sub illo divino respectu sumpti, nullam conscientiam seu evidentiam habemus, sed tale revera se habere cognoscimus et affirmamus sub sola Dei illud revelantis veracitate ; ergo objectum quodlibet, *quale* per fidem apprehenditur, est essentialiter rationi impervium seu obscurum relative ad subjectum credens, licet possit esse simul omnino evidens, si sumatur *sub forma mere naturali.*

Et vero, fides a visione intuitiva differt sicut medium a fine, initium a consummatione, imperfectum a perfecto in eodem genere, ex fusius dicendis in Tract. *de Gratia*, n. 358, 361, 371, et ut infertur ex his verbis, quæ sunt fidei definitio : « Est *autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium ;* » Hebr. 11, ℣ 1 : id est, *habitus* fidei continet *res ipsas*, quæ in cœlo videntur, sed absque *modo* visionis beatificæ, qui proinde *speratur ;* unde res illæ *non apparent*, sed fides ex *argumento* seu testimonio Dei eas firmiter affirmat quatenus in habitu fidei contentas quoad *substantiam*, et ut sperandas quoad *modum*

beatificum. Ergo fidei et visionis intuitivæ idem est objectum [1].

Porro objectum visionis intuitivæ ab intellectu per lumen gloriæ deificato apprehenditur sub *forma vere divina* et *omnino supernaturali;* siquidem Beati omnia vident simili modo ac ipse Deus, seu in *ipso Verbo* et ope *luminis divini* seu gloriæ, sine quo, ex definitione Conc. Viennensis, anima non potest illius visionis objectum percipere; ergo tale objectum, sub hac forma vere divina per lumen fidei apprehensum est ex se omnino rationi impervium et obscurum, quantumvis sub forma mere naturali sit rationi evidens. Vide Tract. *de Gratia*, n. 372.

Attamen, juxta plures Theologos, ad præfatum ratiocinium non satis attendentes, objectum fidei est semper obscurum, licet rationi pervium, eo sensu tantum quod intellectus, eliciendo actum ex motivo fidei, omnino abstrahit a lumine rationis circa rei creditæ intimam naturam, de qua prorsus silet testimonium Dei, et quæ ideo in actu fidei semper obscura remanet. Ita Kilber, n. 212.

At hujusmodi sententia contraria videtur textui S. Pauli, qui affirmat simpliciter res fidei non esse apparentes; atque ideo rejicitur ab auctoribus prioris opinionis, n. 113, qui tenent objectum fidei esse essentialiter obscurum, et non tantum per mentis abstractionem.

ARTICULUS II

De Fidei veritate.

115. — *Quæritur* sub quotuplici respectu *veritas* fidei considerari possit?

Resp. Veritas fidei considerari potest vel ex parte Dei revelantis, vel ex parte hominis assentientis.

1. « *Finis* fidei in via est assecutio rei speratæ, scilicet, beatudinis æternæ; *visio* est *merces fidei*... Fides declinatur ad res sperandas quasi *quoddam inchoativum*, in quo *totum quasi essentialiter continetur*, sicut *conclusiones in principiis*... Fides est habitus mentis, quo *inchoatur vita æterna* in nobis, faciens intellectum assentire non apparentibus; » S. Th. *in Hebr.* 11, ℣ 1. — « *Gratia* et *gloria* ad *idem genus* referuntur, quia gratia nihil aliud est *quam quædam inchoatio gloriæ in nobis;* » 2. 2, q. 24, a. 3, ad 2; 1. 2, q. 111, a. 3, ad 2; *Cont. Gent.* lib. 3, c. 51, 53.

Ex parte Dei revelantis, veritas fidei consistit in eo quod Deus non possit revelare falsum, id est, falli nec fallere, dum aliquid revelat : porro, cum Deus sit summe verax, patet ex hac parte fidem semper esse essentialiter veram.

Ex parte autem hominis assentientis, veritas fidei consistit in eo quod assensus fidei non possit esse erroneus, seu existere, quin objectum creditum sit reapse a Deo revelatum ; ita ut non sit fides divina, quando creditur illud quod ex errore etiam invincibili falso putatur a Deo esse revelatum, atque adeo fidei non possit subesse falsum objectum materiale. Quod sic asseritur :

PROPOSITIO

116. — *Supernaturalis fidei assensus existere nequit absque objecto vere a Deo revelato*. Certum est.

Prob. 1° *Traditione*. Conc. Trid., loquens de actu fidei circa actualem statum gratiæ, ait : Cum nullus scire valeat certitudine *fidei, cui non potest subesse falsum*, se gratiam Dei esse consecutum ; » sess. 6, c. 9 : porro, his verbis, si non decernit, saltem supponit nec ex parte motivi, nec ex parte objecti falsitatem in actu divinæ fidei locum habere ; ergo supernaturalis fidei assensus necessario requirit objectum vere a Deo revelatum. Idem communiter docent Theologi, post S. Th., 2. 2, q. 1, a. 3.

2° *Ration. Theol.* Nullus est divinæ fidei assensus, nisi fundetur in auctoritate divina tanquam motivo, et in gratia seu lumine fidei tanquam principio, n. 5, 84 : porro, quando objectum non est a Deo vere revelatum, assensus nullo modo fundari potest in veracitate Dei illud objectum non revelantis ; nec Spiritus Sanctus per habitum aut auxilium supernaturale fidei movere potest intellectum ad assentiendum objecto ut revelato, quod revera non est revelatum ; ergo, quantumcunque invincibilis sit error, quo judicantur objectum esse a Deo revelatum, tali objecto assensus non est divinæ fidei actus, nec in se *supernaturalis* actus, sed credulitas quædam et conatus aut affectus credendi.

Exinde intelligitur quomodo sub hoc respectu fides discrepet ab aliis virtutibus. Istæ enim habent pro objecto bonum et pro fine voluntatis perfectionem per actus honestos : porro utrumque adesse potest, licet adsit error in intellectu ; sic, v. g., dare eleemosynam ficto pauperi, ne forte vere pauper privetur, est actus charitatis, qui perficit voluntatem, etsi in hoc casu non adsit vere pauper ; similiter, adorare hostiam, quæ prudenter, sed falso, habetur uti consecrata, est actus virtutis religionis, quo perficitur voluntas, non obstante errore in intellectu, n. 31.

Contra vero, fidei objectum est verum, ejusque finis est perficere intellectum per veritatem : atqui assentire adulterino fidei articulo, licet bona fide, deformat intellectum, nedum perficiat; ergo ad talem assensum non impellit habitus infusus fidei, nec divina veracitas, ac proinde hujusmodi assensus non est actus divinæ fidei.

117. — *Quæritur* autem 1° an saltem *voluntas* assentiendi propositioni *putative* tantum revelatæ, sit *pius* ad fidem affectus, et ideo vere supernaturalis ?

Resp. Affirmative, uti cummunius et probabilius sentiunt theologi. Talis enim enim voluntas in se est honesta, imo, ex statim dicendis, obligatoria, donec error invincibilis evanescat ; ergo ei non deest gratiæ auxilium, atque ideo voluntas illa captivandi intellectum in obsequium Christi, potest esse meritoria, juxta eosdem Theologos.

118. — *Quæritur* 2° an, qui ex errore invincibili, judicat aliquam propositionem esse revelatam, teneatur ut tali ei adhærere, donec suum errorem excutierit?

Resp. Affirmative. Si enim reluctaretur, haberet voluntatem non assentiendi propositioni vere revelatæ et ut tali certo cognitæ, ac proinde esset *affective* hæreticus.

Cæterum, in praxi, nunquam aut saltem raro præstatur erroneus fidei assensus. Namque, si agatur de veritate proposita uti ad fidem catholicam pertinente, tunc nunquam creditur, nisi sub conditione saltem implicita, quod reipsa illa veritas tanquam revelata proponatur ab Ecclesia Catholica : porro hæc Ecclesia, in proponendo veritates revelatas, nunquam errare potest ; ergo nullus fidelis erroneum

præstare potest assensum, ubi agitur de fide catholica.

Si vero quæstio sit de veritate proposita uti ad privatam revelationem pertinente, vel hujusmodi revelatio constat divino miraculo, vel non : si prius, præbetur assensus et quidem verus; si posterius, ordinarie adest tantum verisimilitudo quædam et mera probabilitas, nec ideo præstatur assensus certus ac proprie dictus, n. 51.

ARTICULUS III

De Fidei certitudine.

119. — *Quæritur* sub quotuplici respectu *fides certior* esse possit *scientia?*

Resp. Fdes certior esse potest scientia vel ex parte motivi, vel ex parte principii seu gratiæ.

Porro, juxta fere omnes, *ex parte principii supernaturalis*, fides potest esse certior scientia seu assensu ex rationali evidentia. Hoc infertur ex hujus propositionis damnatione ab Inn. XI : « *Voluntas* non potest efficere, ut *assensus fidei in seipso* sit *magis firmus*, quam mereatur *pondus rationum* ad assensum impellentium. » Et vero, internum fidei auxilium indefinite augeri potest, ac proinde assensum alio assensu positive firmiorem determinare.

Attamen illius auxilii conscientiam non habemus, nec ideo conscientiam certitudinis, quæ ex ejus influxu oritur. Propterea certitudo proprie dicta ea est, quæ profluit, non ex supernaturali motione voluntatis, sed ex lumine intellectus seu ex motivi influxu. Unde tota quæstio ad hoc reducitur, an assensus propter veracitatem divinam sit, ratione hujusce motivi, certior assensu propter evidentiam rationalem.

Alii negant. Namque 1., juxta quosdam philosophos, certitudo non admittit plures gradus. 2. Deus est auctor evidentiæ haud secus ac fidei, et in utraque se præbet ut veritatis testem; ergo in utroque assensu idem est ultimum motivum, et ideo eadem certitudo. 3. Motivum fidei ratione cognoscitur; ergo assensus ob illud motivum non est certior, ac ipsius motivi cognitio rationalis.

Alii vero multo plures affirmant; quibus sic assentimus :

PROPOSITIO

120. — *Fides ex parte motivi certior est scientia.* Ita communiter.

Prob. 1º *Script.* Etenim in Scriptura semper cum emphasi agitur de certitudine fidei; unde videtur ei tribui major certitudo, quam inest assensui rationali. « Si testimonium hominum accipimus, *testimonium Dei majus* est, » I Joan. 5, ℣ 9; nempe, fidem magis, ob Dei summam veracitatem, meretur. — « Cœlum et terra transibunt, *verba* autem *mea non prœteribunt;* » Luc. 21, ℣ 33. — S. Petrus, postquam descripserit transfigurationem, quam ipse viderat, addit: « Et habemus *firmiorem propheticum sermonem*, cui benefacitis, attendentes, etc.; » II Petr. 1, ℣ 19: quasi diceret: « Certiores sumus de divinitate Christi per scripturas Prophetarum, quam si fuissemus assecuti hanc veritatem perceptione sensuum nostrorum. »

2º *Traditione.* « Si de eis, quæ non cadunt sub aspectu, non *apertius* fuerit cuipiam persuasum, quam de eis quæ *videntur*, *non potest esse fides;* » S. Chrysost. *Homil.* 21 *in Hebr.* 11. — « Fides supra *rationales* methodos animam ad assensum trahit... *Potior* est *fides* quarumvis *ratiocinationum complexione*... Fides est assensus non hæsitans de his quæ audita sunt, *certitudine summæ veritatis*. » S. Basilius, *in Ps.* 115, Serm. *de Fide*, Epist. 43.

In his et aliis similibus Scripturæ et Traditionis textibus, licet partim ageretur de certitudinis excessu ex gratia interiori et motione voluntatis, ut ait de Lugo, disput. 6, n. 36, nihilominus non subobscure innuitur illum excessum certitudinis fidei respectu scientiæ, oriri etiam ex motivi influxu.

Idem propugnant fere omnes Theologi. « Quotquot veraciter fideles sumus, *nihil certius tenemus*, quam quod *fide* credimus; » Richard. a S. Vict. *de Trinit.* 1, c. 2. — S. Thomas assertam sententiam sic adstruit: « Certitudo potest considerari ex *causa* certitudinis, et sic dicitur certius illud, quod habet *certiorem* causam; et hoc modo *fides* est *certior sapientia, scientia* et *intellectu*, *quia innititur veri-*

tati divinæ, tria autem prædicta innituntur *rationi humanæ*... Cæteris paribus, visio est certior auditu; sed, si ille a quo auditur, multum excedit visum videntis, sic certior est auditus, quam visus... et *magis* homo *certior* est *de eo quod audit a Deo*, qui falli non potest, quam de eo quod *videt propria ratione*, quæ falli potest; » 2. 2, q. 4, a. 8.

3º *Ratione*. Major est certitudo evidentiæ divinæ, quam humanæ : porro fides nobis communicat hunc divinæ certitudinis excessum ; ergo, ex parte motivi, fides certior est assensu rationali.

Major per se patet, Deus enim omnia cognoscit cum infinito lumine, ratio autem humana cum lumine finito ; porro, quo major est evidentia, eo major est hujus evidentiæ vis ad assentiendum impellens; ergo major est certitudo evidentiæ divinæ, quam humanæ.

Minor etiam suadetur. Namque veritas divina non minus est infallibilis in affirmando, quam in cognoscendo ; porro fidei assensus fit propter veritatem Dei tum in affirmando, tum in cognoscendo; ergo excessus veritatis divinæ in affirmando, et divinæ evidentiæ in cognoscendo communicatur actui fidei, qui ideo, ex parte motivi, certior est rationali assensu.

Et vero 1. certitudo, negative sumpta, seu quatenus excludens omne dubium et errandi formidinem, non admittit quidem plures gradus; at, si positive sumatur, quatenus scilicet mentis *adhæsio*, plures gradus implicat. Omnis enim adhæsio mentis est motus aliqualis : porro motus quilibet, nisi sit infinitus, potest indefinite crescere. Vide Suarez, disput. 6, sect. 5, n. 8. Idem constat ex damnatione propositionis supra relatæ, n. 119.

2. Non credimus ob cognitionem veracitatis divinæ, sed ob hanc veracitatem cognitam, n. 92 : porro hæc causa motiva est ex se summa et infinita; ergo ex hac parte longe certior est fidei assensus.

3. In assensu rationali, ipsum objectum est intellectui immediate præsens, et motivum est conscientia hujusce præsentiæ objecti affirmati ; in fide vero, objectum *reflexe cogitatum est* ipsamet cogitatio Dei quatenus a Deo reve-

lata, et ideo motivum est infallibilitas absoluta ipsius Dei revelantis ; ergo Deus non est auctor evidentiæ eodem modo ac fidei, nec in utraque se præbet ut veritatis testem, sed tantum in fide, quæ sic divinæ evidentiæ et certitudinis excessum participat.

121. — Hinc 1. adhæsio fidei debet esse *appretiative summa*, eo sensu quod parati simus ad rejicienda omnia, quæ fidei opponi possent.

Siquidem motivum quo nititur fides divina, non solum omnimodam certitudinem semper et pro semper facit, sed et vincit quodlibet aliud motivum ; ac proinde nulla unquam concipi potest ratio rejiciendi, vel in dubium vocandi, quæ semel divina fide tenentur. Vide aliunde decretum Conc. Vatic., n. 107.

122. — Hinc 2. conclusio theologica est minus certa quam fides, certior vero cognitione mere rationali.

Namque conclusio theologica, quatenus fluens ex una præmissa revelata, et ex alia præmissa rationali, utriusque naturam participat ; et ideo eam amplectimur ob lumen revelationis simul et rationis, n. 25, 36, 37, 39 ; ergo, quatenus partim ratione fundatur, minus certa est quam fides ; quatenus vero partim lumine Revelationis nititur, certior est cognitione mere rationali.

CAPUT V

DE FIDEI SUBJECTO

123. — *Quæritur* quid et quotuplex sit fidei subjectum?

Resp. Per fidei subjectum hic intelligimus personas, in quibus residet fides supernaturalis. Personæ autem, de quibus hic quæstio moveri potest, sunt Beati in cœlo gloria fruentes, animæ in Purgatorio detentæ, justi viatores, peccatores, hæretici, dæmones et damnati. Porro

124. — 1° In *Beatis* non est fides proprie dicta. Etenim,

ut jam innuimus, n. 5,114, status fidei non discrepat a statu gloriæ, nisi sicut imperfectum a perfecto, initiatio a consummatione, medium a fine : atqui, posito perfecto, consummatione, fine seu gloria, eo ipso cessat lumen fidei, seu potius fidei lumen fit lumen gloriæ; et hoc sat expresse docet S. Paulus, I Cor. 13, ỷ 9, 12; ergo non est fides in Beatis.

125. — 2° *In animabus detentis in Purgatorio* fides permanet. Namque hujusmodi animæ constituuntur in statu justitiæ supernaturalis, et simul nondum gloriæ lumen sunt assecutæ; ergo in lumine fidei remanent. Attamen earum fides non est meritoria, nec libera saltem ea libertate, quæ est in via; et ideo sunt in quodam statu medio, scilicet, de terra fidem et fidei obscuritatem retinent; de cœlo autem, ad quod appropinquant, indefectibilitatem fidei et visionem intuitivam tandem consequendi certitudinem accipiunt.

126. — 3° In omnibus *justis viatoribus* affulget lumen fidei. Ex dicendis enim in Tract. *de Gratia*, n. 275, 300, justitia supernaturalis consistit in statu gratiæ habitualis, cujus fides est fundamentum; ergo in omnibus supernaturaliter justis viatoribus, tam infantibus baptizatis, quam adultis, lucet fidei lumen.

127. — 4° In *peccatoribus* fides superest, eo sensu quod fides non amittitur per ipsam amissionem charitatis seu gratiæ sanctificantis. De fide est, contra Protestantes.

Constat 1. *Script.* : « *Crediderunt in eum*, sed *non confitebantur;* dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei; » Joan. 12, ỷ 42, 43; ergo illi fidem in Christum jam conceperant, etsi nondum diligerent. Idem affirmatur, I Cor. 13, ỷ 2; Jacob. 2, ỷ 14.

2. *Traditione.* SS. Patres summo consensu hoc docent, vel explicando dicta Scripturæ testimonia, vel tractando parabolas Christi, in quibus aperte significatur esse intra Ecclesiam bonos et malos; vide Tract. *de Eccl.*, n. 118. — Idem sic definivit Conc. Trid., sess. 6, can. 28 : « Si quis

dixerit, amissa per peccatum gratia, *simul et fidem semper amitti;* aut fidem, quæ remanet, non esse *veram* fidem, licet non sit *viva;* aut eum, qui fidem sine charitate habet, non esse *Christianum;* anathema sit. » Ergo remanet in peccatoribus fides vera seu supernaturalis, etsi non viva, id est, destituta charitate.

3. *Ration. Theol.* Omne peccatum mortale repugnat quidem charitati, eamque ideo excludit a voluntate; at solum hæresis peccatum contrarium est habitui et actui fidei; ergo per omne peccatum mortale fides non amittitur. Quare videmus christianos perditissimos in moribus, qui tamen in fide immobiles permanent, et quos nunquam inter infideles computavit Ecclesia.

Aliunde, in hoc magnum est divinæ misericordiæ argumentum, quod fundamentum ædificii spiritualis et salutis non evertatur simul ac ipsum ædificium seu charitas. Dum enim scintilla fidei illucescit, eo ipso spes divina superest in peccatore; qui exinde die ac nocte plus minusve concutitur, donec tandem ad amorem charitatis iterum ascendat, atque ad vitam supernaturalem iterum atque iterum revocetur.

128. — 5° In *nullo hæretico formali* seu *vere pertinaci* fides remanere potest. Certum est.

Constat 1. ex S. Paulo, qui docet Alexandrum et Hymenæum *circa fidem naufragasse*, eo quod resurrectionem corporum negarent; I Tim. 1, ỷ 19, 20.

2. Conc. Trid., sess. 6, c. 15, declarat, *per infidelitatem* amitti *ipsam fidem :* atqui hæresis est veri nominis infidelitas; ergo per quodlibet hæreseos peccatum fides totaliter amittitur.

3. Fides nititur veracitate Dei tanquam motivo ; porro hæreticus formalis ille est, qui recusat veracitatem divinam in uno, et eo ipso in omnibus revelatis; ergo omne hæreseos peccatum destruit motivum fidei, sicut quodlibet peccatum tollit charitatis motivum; ac proinde in nullo hæretico formali seu vere pertinaci fides remanere potest. Vide n. 56.

Itaque fides, quam hæreticus formalis retinet circa plures veritates revelatas, procedit ex auctoritate mere humana, vel ex proprio judicio, et ex habitu acquisito per se naturali, ut ait S. August. : « Qui in Evangelio *quod vultis creditis, quod vultis non creditis, vobis* potiusquam *Evangelio* creditis. » *Cont. Faust.*, lib. 17, c. 3.

129. — 6° In *dæmoniis* et *damnatis* nulla remanet fides supernaturalis. Certum est. Illi enim non sunt capaces piæ motionis, piique affectus, sine quo non est divina fides, eisque Deus subtraxit omne donum supernaturale, ac proinde donum fidei. Aliunde, cum fides in peccatoribus non permaneat, nisi tanquam salutis medium, prorsus fit inutilis in iis, pro quibus nulla superest spes salutis. Unde, cum dicitur quod dæmones *credunt* et contremiscunt, Jacob. 2, ℣ 19, agitur de fide mere naturali et improprie dicta.

APPENDIX

DE CENSURIS SEU NOTIS THEOLOGICIS

130. — Censura theologica definiri potest : *Judicium seu sententia, qua nota prava et maligna cuidam inuritur propositioni, tanquam fidei aliquo modo nocivæ.*

Multiplicis autem generis distinguuntur propositionum censuræ; præcipuas duntaxat et magis usitatas sigillatim exponemus.

131. — *Hæretica* propositio ea est, quæ *directe et immediate adversatur doctrinæ a Deo revelatæ et ab Ecclesia ad credendum propositæ;* vide circa notam hæresis, n. 55, 57, 103.

132. — *Erronea* propositio dicitur, *quæ directe opponitur conclusioni theologicæ;* vide circa hujusmodi notam, n. 38, 39.

133. — *Hæresi proxima* appellatur propositio, quæ *hæreticæ maxime affinis est,* id est, quæ, ex consensu *plerorum-*

que Theologorum, gravi cum fundamento judicatur directe et immediate adversari propositioni in se directe et immediate de fide. Unde propositio hæresi proxima differt a propositione erronea, in eo quod hæc conclusioni theologicæ, illa vero veritati fidei, *ex consensu fere omnium Theologorum*, adversatur.

134. — *Sapiens hæresim* propositio nuncupatur, quæ *sensus catholici simul et heterodoxi proprie capax est*, sed tamen, sive ratione sui, sive ratione circumstantiarum loci, temporis, personarum, etc., sensum pravum ita prævalentem involvit, ut probabiliter judicari possit, quod illius auctor sit hæreticus. Hinc propositionem hæresim sapere, non præcise ex propositione absolute sumpta, sed ex adjunctis circumstantiis dijudicandum est.

135. — *Suspecta de hæresi* propositio illa est, quæ *utriusque sensus catholici et heterodoxi capax est*, sed tamen, sive ratione sui, sive ratione circumstantiarum, sufficiens præbet fundamentum non quidem *gravis*, sed *alicujus* suspicionis et timoris quod illius auctor sit hæreticus. Unde patet propositionem suspectam de hæresi non quoad *speciem*, sed per *gradus* duntaxat differre a propositione hæresim sapiente.

136. — De propositionibus *errori proxima, sapiente errorem*, et *suspecta de errore*, idem esto judicium, servata proportione, ac de propositione hæresi proxima, sapiente hæresim, et suspecta de hæresi. Itaque propositio negans aliquam conclusionem, quæ *plerisque* et *fere omnibus* videtur theologica, errori proxima dicenda est; si autem veri et legitimi sensus propositio capax sit, sed tamen, ratione sui aut circumstantiarum, præbeat fundamentum vel probabiliter judicandi, vel suspicandi duntaxat errorem esse in illius auctore, tunc in primo casu erit propositio errorem sapiens, in secundo vero suspecta de errore.

137. — *Male sonans* propositio, et *piarum aurium offen-*

siva, vix ac ne vix quidem inter se specie distinguuntur : ideo enim forte male sonans non dicitur propositio, nisi quod piorum aures offendat; igitur male sonans vel piarum aurium offensiva propositio illa est, quæ quidem in bonum sensum exponi potest, sed cujus pravus sensus, sive ex intrinseca natura, sive ex circumstantiis extrinsecis, sano et catholico sensui ita prævalet, ut propositio pias aures offendat, malumque sensum præ se ferat.

138. — *Temeraria* propositio ea vocatur, quæ communi SS. PP. doctrinæ aut constanti Theologorum sententiæ adversatur, absque gravi rationis vel auctoritatis fundamento.

139. — *Scandalosa* propositio illa est, quæ dat occasionem ruinæ spiritualis, inclinando ad peccata, vel avertendo a virtutum exercitio. Duplicis autem generis sunt propositiones scandalosæ : aliæ *active*, quæ sui natura habent quod spiritualem proximi ruinam generent; aliæ vero *passive*, ex quibus proximus per accidens, ob propriam nempe fragilitatem, potest desumere occasionem ruinæ spiritualis. Porro, quod sedulo notandum est, possunt quandoque *interdici* propositiones *veræ* ob scandalum mere passivum, dummodo id fiat cum debita circumspectione; nunquam vero possunt tanquam *scandalosæ notari*, quia vera pietas, quæ scandalo esse nequit, semper est cum veritate conjuncta.

140. — *Schismatica* propositio dicitur, quæ viam scissioni unitatis ecclesiasticæ aperit, dum scilicet, fideles ab obedientia Superioribus ecclesiasticis debita ac præcipue Romano Pontifici, qui est totius unitatis ecclesiasticæ centrum, removet ac retrahit, vel negando ipsum esse caput Ecclesiæ et Christi Vicarium, potestatemque ei inesse ferendi leges ecclesiasticas, vel simpliciter ipsi denegando obedientiam. In posteriori casu, propositio est simpliciter schismatica : in priori vero, schismatico-hæretica, quia et schisma promovet, et indubiam hæresim continet.

141. — *Seditiosa* propositio ea nuncupatur, quæ sive ab

obedientia Principibus civilibus debita retrahit, sive ad tumultus in republica excitandos conducit. Si prius, propositio *rebellis* strictius appellatur; si posterius, *seditiosæ* nomen magis proprie retinet.

142. — *Blasphema* propositio ea est, quæ contra Deum, vel contra Deiparam, aut Sanctos, aut res sacras, convicium continet, illis debitas detrahendo perfectiones vel indebitos affingendo defectus, aut ipsis desiderando aut imprecando malum aliquod, vel carentiam alicujus boni. Si talis propositio hæresim exprimat, affirmando scilicet de Deo quod ipsi repugnare, vel negando aut in dubium revocando quod ipsi convenire *fide* constat, tunc *blasphema-hæreticalis* vocatur; si vero contineat aliqualem falsitatem contra fidem, sed eam expresse non enuntiet, *blasphema simplex* nuncupatur. Blasphema propositio specie non distinguitur ab ea, quæ dicitur *divinæ pietati derogans*.

143. — *Impia* appellatur propositio, quæ pietatis opera deprimit ac depretiat, debitum scilicet cultum Deo ut supremo omnium nostrum Patri, honorem parentibus, superioribus obsequia et debitam gratitudinem aufert aut minuit.

144. — *Captiosa* est propositio, quæ sub specie quadam veritatis aut pietatis in errorem inducit.

145. — *Verbo Dei contraria* propositio ea dicitur, quæ opponitur veritati revelatæ quidem, sed nondum ut talis supremo Ecclesiæ judicio definitæ.

146. — *Improbabilis* propositio est ea, quæ nullo Scripturæ aut Traditionis testimonio, aut nulla theologica ratione nititur.

147. — *Falsa* propositio ea est, quæ opponitur veritati philosophice certæ, aut facto historico.

148. — *Non tuta* propositio ea est, quæ, attentis verbis quibus exprimitur, et phrasis constructione, sensum ita

obscurum, æquivocum, indeterminatum præ se fert, ut in pravum sensum intelligi possit; atque ideo propugnari nequeat, nisi apposita distinctione, qua omnis veritati aliena interpretatio removeatur.

149. — *Nota.* Triplici modo applicari possunt illæ censuræ, scilicet, vel singulis propositionibus debitam apponendo censuram; vel, nulla relata propositione, integrum damnando librum ut venenosum, atque Christianis nocivum; vel propositiones sigillatim referendo, notas autem, in unum congestas, propositionibus *respective* convenire asserendo, ut explicatum est in Tract. *de Eccles.*, n. 189. Triplex revera modus ille ab antiquis temporibus usurpatur in Ecclesia.

Hæc de fidei assensu sufficiant. Nunc vero singulorum et omnium dogmatum, quæ per illum supernaturalem assensum apprehendimus, scientia evolvenda est in cæteris subsequentibus Tractatibus.

FINIS TRACTATUS DE FIDE.

TRACTATUS

DE DEO

CONC. VATICANI DECLARATIONES ET CANONES

Sess. III.

Cap. 1. *De Deo rerum omnium creatore.*

1. — Sancta, Catholica, Apostolica, Romana Ecclesia credit et confitetur, unum esse Deum verum et vivum, Creatorem ac Dominum cœli et terræ, omnipotentem, æternum, immensum, incomprehensibilem, intellectu ac voluntate omnique perfectione infinitum; qui cum sit una singularis, simplex omnino et incommutablis substantia spiritualis, prædicandus est re et essentia a mundo distinctus, in se et ex se beatissimus, et super omnia, quæ præter ipsum sunt et concipi possunt, ineffabiliter excelsus.

Hic solus verus Deus bonitate sua et omnipotenti virtute non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam sed ad manifestandam perfectionem suam per bona, quæ creaturis impertitur, liberrimo consilio simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam.

Universa vero, quæ condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter. Omnia enim nuda et aperta sunt oculis ejus, ea etiam, quæ libera creaturarum actione futura sunt.

2. — Si quis unum verum Deum visibilium et invisibilium Creatorem et Dominum negaverit : anathema sit.

3. — Si quis præter materiam nihil esse affirmare non erubuerit : anathema sit.

4. — Si quis dixerit, unam eamdemque esse Dei et rerum omnium substantiam vel essentiam : anathema sit.

5. — Si quis dixerit, res finitas, tum corporeas tum spirituales, aut saltem spirituales, e divina substantia emanasse;
aut divinam essentiam sui manifestatione vel evolutione fieri omnia;
aut denique Deum esse ens universale seu indefinitum, quod sese determinando constituat rerum universitatem in genera, species et individua distinctam : anathema sit.

6. — Si quis non confiteatur, mundum, resques omnes, quæ in eo continentur, et spirituales et materiales, secundum totam suam substantiam a Deo ex nihilo esse productas;
aut Deum dixerit, non voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse, quam necessario amat seipsum;
aut mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit : anathema sit.

OBJECTUM, UTILITAS ET DIVISIO TRACTATUS

7. — Absolutis ad fidem præambulis, evolutisque elementis ipsius actus fidei, quo revelatas veritates amplectimur, nunc veritates illas sigillatim exponendi, demonstrandi, ex iisdem conclusiones deducendi, et ita theologicam scientiam texendi, nobis cura et officium incumbit, manetque exinde percipienda utilitas, perfectio et felicitas.

Primarium autem et suo modo adæquatum Theologiæ objectum Deus est, quatenus unus et trinus in se existit, atque uti omnium creaturarum primum principium et finis ultimus eminet. In primis igitur de Deo agendum est; postea vero de variis individuis contingentibus, scilicet, de Angelis, de homine, de Christo, et de eorum relationibus cum Deo et ad invicem.

Jam vero, Deus considerari potest vel in sua existentia et natura, vel in sua operatione ad intra et ad extra : de operatione autem Dei ad *intra* agitur in Tract. *de SS. Trinitate;* in hoc proinde Tractatu disserenda veniunt cætera Deum spectantia, quæ in hoc primo symboli articulo con-

trahuntur : « Credo *in Deum*, *creatorem cœli et terræ.* »

Nec sane supervacanea videri potest præsens ex revelatione discussio circa quæstiones fere omnes jam a philosophia expensas; siquidem, ope luminis fidei, modo supernaturali apprehendimus pleraque de Deo ratione certo demonstrata; sed etiam haud pauca cum certitudine dirimuntur, quæ a philosophia dubitanter solum agitantur; imo plura de Deo cognoscuntur per supernaturalem Theologiam, quæ per Theodiceam naturalem attingi non possunt.

Aliunde, quisque « melior meliorque fit, quærens tam magnum bonum, quod et inveniendum quæritur, et quærendum invenitur; nam et quæritur ut inveniatur dulcius, et invenitur ut quæratur avidius. *Male vivitur*, si de Deo *non bene sentitur*... Optime de Deo existimare *verissimum est pietatis exordium*... De Deo falli molestum est et periculosum; de Deo mentiri exitiosum et perniciosum. » S. August., *de Trinit.*, lib. 15, c. 2; *de Civit.*, lib. 5, c. 10; *de Lib. arbit.*, lib. 1, n. 5; *Serm.*, 23 in Ps. 72, n. 5. Quare dictum est : « Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis; sed in hoc glorietur, qui gloriatur, *scire et nosse me, quia ego sum Dominus.* » Jerem. 9, ℣ 23. — « *Nosse te consummata justitia* est, et scire justitiam et virtutem tuam, *radix est immortalitatis.* » Sap. 15, ℣ 3; Philipp. 3, ℣ 8; Eccli. 25, ℣ 27 [1].

1. « La science propre du Sacerdoce se nomme la Théologie. Or, la Théologie est l'étude de toutes les opérations divines et de tous les rapports avec Dieu; elle est avant tout l'étude de Dieu lui-même, de l'être divin envisagé dans ses attributs et ses propriétés... La base du Christianisme réside dans une saine théodicée. Voilà pourquoi la bonne et véritable philosophie est le prélude indispensable de la science religieuse. » *Lettre Synod. sur la 1re Constit. du Conc. du Vatican*, a DD. Pie, 1871.

« Il est d'une importance extrême d'établir, le plus solidement possible, qu'il y a des dieux; qu'ils sont bons, qu'ils aiment la justice infiniment plus que les hommes. Ce serait là *le plus beau et le plus parfait préambule que nous puissions mettre en tête de nos lois*. Ce que vous regardez comme de nulle conséquence, *est ce qu'il y a de plus important pour l'homme*, je veux dire d'avoir sur la Divinité des *idées justes, d'où dépend sa bonne et sa mauvaise conduite.* » Platon, *Des Lois*, c. 10.

Tres sunt de Deo quæstiones solvendæ, nempe, *an sit*, *quis sit*, *quid agat*, seu ejus cognoscibilitas, natura et vita. Unde tria erunt capita, de Dei 1° notione et existentia, 2° natura, 3° operatione, præsertim ad extra [1].

CAPUT PRIMUM

DE NOTIONE ET EXISTENTIA DEI

ARTICULUS PRIMUS

De notione Dei.

Essentiam Dei expendemus præcipue in secundo capite; attamen, antequam ejus existentia statuatur, aliquid de ejus definitione quoad nomen et quoad rem, præmittere omnino necesse est. Unde

8. — *Quæritur* 1° quid sit Deus quoad *nomen?*

Resp. Verba apud Latinos *Deus*, apud Græcos vero Θεὸς, et apud Hebræos *Jehovah*, determinantur ad significandam Dei naturam. *Deus*, inquit Tertullianus, *substantiæ nomen est*, id est, divinitatis; *Dominus vero, non substantiæ, sed potestatis;* et hoc sensu docet S. Thomas nomen illud, *Deus*, esse incommunicabile creaturis, cum natura divina illis communicari non possit.

Nomen, *Deus*, derivatur a voce græca Ζεὺς, θεός, quæ dicitur vel a verbo θεάομαι, quod est videre et contemplari, quia omnia sunt præsentia Deo, nihilque illum latet; vel a verbo θέειν, quod est currere vel fovere : nam *attingit a fine usque ad finem fortiter*, Sap. 8, ℣ 1; vel secundum S. Joannem Damascenum, a verbo αἴθειν, quod est ardere; nam *Deus... ignis consumens est*, Deut. 4, ℣ 24; quo denotatur summa ejus activitas; vel a nomine *Jehovah*.

1. Circa Tract. *de Deo*, consuli possunt : S. Thom. 1 p., q. 2 et seq.; *Cont. Gent.*, lib. 1, 2; Suarez, *de Deo;* Hooke, Lafosse, in Cursu Complet. t. 2, 7; Petavius, *de Deo;* Bossuet, *Connaissance de Dieu et de soi-même;* Fénelon, *Traité de l'existence de Dieu*, *Lettres sur la métaphysique;* Tournely, *de Deo;* Billuart, *de Deo*, etc.

Jehovah (nomen apud Hebræos sacratissimum, cum Deus illud sibi assumpserit tanquam proprium, et alteri prorsus incommunicabile), significat illum, qui *Est simpliciter*[1]. Interroganti enim Moysi, Exod., c. 3, ỷ 14, quid diceret filiis Israel quærentibus qui vocaretur Deus Patrum suorum, respondet Deus : *Ego sum qui sum; sic dices filiis Israel :* QUI EST, *misit me ad vos*. Quo denotatur *ipsum Esse;* quemadmodum enim cum dicitur, *color ipse*, gallice, *la couleur même*, non intelligimus determinatam coloris speciem, sed quidquid coloris nomine concipi potest; ita, per illud nomen *ipsum Esse*, gallice, l'*Etre-même*, significatur ens illimitatum, a quolibet alio independens, et a quo omnia habent esse quod sunt.

Itaque nomen *Jehovah*. *Qui est*, maxime proprium est nomen Dei, et quidem triplici ratione : 1. quia significat non aliquam formam, sed ipsum *esse :* atqui essentia Dei propria est *esse*, n. 36; 2. eo quod insuper significat *esse* absque ulla determinatione, et ideo nominat ipsum pelagus substantiæ infinitum, in quo præcise consistit essentia Dei specifica; 3. denique eo quod significat *esse in præsenti*, quod maxime proprie de Deo dicitur, cujus esse non novit præteritum, nec futurum. S. Th. 1 p., q. 13, a. 11.

Et revera plerique præstantiores auctores, sive pagani, sive christiani, quos citat Petavius in suo Tract. *de Deo*,

1. Nomen Jehovah, יהוה (est ex essentia sua et in æternum) a verbo *haiah*, *esse*, cujus abreviatio est *iah*, *ia*, oritur. Verbum autem *ia* magnam habet analogiam cum particula latina *jo*, *ju*, *jov*, qua designatur princeps deorum, *jovis*, *jo-pater*, *jov-pater*, *ju-pater*, *jupiter*. Græci, ad Jovem denominandum, utebantur verbis Ζευσ πατηρ, vel tantum Ζευς, quod oritur etiam a voce *jo*, *ju*. Cum enim in lingua græca deficiant litteræ *J* vel *g* sub forma mollita (*g* mouillé), adhibita fuit littera Z, quæ alia duplici componitur, nempe, *ds*, vel *ts*. Unde nominis, quo designatur Deus, duplex exoritur forma, quarum una litteram D, v. g., Ζευς apud Græcos, *Deus* apud Latinos, *Deva*, apud Indos; altera vero T adhibet, v. g., Θεος apud Græcos, *Tot* apud Ægyptios, *Teutates*, apud Germanos, *Tia* apud Sinenses.

Nomen autem *Got*, *Gott*, *Gut*, in idiomate saxoniensi et daniensi usitatum, eumdem tenere ortum videtur. Si enim, pronuntiando, e molli in asperam mutetur littera *j* vel *g*, ut revera fit in hispana lingua, perfacile *jo fit go* seu *got*. Similiter vox *Bog*, qua in slaviensi idiomate designatur Deus, cum voce *Got* manifestam habet affinitatem.

uno ore proclamant nullum verbum tam apte significare quid proprie sit Deus.

Propterea vox hebræa, *Elohim*, Dei potentiam et auctoritatem sonans, applicatur aliquando, sed in plurali numero et cum restrictione aliqua, iis qui in potentia constituuntur : « Ego dixi, *dii estis... vos autem sicut homines moriemini;* » Ps. 81, ỳ 6, 7. Nomen autem Jehovah nunquam in Scripturis quocunque modo tribuitur creaturis[1].

9. — Alia sunt etiam nomina, quæ de Deo dicuntur proprie vel metaphorice, positive vel negative, absolute vel relative.

Proprie quidem, si significent perfectionem, v. g., omnipotens, bonus, sapiens. *Metaphorice* autem, si exprimant perfectiones admixtas imperfectionibus, v. g., corpus, leo, non dicuntur de Deo nisi metaphorice, nec sunt in eo formaliter, sed eminenter tantum, quia in suo conceptu formali dicunt imperfectionem.

Positive, quando significant aliquam Dei perfectionem, ut omnipotens, bonus. *Negative* vero, cum negant in Deo aliquam esse imperfectionem, v. g., incorporeus, infinitus, incomprehensibilis. Et hæc posteriora felicius Deum significant, cum « de Deo novimus melius *quid non sit*, quam *quid sit,* » ait S. Dionys., *de divinis Nom.*

Absolute, si dicantur de Deo sine ordine ad aliud, ut sapiens, vivens. *Relative,* quando dicuntur de Deo relative ad aliud, v. g., creator, Dominus, pater, filius. Si respectum habeant ad creaturas, relativa nomina nonnisi ex tempore

1. Judæis prohibitum erat ne pronuntiarent nomen Jehovah, quod ideo designabant voce *tetragrammaton,* id est, nomen quatuor litteris compositum. Cæterum, unicuique ex quatuor litteris, quibus constat nomen Jehovah, יהוה, traditione Synagogæ tribuitur sensus mysticus, scilicet, littera י (iod) seu puncto hebraico, significatur primum principium seu Pater; littera ה (hé) designatur Filius; littera ו (vav) indicatur Spiritus Sanctus; littera repetita ה significatur Filius incarnatus. Vide D. Drach., *De l'harmonie entre l'Eglise et la Synagogue*, 1re sect., c. 4. — Vigouroux, *La Bible et les découvertes modernes*, etc., 2e p., liv. 1, c. 4.

de Deo dicuntur. Deus enim non est creator, nec Dominus, nisi ex tempore, quo cœperunt esse creaturæ.

10. — *Quæritur*. 2° quid sit *Deus* quoad rem?

Resp. Ex jam dictis, Deus definiri potest : *Ens simpliciter*, id est, ens quod in se includit quidquid entis et realis rationem habet, quod proinde constituitur per ipsum pelagus substantiæ infinitum.

Verbis elementitiis et concretis definitur : Ens cæteris entibus *natura et perfectionibus longe præstans*, cujus existentia *nec initium habuit, nec finem habere potest*, sub *cujus ditione et dominio universa constituuntur*, cui *amor cunctaque religionis officia debentur*. Talem revera esse notionem, quam, omni tempore et loco, homines sibi de Deo effinxerunt plus minusve explicite, et quam tradunt Scriptura et Traditio, testantur omnium populorum monumenta, ut ex dicendis constabit.

ARTICULUS II

De existentia Dei.

11. — *Quæritur* quotuplex sit error circa existentiam Dei?

Resp. Triplex est in hoc puncto erroris forma, scilicet, Atheimus, Polytheismus, et Pantheismus, prout Deum existere expresse negatur, vel natura divina tribuitur pluribus omnino distinctis entibus, vel substantia divina identificatur cum ipsa rerum mundanarum universalitate. Unde Atheismus omnem ideam et realitatem Dei removet ; polytheismus tollit Dei unicitatem ;pantheismus personalitatem Dei rejicit. Unde

§ I

De realitate Dei contra Atheismum.

12. — Infandum atheismi errorem nostris etiam diebus profiteri, ignarisque imo parvulis ipsis vi, astucia, mendacio ipsaque morum corruptela instillare conatur impia sophistarum, folliculariorum turba, ac præsertim secta politico-impia Massonum, *quia nihil potest esse perversius*,

inquit Leo XIII, Encycl. *Humanum genus*, 20 apr. 1884. Cujus ideo omnium pessimi erroris notionem et species, existentiam, causas, effectus, formas et præcipuos auctores primum exponemus, ac dein eamdem confutabimus.

12*. — I. *Atheismi notio, species.* Per atheos (ἄ-θεος, *non Deus, sine Deo*) juxta vim nominis intelliguntur illi, qui existentiam alicujus numinis, id est, entis supremi, a quo dependeant finita entia, quibus aspectabilis mundus coalescit, non admittunt.

Hoc autem duplici modo evenire potest, vel *negative*, vel *positive*. Negativi athei sunt illi, qui Deum non admittunt, eo quod ipsum ignorant, seu illius notionem reflexam non habent. Positivi autem athei sunt ii, qui Dei notionem habent, sed simul ipsius existentiam expresse impugnant; et dividuntur in *scepticos*, vel *dogmaticos*, prout vel de existentia Dei solummodo dubitant, vel ipsum non existere se certos esse prætendunt.

Isti apud paganos generatim dicti sunt *athei*; seculo autem decimo septimo, *libertini*; seculo decimo octavo, *philosophi, ingenia fortia*; seculo decimo nono, *ecclectici, liberi-cogitatores, naturalistæ, positivistæ, realistæ, critici, nihilistæ, rationalistæ* in sensu latiori, vel etiam, in Anglia, *agnostici*, id est, nihil supernaturale, nihil divinum agnoscentes.

13. — II. *Existentia Atheismi.* Quæri potest an revera existere possint homines, qui vel nullam Dei notitiam unquam habuerint, vel fidem in illum e cordibus suis penitus eradicaverint. Porro,

1° Quoad *negativos* atheos, vel agitur de hominibus in statu sociali degentibus, suarumque facultatum intellectualium usu fruentibus; vel de hominibus qui, quacunque de causa, ad expeditum rationis usum non pervenerunt.

In prioribus, difficile supponi posse videtur completa Dei nescientia. Nulla enim unquam exstitit societas, quæ notionem Dei saltem confusam et imperfectam non retinuerit; et ideo vix possibile concipitur inter alicujus societatis membra inveniri hominem, qui Dei notionem

una cum aliis documentis, quæ a societate dantur, non acceperit.

In posterioribus autem, repugnare non videtur quod reflexa Dei notitia deficiat; et rem ita se habere probabiliter creditur tum de hominibus qui, ut fertur, ab omni hominum commercio segregatis, sine ullis ideis intellectualibus et moralibus reperti fuere; tum de surdis-mutis, qui licet in societate degentes, nondum educationem excultam communiaque documenta accipere potuerunt.

2° Quoad *positivos* atheos, hæc tria constare videntur, juxta communem Theologorum ac philosophorum sententiam ; scilicet : 1. nullus unquam homo exstitit, qui omnibus argumentis, quibus demonstratur et impugnatur Dei existentia, mente sedata præjudiciisque et cupiditatibus vacua, pensatis, atheismum postea bona fide admiserit, intimaque persuasione crediderit. Deum non existere. 2. Absolute tamen fieri posse concipitur, quod aliqui inveniantur homines, quorum intellectus eo usque sophismatibus et præsertim cupiditatibus depravatus fuerit, ut per tempus *breve* judicaverint Deum non existere. 3. At fieri non posse videtur, quod persuasio hæc per totam eorum vitam perseveret. Adeo enim profunde fides in Deum in hominis natura fundatur, adeo perspicua sunt et gravia rationum momenta, quæ primam hanc veritatem adstruunt, ut aliquis homo, rationis usu præditus excogitari non possit, in cujus mente lumen veritatis tenebras sophismatum sæpius non depellat graviaque saltem dubia non producat. Vide Zigliara, *Theol.*, 7, 9, 10; Billuart, *de Deo*, q. 1, a. 1 ; Thomassin., *de Deo*, lib. 1 ; Bossuet, Serm. *sur le jug. dernier*.

In hoc communiter consentiunt SS. Patres. « Hæc est *vis veræ Divinitatis*, ut creaturæ rationali jam ratione utenti *non omnino ac penitus possit abscondi*. Exceptis enim paucis, in quibus *natura nimium depravata est*, universum genus humanum Deum mundi hujus *fatetur auctorem*... Deus ubique secretus, *ubique publicus;* quem nulli licet, ut est, cognoscere, et quem *nemo permittitur ignorare*, » S. August., *in Joan.* Tract. 2, 6 ; *in Ps.* 50, n. 9, *in Ps.* 73, n. 25 ;

Serm. 141, n. 1. — « Non nos in omnigena prorsus ignorantia versari passus est Deus. *Nemo* quippe mortalium est, cui hæc ab eo *naturaliter insitum sit*, ut *Deum esse cognoscat.* » S. Damascenus, *de Orth. fide*, lib. 1, c. 1. — « Summa delicti est nolle eum cognoscere, *quem* ignorare non possit. » S. Cypr., *de Idol. vanit.* — « Nullus ab adolescentia usque ad senectutem in ea opinione, *quod dii non sint, perseveravit.* » Plato, *de Legib.*, lib. 10. Vide alios textus apud Thomassin, *ibid*; apud Tournely, *ibid*.[1].

Et sane gravissimum nascitur præjudicium adversus atheorum bonam fidem et doctrinam, ex solo hujusce controversiæ facto. Nemo enim non videt quantum rationi humanæ adversari debeat error, cujus vel possibilitas in dubium revocatur; Vide n. 32, 33, 34.

Tandem, ab origine mundi ad nos usque, nunquam fuit Gubernium, quod in rebus civicis ordinandis ac gerendis atheismum profiteretur, nullumque Divivinitati publicum cultum retribueret. « Curam de religione publice adhibere nullam, inquit Leo XIII, et in rebus civicis ordinandis, gerendis Deum nihilo magis respicere, quam si omnino non esset, temeritas est ipsis ethnicis inaudita; quorum in animo sensuque erat sic penitus affixa non solum opinio

1. Eodem modo loquuntur S. Justinus, *Apolog.*, 2; Clement. Alex., *Admonit. ad Gentes*; Eusebius, *Præparat. Evang.*, lib. 2, c. 6; S. Athan.. *Orat. contra Gent.*, n. 30; S. Chrysost., *in Epist. ad Rom. Homil.* 3, n. 2; S. Greg. Naz., *Orat.* 24, 28; S. Gregor. Nyss., *Orat.* 5; Tertull., *Apolog.* c. 17; *contra Marcion.*, lib. 1, c. 10; *Testimon. animæ*, c. 5; Arnobius, *contra Gent.*, lib. 1, p. 9, lib. 2, p. 20; Lactantius, *Instit.*, lib. 2, c. 1; Cicero, *de Nat. Deor.*, lib. 1; *Tusculan.*, lib. 1; Plotinus, *Ennead.*, lib. 5; Jamblicus, *de Mysteriis*, lib. 1, c. 3.

« J'aurais une extrême curiosité de voir celui qui serait *persuadé* que Dieu n'est point : il me donnerait, du moins, la raison invincible qui a su le convaincre. L'impossibilité où je suis de prouver que Dieu n'est pas, me découvre son existence... Je sens qu'il y a un Dieu, et je ne sens pas qu'il n'y en ait point : cela me suffit; tout le raisonnement du monde m'est inutile : je conclus que Dieu existe. Cette conclusion est dans ma nature; j'en ai reçu les principes trop aisément dans mon enfance, et je les ai conservés depuis trop naturellement dans un âge plus avancé, pour les soupçonner de fausseté. Mais il y a des esprits qui se défont de ces principes : c'est une grande question s'il s'en trouve de tels; et, quand il serait ainsi, cela prouve seulement qu'il y a des monstres. L'athéisme n'est point. » La Bruyère, c. 16, *Des esprits forts*.

Deorum, sed religionis publicæ necessitas, ut invéniri urbem facilius sine solo, quam sine Deo posse arbitrarentur. » Leo XIII, Encycl. *Humanum genus*, 20 apr. 1884.

14. — III. *Causa Atheismi.* Duplex est præcipua causa atheismi seu alicujus dubii temporanei circa Dei existentiam, abusus, scilicet, intellectualium facultatum, et voluntatis depravatio.

1° *Abusu intellectualium facultatum* in atheismum incidere possunt 1. semidocti, qui, cum scientiis aliqualem operam dederint, in causis secundis velut in ultima rerum ratione sistunt, non satis attendentes essentialiter requiri supremum et independens causarum secundarum principium. De illis dixit Baco : « *Leves* gustus in philosophia movere fortasse possunt ad atheismum ; sed *pleniores* haustus ad *religionem reducunt.* » *de Aug. scient.* lib. 1.

2. Citantur etiam aliqui homines, mathematicis demonstrationibus exclusive assuefacti, qui omnem certitudinem præter mathematicam rejicientes, exinde existentiam Dei, eo quod per formulas algebricas demonstrari non posset, tanquam dubiam aut nonnisi probabiliorem tantum habuere. At frequentius ad idem dubium deduci potuere, qui, scientiis physicis aut medicinalibus dediti, ideoque ad naturam hominis materialem unice attendentes, ad omnimodam substantiarum spiritualium, proindeque divinæ naturæ negationem adducti sunt.

3. Hæretici, cum nihil stabile et solidum in suis erroribus inveniant, ex suis principiis ultimas conclusiones deducendo, in atheismum prolabuntur, et Deum esse negant. Revera atheismus seculi proxime elapsi, et ille, qui nostris diebus propagatur, fuit de facto et logice ultimum hæresis Lutheranæ consectarium, ut probatum est in Tract. *de Eccl.* n. 246.

2° *Voluntatis depravatio* longe frequentior est atheismi causa ex triplici præsertim fonte, nempe, voluptatis, ostentationis, timoris.

Et quidem 1. ratione *voluptatis*, quæ adeo mentem obnu-

bilat, ut, qui ei indulget, facile inclinatur ad rejiciendum quidquid non sub sensibus cadit. « Que l'homme de plaisir sensuel, qui laisse dominer les sens et ne songe qu'à les satisfaire, prenne garde que Dieu ne le livre tellement à leur tyrannie, qu'à la fin il vienne à croire que ce qui *n'est pas sensible, n'est pas réel ;* que ce qu'on ne voit ni ne touche, n'est qu'une ombre et un fantôme ; et que les idées sensibles prenant le dessus, toutes les autres ne paraissent douteuses ou tout à fait vaines ; car *c'est là que sont conduits insensiblement ceux qui laissent dominer les sens et ne pensent qu'à les satisfaire.* » Bossuet, serm. *Sur la nécessité de travailler à son salut*, 1er point ; vide Tract. *de Peccatis*, n. 92.

2. Ratione *ostentationis* quidam coram aliis incredulos se jactitant, dum ex animo sensum Dei retinent. « *Mentiuntur* qui dicunt *se non sentire esse Deum ;* nam etsi tibi affirment interdiu, noctu tamen et soli dubitant. » Seneca, lib. 1 *de Ira*. — « Il est assez apparent que ceux, qui affectent dans les compagnies de combattre les vérités les plus communes de la religion, en disent plus qu'ils n'en pensent. La vanité a plus de part à leurs disputes que la conscience... ; et si la vie voluptueuse se joint à leur vanité, ils marchent encore plus vite dans ce chemin. Cette mauvaise habitude assoupit le sentiment des vérités qu'ils ont apprises dans leur enfance touchant la Divinité, le paradis et l'enfer ; mais ce sentiment se réveille dès qu'ils se consultent, et principalement à la vue de quelque péril. » Bayle, *Dictionnaire*, art. *Desbarreaux*.

3. Ratione *timoris judicii* ex parte Dei, quatenus multi, ut securius vitiis indulgeant, sibi persuadere student nullum prorsus existere supremum judicem, cui de suis actibus etiam internis rationem reddere teneantur : « O miseros homines, inquit S. August., *in Joan.* Tract. 90, n. 3, qui, *cum esse volunt mali, nolunt esse veritatem, qua damnantur !* Nolunt enim esse quod est, cum seipsos debeant nolle esse quod sunt ; ut ipsa manente mutentur, ne ipsa judicante damnentur. »

Quare viri haud parvi nominis affirmare non dubita-

runt voluntatis depravationem solam esse veram causam atheismi, quem plures profiteri jactitant [1].

Et revera illis præsertim temporibus viguit atheismus, in quibus antiqui mores longo *civilisationis* usu corrupti fuerant, sicut evenisse noscunt omnes apud Græcos et Romanos, in ultimis harum nationum temporibus, et apud nos in seculo proxime elapso, et etiam nostris diebus.

15. — IV. *Effectus Atheismi.* Patet atheismum, removendo ideam entis supremi, cui entia rationalia subjiciantur, eo ipso tollere ideam legis moralis et cujuslibet auctoritatis, necnon et dogma alterius vitæ, atque perhibere egoismum in hac vita tanquam ultimum hominis finem prosequendum, solamque vim physicam tanquam jus supremum et appetitus cujuslibet ultimam rationem. Ergo atheismus funditus evertit ordinem moralem et socialem, sempiternamque confusionem et infelicitatem per se inter homines introducit, atque maxime fovet. « Nam, ut ait Leo XIII, Encycl. *Humanum genus,* 20 apr. 1884, sublato Dei metu legumque divinarum verecundia, despecta principum auctoritate, permissa probataque seditionum libidine, projectis ad licentiam cupiditatibus popularibus, nullo nisi pœnarum fræno, necessario secutura est rerum omnium commutatio et eversio... atque hoc nihil aliud est quam genus humanum cum ignominia et

1. « Il a paru aux libertins que c'était une contrainte importune de reconnaître qu'il y eût au ciel une force supérieure, qui gouvernât tous nos mouvements, et châtiât nos actions déréglées avec une autorité souveraine. Ils ont voulu secouer le joug de cette Providence, qui veille sur nous, afin d'entretenir dans l'indépendance une liberté indocile, qui les porte à vivre à leur fantaisie, sans crainte, sans retenue et sans discipline. » Bossuet, *Serm. sur la Providence.* — « Je voudrais voir un homme sobre, modéré, chaste, équitable, prononcer qu'il n'y a point de Dieu, ou bien d'âme immortelle : il parlerait sans intérêt. Mais cet homme ne se trouve pas. » La Bruyère, *Caract.*, c. 16. « Tenez votre âme en état de désirer toujours qu'il y ait un Dieu, et vous n'en douterez pas. » J.-J. Rousseau. — « De tout temps, les athées ont été, de notoriété publique, des hommes corrompus par des passions charnelles, l'athéisme n'étant pas ce qui conduit ordinairement à l'impudicité, mais l'impudicité étant la voie ordinaire qui conduit à l'athéisme. » Pic de La Mirandole.

dedecore ad interitum impellere. » Vide Tract. *de Ecclesia*, n. 232, Institutiones canonicas, Tract. 1, n. 4-8.

16. — V. *Præcipuæ Atheismi formæ.* Varia atheismi systemata excogitata fuerunt ad explicandam mundi originem, quæ, Deo negato, in creatione reponi nequit. Porro athei, ut ab hac difficultate sese expedirent, recurrerunt alii ad necessitatem absolutam seu *fatum*, alii vero ad *casum fortuitum*. Hinc *fatalismus*, et *casualismus*, qui, ut duæ atheismi formæ, vulgo traduntur. Nonnuli duplicem illam formam simul propugnaverunt, necessitatem agnoscendo tanquam causam existentiæ entium mundanorum; casum vero tanquam causam ordinis, qui in illorum dispositione tam splendide elucet.

17. — VI. *Defensores Atheismi.* Inter atheismi assertores citari possunt, apud veteres, Anaximenes, e schola *Ionica* a Thale fundata; Theodorus, cognomento *Atheus*, ex schola *Cyrenica*; Strato Lampsacenus, ex schola *Peripatetica*, cum pluribus aliis ejusdem scholæ; Epicurus, scholæ suo nomine insignitæ fundator, et plerique ejus discipuli, quorum celeberrimus fuit Lucretius. Hic apud Romanos Epicuri doctrinam propagare studuit, versibusque exornavit in opere, cui titulus : *De natura rerum*. Vide Tournely, *de Deo*, q. 1, a. 1.

Inter recentiores, præcipui ejusdem impietatis fautores, sunt : Joan. Becker, medicus germanicus; de Maillet, Baro d'Holbach, Lalande, Cabanis, et hodierna sophistarum et folliculariorum turba, et præcipue secta Massonum, quæ uti *impura lues serpit per omnes reipublicæ venas*, ut ait Leo XIII, et cujus impiissima principia, nefaria media et scopum gravissimis verbis denuntiavit damnavitque idem S. Pontifiex in Encycl. *Humanun genus*, 20 apr. 1884, uti eamdem sectam jam damnaverant Clement. XII, 1738, Benedict. XIV, 1751, Pius VII, 1821, Leo XII, 1825, Pius VIII, 1829, Gregorius XVI, 1832, Pius IX, 1846, 1865, etc.[1]. Sit igitur

[1] « En 1880, date de la dernière statistique officielle, il existait dans tout l'univers 137,063 loges maçonniques, comprenant 17,160,643 membres, savoir :

PROPOSITIO

18. — *Existit Deus, seu Ens summe perfectum, sine principio et fine, cui cætera omnia subjiciuntur.* Philosophice certum est, Theologice de fide.

Prob. I. *Scriptura*, quæ sic exorditur : « In principio creavit *Deus* cœlum et terram ; » et in omnibus paginis summam Dei perfectionem et æternitatem miris verbis extollit ; sed etiam in toto decursu enarrat facta consiliaque Dei creatoris et providentis erga homines præsertim, atque solum insipientem perhibet in corde suo dicentem non esse Deum ; « Dixit *insipiens* in *corde* suo : *Non est Deus ;* » Ps. 52, v. 1. In *corde* quidem, quia vix est, ait S. Augustinus, qui tam insignem blasphemiam coram aliis audeat ore proferre.

II. *Traditione.* Eadem enim veritas definita fuit et consignata in omnibus Christianorum Symbolis. Similiter omnes SS. Patres toti sunt ad statuendum existentiam non tam supremi Numinis, quod confitebantur ipsi pagani, quam Numinis sub omni modo perfecti, seu ejus unitatem ac varia attributa, quibus a diis paganismi distingueretur. Nec minus instant ac unanimes sunt Theologi. Idem sic definivit Conc. Vaticanum, n. 2 : « Si quis *unum verum Deum*, visibilium et invisibilium creatorem et dominum negaverit : anathema sit. »

III. *Ratione* confirmatur triplicis generis argumentis, nempe, *moralibus, physicis, metaphysicis*, prout inducuntur ex auctoritate humana, ex mundo physico per sensum communem, ex idearum nostrarum consideratione. Cujusmodi probationes fuse evolvuntur in Prælectionibus philosophicis ; et ideo hic easdem revocare tantum satis erit.

Etats-Unis, 2,678,290 ; Amérique du Sud, 4,517,425 ; Amérique centrale, 58,516 ; Asie et Océanie, 594,211 ; Afrique, y compris l'Egypte, 86,320 ; Europe, 6,854,415 ; et, dans les diverses parties du monde, 2,379,460 femmes affiliées à la secte. La cotisation de chaque membre est de 2 fr. 50 par mois, de 30 francs par an ; en sorte que la secte disposerait chaque année de plus de 500 millions (Journal *le Siècle*, mai 1884).

1° Ex argumento *morali* seu historico, humana *auctoritate* innixo. Illud dogma tanquam verum admittendum est, quod genus humanum, nec cupiditatibus illectum, nec sensibus delusum, nec levitate aut præcipitatione obreptum, constanter professum est; constat ex probatis in prælectionibus philosophicis.

Atqui talis est existentia Dei. Et quidem 1. genus humanum constantur professum est Deum existere, hic abstrahendo ab ejus natura. Constat enim tum ex omnibus scriptoribus illius facti coævis, tum ex monumentis publicis, tum ex ipsis atheis, nullos esse populos, licet gente, patria, moribus et religione dissitos, qui non consentiant in asserendam existentiam numinis alicujus, a quo dependeant et regantur omnia; nullam esse nationem quæ atheismum profiteatur. Unde ait Tullius : « *Nulla gens est* tam immansueta, neque tam fera, *quæ non*, etiamsi ignoret qualem Deum habere deceat, *tamen habendum sciat;* » lib. 1 *de Legibus*. Et pergit Plutarchus in Tractatu contra Colotem : « Si terram obeas, invenire possis urbes muris, litteris, regibus, domibus, opibus, numismate carentes; *urbem* vero *templis diisque destitutam*, quæ *precibus, jurejurando, oraculis non utatur..., nemo unquam vidit...* Facilius *urbem* condi *sine solo* posse puto, *quam opinione de diis penitus sublata, civitatem coire aut constare.* » Ergo consentiunt omnes populi Deum existere.

2. Nec in hoc dogma confitendo genus humanum fuit *cupiditatibus illectum :* his enim omnino contrarium est dogma de existentia entis supremi, intelligentis et providentis; nec *sensibus delusum ;* eis siquidem tale dogma est impervium; nec *levitate aut præcipitatione obreptum;* nam in re magni momenti consensus constanter universalis a præcipatione non procedit; ergo ex consensu generis humani constat Dei existentia. « Quid est igitur, ait Cicero, *de Divinat.*, lib. 1, c. 39, cur dubitandum sit, quin sint ea, quæ disputavi, verissima? Si ratio mecum facit, si eventa, si populi, si nationes, si græci, si barbari, si majores etiam nostri, si denique hoc semper ita putatum est? Si summi philosophi, si poetæ, si sapientissimi viri, qui respublicas

constituerunt, qui urbes condiderunt? an, dum bestiæ loquantur expectamus; hominum consentiente auctoritate contenti non sumus? »

2° *Ex argumentis physicis,* ope sensus communis, et quidem ex triplici capite. Scilicet, existunt tum materia in suo esse substantiali, tum motus in variis materiæ partibus, tum ordinatio sive inter ipsas partes uniuscujusque entis constitutivas, sive inter varia mundi entia, vi cujus tanquam medium et finis ad invicem concipi debent, atque etiam omnia ad unum generalem finem conspirant. Hæc, ope perceptionis sensuum et inductionis, statuta manent in prælectionibus philosophicis.

Porro illa tria per se non sunt necessaria seu a se, sed contingentia; siquidem non repugnat quod concipiantur sine actuali existentia, nec sine actuali modo essendi, qui reipsa in unoquoque individuo mundi physici indesinenter mutatur; ergo tria hujusmodi causantur ab alio ente mundo physico extrinseco, immobili, intelligentia prædito et necessario seu Deo; alioquin ad inveniendam primariam illorum contingentium causam procederetur in infinitum, seu reipsa, stantibus illis effectibus, deficeret eorum prima causa.

3° Ex argumentis *metaphysicis* seu ex idearum nostrarum consideratione desumptis ope evidentiæ. Hujusmodi ideæ vel nos aliquomodo afficiunt ac percipiuntur sensu intimo, vel spectant ens simpliciter, ens infinitum, ac percipiuntur per rationem puram.

Ex sensu intimo hæc quatuor nobis constant, scilicet, 1. mens nostra non est necessaria quoad existentiam, id est, non semper fuit, ac potest non esse, et ideo a seipsa non habuit initium; 2. unio inter animam et corpus initium habet, ac etiam finem, ac proinde non est necessaria, nec procedit ab anima, nec a corpore; 3. mens nostra suarum actionum regulam seu legem immutabilem percipit, quæ etiam eadem est pro omnibus omnium temporum hominibus; 4. tandem mens nostra conscientiæ stimulos experitur, quoties propria actio præfatæ regulæ opponitur; et idem experiuntur cæteri homines omnium temporum atque locorum in iisdem circumstantiis.

Porro quatuor hujusmodi effectus nec esse, nec concipi possunt 1. sine causa efficiente et infecta sive existentiæ mentis, sive unionis inter animam et corpus; 2. sine legislatore immutabili, universali et æterno; 3. sine judice supremo, cujus timor conscientiam exagitat, quoties mens nostra alicujus criminis est conscia; ergo existit hujusmodi causa, legislator et judex seu Deus.

Quare homo quilibet intime sibi conscius est, se divinitatis ideam alta mente a teneris annis repositam habere, et adeo naturæ nostræ conformem, ut vix fieri possit, quod penitus abjiciatur, n. 13; atque ipsi, qui atheos sese jactitant, cum in arcto sunt positi, sponte ad divinitatem deprecandam confugiunt : porro, si adeo intima et efficax propensio in errorem nos induceret, ipsa natura nostra fallax esset dicenda.

Hujusmodi argumentum metaphysicum, necnon omnia physica argumenta ad hoc reducuntur : existit ens necessarium seu a se : porro ens illud est Deus; ergo Deus existit.

Major probatur. Vel enim omnia entia et omnes effectus, qui in eis subjectantur, sunt contingentia, vel necessaria, vel unum est tantum ens necessarium, a quo cætera fuerunt producta, atque modificantur et diriguntur : atqui duo priora repugnant : *Primum* quidem. Ens enim contingens illud est quod potest esse aut non esse, ideoque supponi reipsa non existere : porro, si omnia entia supponantur ut possibilia tantum, eo ipso sunt impossibilia, cum ad existentiam transire non possunt per se ipsa, alioquin essent seipsis priora simul et posteriora; nec per aliud, cum, ex hypothesi, nihil sit præter illa possibilia ; ergo omnia entia non sunt contingentia, sed requiritur unum saltem ens necessarium.

Nec *secundum*. Sufficit enim quod unum ens sit necessarium, ut per ejus causalitatem concipiatur cæterorum existentia; aliunde, inter entia de facto existentia, omnia præter unum concipi possunt sine actuali existentia ; ergo omnia entia non sunt necessaria, sed unum tantum sufficit necessarium, quod aliunde requiritur, et ideo existit.

Minor non minus certa est, nempe, illud ens necessarium est Deus ipse. Nam cætera entia, cum sint contingentia, ab illo ente necessario pendent, quod ideo est ens supremum, cui omnia subjiciuntur, seu Deus.

Sed etiam ens necessarium est omnimodo independens quoad esse et modum essendi, ac proinde ex necessitate suæ naturæ habet, quidquid habere potest : atqui habere potest entis et perfectionis plenitudinem ; ergo ens necessarium est ens infinitum, ens simpliciter seu Deus.

Tandem *ex idea entis simpliciter*, entis infiniti, perfectissimi seu cum entis plenitudine, multi inferunt hujusmodi entis realem existentiam. Videlicet, ut aiunt, objectum ideæ entis simpliciter, entis infiniti, non est merum nihilum, alioquin plenitudo entis idem esset ac plenitudo nihili, quod est absurdissimum ; nec ejusdem ideæ objectum est quid tantum possibile, quum illud objectum non possit transire ad existentiam per seipsum, alioquin esset suiipsius causa, nec per aliud ens, alioquin ab hoc ente penderet quoad existentiam, et ideo jam non esset ens simpliciter, ens infinitum, cum independentia careret ; ergo idea entis simpliciter, entis infiniti, pro objecto non habet merum nihilum, nec quid tantum possibile, sed quid revera existens. Porro Deus nihil aliud est quam ens simpliciter, ens infinitum ; ergo Deus existit.

Hoc argumentum sic evolvit Bossuet, 1re, 2e *Elévat.* : « Pourquoi l'imparfait serait-il, et le parfait ne serait-il pas? c'est-à-dire, pourquoi ce qui tient plus du néant serait-il, et que ce qui n'en tient rien du tout, ne serait pas? Pourquoi l'être à qui rien ne manque, ne serait-il pas, plutôt que l'être à qui quelque chose manque? D'où vient que quelque chose est, et qu'il ne se peut pas faire que le rien soit, si ce n'est parce que l'être vaut mieux que le rien, et que le rien ne peut pas prévaloir sur l'être, ni empêcher l'être d'être? Qui peut donc empêcher que Dieu ne soit? »

« On dit ; le parfait n'est pas ; *le parfait n'est qu'une idée de notre esprit, qui va s'élevant de l'imparfait*, qu'on voit de ses yeux, jusqu'à une perfection *qui n'a de réalité que dans la pensée*. C'est le raisonnement que l'impie voudrait faire

dans son cœur insensé, qui ne songe pas que le parfait est le premier, et en soi et dans nos idées; que l'imparfait, en toutes façons, n'en est qu'une dégradation. »

« Dis-moi, mon âme : comment entends-tu le néant, sinon par l'être? Comment entends-tu la privation, si ce n'est par la forme dont elle est privée? Comment l'imperfection, si ce n'est par la perfection dont elle décheoit? Mon âme, n'entends-tu pas que tu as une raison, mais imparfaite, puisqu'elle ignore, qu'elle doute, qu'elle erre et qu'elle se trompe? Mais comment entends-tu l'erreur, si ce n'est comme privation de la vérité, et comment le doute ou l'obscurité, si ce n'est comme privation de l'intelligence et de la lumière? ou comment enfin l'ignorance, si ce n'est comme privation du savoir parfait; comment, dans la volonté, le dérèglement et le vice, si ce n'est comme privation de la règle, de la droiture et de la vertu? »

« Il y a donc primitivement une intelligence, une science certaine, une vérité, une fermeté, une inflexibilité dans le bien, une règle, un ordre, avant qu'il y ait une déchéance de toutes ces choses : en un mot, il y a une perfection avant qu'il y ait un défaut; avant tout dérèglement, il faut qu'il y ait une chose qui est elle-même sa règle, et qui, ne pouvant se quitter soi-même, ne peut non plus ni faillir ni défaillir. Voilà donc un être parfait; voilà Dieu, nature parfaite et heureuse. Le reste est incompréhensible, et nous ne pouvons même pas comprendre jusqu'où il est parfait et heureux, pas même jusqu'à quel point il est incompréhensible... »

« Quand, recueillis en nous-mêmes, nous nous rendons attentifs aux immortelles idées, dont nous portons en nous-mêmes la vérité, nous trouvons que la perfection est ce que l'on connaît le premier, puisque, comme nous l'avons vu, on ne connaît le défaut que comme une déchéance de la perfection. »

« Illa demonstratio primo aspectu speciem veritatis præ se fert, ait Zigliara, *Theol.*, 2, II, VI, VIII; attamen, dato quod quilibet intelligat hoc nomine *Deus* significari illud, quo majus cogitari non potest, non potest argui quod sit

in re, sed in apprehensione tantum. » Idem objicit S. Th., 1 p., q. 2, a. 1, ad 2.

Itaque 1. Dei existentia adstruitur omni genere probationum seu certitudinis, nempe, auctoritate, sensu communi et evidentia; ac proinde vis illorum argumentorum, saltem collective sumptorum, negari non potest, quin ad ipsammet certitudinem denegandam logice deveniamus; ita ut inter fidem in Deum et scepticismum universalem non datur medium.

2. Nec hujusmodi certitudo est tantum subjectiva seu idealis, non vero objectiva seu realis. Namque, si per facultates cognoscitivas qualescunque, quibus præditi sumus, et ope ratiociniorum omnis generis legitime institutorum, attingere non valemus objectum reale, eo ipso de hoc nequidem cogitare possumus, et multo minus ejus existentiam stabilire; atque iterum concludendum est vel de existentia reali et objectiva Dei nobis constare, vel nihil prorsus a nobis objective ullomodo cognosci posse.

S. Th., 1 p., q. 2, a. 3, quinque affert existentiæ Dei argumenta, desumpta, scilicet, ex necessitate 1. primi *motoris* omnino immobilis, respectu omnium quæ moventur in mundo physico; 2. primæ causæ efficientis et in se omnino infectæ, respectu omnium effectuum; 3. entis necessarii seu a se respectu omnium contingentium; 4. entis summe perfecti respectu finitæ perfectionis aliorum; 5. entis summe provisoris et gubernatoris, respectu ordinis, qui relucet in mundo. Omnes igitur illæ probationes ad necessitatem causæ omnium efficientis et omnino infectæ seu entis necessarii reducuntur, ut ipse S. Th. concludit ex illis argumentis.

19. — *Obj.* Adest circulus vitiosus, quando aliqua veritas statuitur per argumentum, quod eamdem veritatem supponit : atqui, in hoc Tractatu, existentia, attributa et operationes Dei probantur ope revelationis, quæ illa tria supponit; ergo in hujusmodi demonstratione adest circulus vitiosus.

Resp. Dist. maj. Adest circulus vitiosus, quando aliqua veritas probatur per argumentum, quod eamdem veritatem sup-

ponit cognitam sub eodem respectu et ex eodem motivo, *conc.*; sub alio respectu et ex alio motivo, *nego*.

Dist. min. in eodem sensu, scilicet. in hoc Tractatu probantur Dei existentia, attributa et operationes ope Revelationis, quæ eadem tria illa supponit jam cognita ope solius rationis, *conc.*; ope ipsius revelationis, *nego*.

Etenim in prælectionibus philosophicis, solius rationis ope, statuitur Dei existentia, ac ejus omnimoda veracitas. Hoc præsupposito, cum Deus de seipso loquitur, eum audimus eique assentimus ob ejus veracitatem, de qua jam ope rationis nobis constat; in hoc porro nequidem adest circuli vitiosi ulla species. Vide Tract. *de Fide* n. 92, 93, 111, 114.

§ II

De unicitate Dei contra polytheismum.

20. — Error polytheismi contra Dei unicitatem tempus spatiumque implet ante adventum Christi; et, ab adventu Christi ad nos usque, magnam orbis terrarum partem occupat; vide Tract. *de Eccl.*, p. 426. Tanti igitur rationis humanæ deliramenti notionem, species, originem, causas, naturam exponere, ac illud directe confutare haud supervacaneum est respectu sive historico, sive scientifico, sive etiam practico.

21. — I. *Polytheismi notio et species.* Polytheismus, in genere, est doctrina eorum, qui plures Deos admittunt. Cujusmodi error innumeras induit formas seu species, quarum præcipuæ sunt fetichismus, idololatria, zoolatria, antropolatria, sabeismus, dæmonolatria, dualismus.

1° *Fetichismus*, sic nuncupatus a voce lusitana *festisso, charme*, crassior est inter omnes alias polytheismi formas. Consistit enim in *adoratione* ipsius *naturæ* inanimatæ, v. g., terræ, fluviorum, plantarum. Cultus ille adhuc viget apud nonnullos Indiarum et Africæ populos. Olim autem præcipue fuit in usu apud Ægyptios, quibus ipsamet hortorum olera sacra erant. Nota sunt verba Juvenalis hanc illorum superstitionem irridentis : *Porrum et cepe nefas violare et frangere morsu. O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis numina!* Quædam tamen citantur testimonia, ex qui-

bus concludi posse videtur quod doctiores inter Ægyptios iis objectis cultum exhibuerint, non ut proprie naturam divinam habentibus, sed ut symbolis divinitatis attributa exhibentibus. — Ad fetichismum referri quoque posset cultus ignis sacri apud Persas, nisi forte, ut pluribus videtur, merus symbolismus hic agnosci debeat.

2° *Idololatria*, juxta vim nominis, seu stricte sumpta, consistit in *adoratione statuarum* et *imaginum*. In usu fuit apud fere omnes veteres populos, in primisque apud Græcos et Romanos, norunt omnes. Plura etiam Scripturæ testimonia, ut historia vituli aurei a filiis Israel erecti, variaque hac de re Moysis præcepta, probant illam formam a vetustissimis temporibus exstitisse. Imo adeo olim in honore fuit, ut sæpe cultus quilibet polytheistici nomen ipsius, in usu loquendi ordinario, usurpent ; idololatræ enim non raro dicuntur quotquot pluribus diis cultum religiosum exhibent.

Pluribus autem modis statuarum et imaginum cultum fuisse usitatum testantur monumenta historica. Alii enim, præsertim inter ignaros et rudes, statuam et imaginem reipsa adorabant ad instar numinis. Alii statuas et imagines adorabant tanquam receptacula in quæ descendebant dii, ut preces et cultum hominum reciperent. Alii demum has formas exteriores forsan non habebant nisi tanquam symbola divinitatis, ad quam suum cultum unice referebant. Satis patet priores tantum idololatras proprie fuisse.

3° *Zoolatria* est *cultus animalium*. Hunc cultum apud Chaldæos viguisse testatur historia notissima Draconis, qui a rege Babylonis tanquam deus adorabatur, et a Daniele propheta fuit occisus. Norunt pariter cultum religiosum ab Ægyptiis præstitum fuisse pluribus bestiarum speciebus et in primis crocodilis, bovi *Apis*, etc... Nostris etiam temporibus, quarumdam Indiæ regionum incolæ serpentes ut deos adorant, narrantque viatores non raro evenire ut horum numinum cultores sese læto animo eorum morsibus exponant, illis honorem exhibendi causa.

4° *Anthropolatria* in *hominis deificatione* consistit. In usu

fuit præsertim apud Græcos, quorum præcipua numina, ut Saturnus, Jupiter, etc..., nihil aliud fuerunt, si peritis fidem adhibeamus, quam homines, qui suis virtutibus, suis beneficiis erga genus humanum, imo et quandoque suis sceleribus insignes effecti sunt, et post mortem divinis honoribus digni sunt reputati. Talis erat etiam cultus qui, in ultimis imperii romani temporibus, imperatoribus mortuis reddebatur. Plurimi quoque anthropolatriæ formam reperiri arbitrantur in cultu Avorum mortuorum apud Sinenses. Percelebre demum hujus superstitionis monumentum nobis exhibet in Thibeto et vicinis regionibus, cultus religiosus qui a *Boudd'ha,* ipsius fundatore, *Boudd'haismi* nomen accepit. Hujus nempe sectæ fautores tanquam dogma tenent Boudd'ha, quem Deum prædicant, perpetuo incarnari, seseque suis cultoribus visibilem præbere, formam humanam assumendo. Honoribus igitur divinis prosequuntur eum, qui talis incarnationis in seipso factæ signa sufficientia exhibere potest.

5° *Sabæismus,* ex duabus vocibus hebraicis, quæ idem ac *exercitus cœli* sonant, exprimit cultum quem *soli, lunæ, aliisque sideribus* reddebant homines. Hic cultus plerumque fundamentum habuit in persuasione, qua olim communiter homines credebant sidera esse habitaculum cujusdam animæ, quæ illa in eorum cursu dirigebat, idemque erga ipsa munus gerebat, ac anima nostra erga corpus. Apud orientales populos præcipue viguit : ipsi tamen Græci ab illo alieni non fuerunt; nemo enim nescit ipsos sub nominibus Apollonis et Dianæ, solem et lunam adorasse. Celebris quoque fuit cultus solis apud Persas, qui illum ut ignis principium venerabantur.

6° *Dæmonolatria,* est *cultus dæmonum* et *geniorum.* Quanta horum entium multitudo agnoscatur in Græcorum et Romanorum mythologia, nemo nescit. Sic omnia sive flumina, sive fontes, sive arbores, sive domus, etc..., deos tutelares habebant, quos divinis honoribus homines prosequebantur. Ad hunc cultum referri potest ille quem rebus abstractis, ut febri, timori..., Romani præsertim exhibere consueverant.

7° *Dualismus* seu ditheismus est error eorum, qui duo principia rerum, ac proinde duo dii admittunt. Hoc autem triplici modo evenire potest. Scilicet, 1. vel duo quidem rebus universis principia assignando, unum bonum et alterum malum, ita tamen ut hæc duo principia alio principio superiori subjiciantur, sive in existentia, sive in actione. Hæc autem doctrina nonnisi in sensu improprio ditheismi nomine vocari potest.

2. Vel duo entia necessaria et *a se*, ab æterno existentia, quorum unum est activum, alterum vero passivum, admittendo. In hoc systemate principium passivum activo subjicitur et ab eo pendet, non quidem quoad existentiam, sed quantum ad modum et actionem. Ita fere omnes veteres Philosophi, qui creationem ex nihilo intelligere non valentes, æternam materiam, quam postea Deus informavit et ordinavit, admiserunt, juxta hanc sententiam : *Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.* Virgilius, lib. 6. In hoc consistit dualismus *philosophicus*.

3. Vel duo propugnando rerum principia æterna ac necessaria, ambo activa et a se prorsus independentia, sive in existentia, sive in suis actibus ; quorum unum est principium boni, alterum vero principium mali. Talis est dualismus *religiosus*, cujus præcipui assertores fuere Kapila apud Indos, et Manes, a quo *manicheismus*.

22. — II. *Origo Polytheismi*. Juxta hodiernos Rationalistas, Pantheistas et quotquot progressus continui assertores, primitiva religio fuit fetichismus, a quo ad idololatriam, ab idololatria ad monotheismum seu Religionem Christianam ascendit genus humanum, et Religioni Christianæ successurus est pantheismus, ac demum atheismus. Ex hoc igitur systemate, polytheismus necnon et alia quælibet religionis forma est effectus vis internæ et essentialis generi hominum, qua hoc in dies evolvitur ac perficitur juxta leges constantes et universales.

Jam vero illud systema ex omni parte falsum, contrariumque Revelationi, historiæ et rationi, atque primam fuisse in ordine temporum religionem christianam, de-

monstratum est in Tract. *de Revelat.*, n. 144, *de Eccl.* n. 162. Vide Leland, *Démonst. évang.* 1re p., c. 2.

Et revera, nullam polytheismi mentionem facit Scriptura pro temporibus antediluvianis; ergo concludere pronum est, toto hoc tempore constantes permansisse homines in fide et cultu unius Dei, sive ob memoriam primævæ revelationis adhuc recentiorem, sive ob perfectiorem intelligentiam, qua, juxta plures, homines tunc temporis præditi fuere.

At paulo post diluvii tempora, polytheismus propagari incœpit. Testantur enim Libri sacri progenitores Abrahæ in hunc errorem incidisse, Jos. 24, ℣ 2; et tempore ejusdem patriarchæ, jam plurimum invaluisse idolatriam, innuere videtur metus quem, in novam regionem peregrinaturus, experitur Abraham, ne forte ibi verus Deus non agnoscatur. Eamdem primitivi cultus oblivionem exhibet factum idolorum Labani a Rachele furto ablatorum; itemque præscriptio qua Jacob hominibus domus suæ præcipit ut, antequam Deo sacrificium offerant, idola sua a se projiciant.

25. — III. *Causæ Polytheismi.* Inter causas tantæ depravationis in re religionis, in primis recensere debemus negligentiam traditionum, quarum ope revelationis primævæ depositum servabatur. Cujus vero negligentiæ causa fuit tum sensuum prædominantia, et humanarum affectionum corruptio post peccatum originale; tum dispersio hominum et in plures familias divisio, ex qua primitivi dogmatis adulteratio facilior evasit; tum defectus alicujus auctoritatis universalis et infallibilis, quæ omnibus efficaciter et indesinenter inculcaret primævam revelationem, omnemque adulterationem statim denuntiaret atque removeret.

Quibus ita concurrentibus, homines in dies imperfecte edocti, simulque magis ac magis rebus sensibilibus dediti, nonnisi divinæ virtutis notionem et etiam obscuram retinuerunt; et exinde cultum divinum tribuerunt omnibus entibus, quæ activitate et potentia præcellere videbantur. Scilicet, primum coluerunt solem, sidera, ignem, et elementa, quorum virtus tam vivide sensus afficiebat et a

quibus proinde totam suam felicitatem pendere existimabant.

Deinde, permoti tum fide de immortalitate animæ, tum grato animo pro beneficiis acceptis, tum spe bonorum metuque malorum, cultum exhibuere hominibus, qui dum viverent, potentia, ingenio et beneficiis inter cæteros insigniores fuerant.

Tandem vitia ipsa, eo quod fere invincibiliter ad malum impellant, uti agentia extrinseca reputarunt homines, ideoque illa ut numina quædam agnovere.

Juxta plures, originem duxit polytheismus ex adulterato dogmate de existentia et cultu Angelorum et Beatorum, quod per traditionem didicerant homines ; aut ex dogmate adulterato Mediatoris Adamo promissi. S. Athanasius causas idolatriæ exponit in orat. *contra gentes*, n, 9, 11, 12, 13, etc., et *de Incarnat. Verbi*, n. 25. Vide Bossuet, *Lettre* 62, t. 27, p. 242, édit. Viv.

Quoad *dualismi* causas, distinguendum est inter dualismum philosophicum et religiosum. Videlicet, 1. *philosophici* dualismi causa aut occasio fuit difficultas explicandi existentiam mundi. Hæc enim existentia non concipitur, nisi per creationem seu transitum alicujus substantiæ a nonente ad ens per efficaciam potentiæ infinitæ : porro dogma ipsaque idea creationis adeo apud veteres obscurata fuerat, ut omnes antiqui philosophi tanquam axioma omnino inconcussum habuere, *ex nihilo nihil fieri*, seu impossibilem esse creationem ; ac proinde crediderunt mundum esse æternum, aut esse ipsius divinæ substantiæ emanationem ; sicque in dualismum philosophicum, vel in pantheismum delapsi sunt.

2. *Religiosi* dualismi causa aut occasio fuit difficultas explicandi existentiam mali. Namque malum, præsertim morale, primam radicem habet in ipsa essentiali imperfectione creaturæ, quæ, cum ex seipsa sit ex nihilo, ex seipsa tendit ad nihilum seu malum ; S. Th. 1 p., q. 104, a. 3, ad 1 ; atque de facto mors, dolores, concupiscentia ad tot peccata tanta vi impellens, sunt peccati originalis consectaria : porro hæc duo vel ignoraverunt, vel non agnoverunt

plures antiqui philosophi et hæretici; atque ideo putarunt malum non oriri ab humana voluntate, quæ illud invita experitur; nec ab æterno principio bono, quod per se nonnisi bona intendit; sed ab aliquo æterno principio malo, quod nonnisi malum appetit, omniaque mala, quibus quasi obruitur genus hominum, effundit atque causat.

24. — IV. *Natura Polytheismi* apud antiquos. Plures circa hoc punctum exstant opiniones seu potius errores. Alii quippe asserunt semper et ubique dogma Dei unici, a se, necessario et ab æterno existentis, in cordibus hominum illæsum perseverasse; at simul homines, ut cordis sui libidinibus facilius indulgerent, voluntarie et contra conscientiæ testimonium tribuisse creaturis aliquem cultum soli Deo debitum; ita ut polytheismus fuerit voluntatis quidem depravatio, non vero error in intellectu. Ita La Mennais et ejus asseclæ, ad vindicandam infallibilitatem consensus generis humani, quem ut omnis certitudinis criterium propugnabant.

Alii putant Gentiles saltem plerosque nunquam veri Dei existentiam negasse, sed ejus notionem adulterasse, tum sentiendo ens illud supremum de rebus humanis non curare, tum excogitando entia inferiora, quæ omnibus providerent, et quibus ideo nomen et cultum divinum, et simul plures defectus naturæ divinæ oppositos tribuerunt. Ita Beausobre et quidam Deistæ; vide Bergier, *Dict.*, art. *Paganisme.*

Ad veram solutionem statuendam, distinguendum est inter sententias quorumdam philosophorum, et fidem vulgi apud veteres. Scilicet,

1. Dogma Dei unici, immensi, a se, necessario et ab æterno existentis, plurimos et insignes habuit patronos apud veteres, eo etiam tempore quo ubique vigeret polytheismus.

Constat tum Scriptura sacra, quæ expresse docet sapientes inter paganos *Deum* verum *cognovisse*, ejusque *æternitatem*, *virtutem* et *divinitatem*, Rom. 1, ℣ 20; tum ex SS. Patribus, qui ad adstruendum dogma Dei unici, veterum

philosophorum et poetarum testimonium sæpe invocant, ut videre est apud Lactantium, Arnobium, Tertullianum, S. Augustinum, etc.; tum scriptis philosophorum, præsertim Platonis, Ciceronis, Plutarchi[1].

At simul hujusmodi cognitio entis supremi fuit apud ipsos philosophos gravibus erroribus adulterata, plus minusve confusa et incerta, a nemine ad praxim traducta, ab omnibus publice negata. Semper enim ens illud supremum ab omnibus antiquitatis sapientibus perhibetur ut impotens ad creandum mundum physicum et animas humanas; ut dispensator quidem bonorum temporalium, non autem virtutis: « Det vitam, det opes, *æquum mihi animum ipse parabo;* » Horatius. — « Ex omnium consensu, fortuna et bona *externa* a Jove exspectanda sunt. Quis autem ab illo unquam petierit *justitiam, temperantiam, sapientiam?* » Cicero *de Natura deorum*, lib. 3, c. 36. Vide Tract. *de Revel.*, n. 61.

2. Vulgus apud antiquos *vere credidit* esse *plures Deos*. Constat tum ex argumentationibus, quas sive in Libris sacris, Ps. 113, 134, Isa. 40, 44, Baruch, 6, Daniel. 14, Sap. 13, 14, sive in SS. Patrum operibus ad demonstrandam polytheismi absurditatem, invenimus; tum ex precationibus publicis et privatis, quas, in arcto positi, ad Deos suos pagani effundebant; tum ex impietatis accusatione a paganis contra Christianos constanter intensa, eo quod hi unicum ens divinum colerent; tum denique ex conatibus quos, ad tuendum polytheismum contra Christianæ reli-

1. « Pythagoras *unum* Deum confitetur, dicens esse *incorporalem;* » Lactantius. — Nemo nescit Socratem fuisse ad mortem damnatum, eo quod Deorum pluralitatem negaret. — « *Dieu* est l'auteur et le père de l'univers... c'est le Dieu au-dessus de tout, l'architecte du monde, celui qui en a ordonné et conçu le système... la cause de toutes choses... l'Etre par excellence : celui qui est véritablement, et par qui tout le reste existe... le souverain Bien. » Plato, *in Timæo.* « Plusieurs me prient de leur écrire, avec lesquels il m'est difficile de m'expliquer ouvertement. Remarquez donc ceci : mes lettres sérieuses commencent par ce mot, *Dieu;* les autres par ceux-ci, *les Dieux;* » Plato, *Epist. ad Dionys. Syracu.* — « Lex est mens omnia ratione aut cogentis aut vetantis *Dei;* lex vera atque princeps, apta ad jubendum et ad vetandum ratio est recta *summi Jovis.* » Cicero, *de Legib.* lib. 1.

gionis invasionem, adhibuit, per trecentos annos, imperium Romanum.

Et revera qui fieri potuit, ut tot imperatores, inter quos nonnulli propter clementiam laudantur, edicta promulgarent tantæ crudelitatis plena, ad deterrendos Christianos a cultu veri Dei, quem et ipsi agnovissent, et ad illos compellendos ut sacrificarent idolis, quorum vanitatem et ipsi non ignorassent? Vide Bossuet, *Disc. sur l'Hist. univ.*, 2e p., c. 26; *Lettres* 60-62, t. 27, édit. Viv.

Attamen ipsum vulgus apud antiquos aliqualem, sed confusam, ideam entis supremi, nomine *Jovis optimi*, *maximi* apud Græcos et Romanos vulgo designati, retinuit, dum simul naturam divinam pluribus distinctis individuis communem esse reputavit. Insuper vulgus nunquam sibi Deum effinxit, nisi tanquam ens, quod omnia gubernat, cultum ab hominibus exigit, peccatum punit, virtutem vero remunerat. Vide Leland, *Démonst. évang.*, t. c. 4.

PROPOSITIO

25. — *Deus est unicus*. Philosophice certum est, theologice de fide.

Constat, 1° *Scriptura* et *Traditione*. *Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus præter me;* » Deut. 32, ℣ 39. « *Nullus est Deus nisi unus;* » I Cor. 8, ℣ 4. Idem legere est in aliis innumeris Scripturæ locis, in tribus fidei catholicæ Symbolis, in SS. PP. scriptis. Hoc etiam constat Conc. Vaticano, n. 1, 2, quod declaravit Deum esse *unam singularem substantiam*, atque sic damnavit contrarium errorem: « Si quis *unum* verum Deum negaverit : anathema sit. »

Ad eamdem veritatem comprobandam, plura Deus edidit miracula, et multa martyrum millia sanguinem fuderunt, ut dictum est, n. 24.

2° *Ratione* 1. Vel admittendus est Deus unicus, vel nullus. Etenim, si essent plures Dii, vel unus absolute posset alterum impedire ab agendo, vel non posset : atqui neutrum dici potest. Si enim unus posset alterum impedire ab agendo, is qui ab alio impediretur et dependeret in operando, non esset Deus. Si vero unus alterum impedire non

posset, ille qui non posset impedire, non esset Deus, cum aliquid fieri posset, eo invito : at Deus tantam debet habere potentiam, ut illo invito et repugnante, nihil fieri possit; ergo, si multi essent Dii, nullus foret Deus.

2. Si plures sint Dii, non est potior ratio cur sint decem, v. g., quam mille, cum nulla supponatur causa, a qua possint ad hunc potius quam ad illum numerum restringi : atqui absurdum est consequens; ergo et antecedens.

3. Necesse est ut Deus contineat omnes perfectiones : atqui, si essent plures Dii, nullus contineret omnes perfectiones; non enim contineret perfectionem illam essentialem per quam alter constitueretur et ab aliis distingueretur; ergo, etc.

Confirmatur auctoritate plurium e Philosophis gentilibus et Poetis qui, etsi Gentium deos colerent, nihilominus veritatem de Dei unitate tenuerunt et in scriptis tradiderunt, ut omnibus notum est : horum auctoritates et testimonia recensent Religionis Apologistæ, Athenagoras, Justinus Martyr, Clemens Alex., etc., n. 24.

Prob. speciatim contra Ditheistas, duplex repugnare principium, quod utrumque necessitate naturæ feratur, aliud ad bonum, aliud ad malum. Namque malum illud principium vel esset bono principio superius, vel æquale, vel impar : primum dici non potest, alias solum malum principium Deus esset. Nec secundum; si enim utrumque esset æquale, jam contra nitentibus in oppositum viribus æqualibus, neque bonum fieret in mundo, neque malum. Tertium pariter dici non potest a Ditheistis; 1. quia solum bonum principium Deus esset; 2. quia jam Deus bonus, sciens, ac volens et quasi otiosus, opera sua a malo principio fœdari permisisset; cum potuisset istud impedire : quo posito, ipsis Ditheistis solvenda esset difficultas, quam nobis opponunt. Vide Bossuet. *Traité du libre arbitre*, c. 4.

26. — *Obj.* Non magis repugnat plures esse Deos, quam plures personas divinas : atqui non repugnat plures esse personas divinas; ergo non repugnat plures esse Deos.

Resp. Nego maj. et parit. Disparitas est, quia, sicut jam diximus, si plures essent dii, neuter eorum posset, altero no-

lente, aliquid facere, et consequenter non esset Deus : at absurdum istud non sequitur ex pluralitate personarum; cum enim istæ personæ habeant realiter unam et eamdem voluntatem atque potentiam, facile concipitur quomodo, absque ulla imperfectione vel dependentia, nunquam possint in suis decretis et operationibus dissidere.

§ III

De personalitate Dei contra Pantheismum.

Pantheismi errorem asseruerunt non pauci ab antiquissimis temporibus, atque etiam nostris diebus non desunt inter disciplinis excultos, qui eidem errori sunt plus minusve explicite adstricti. Cujusmodi idcirco systematis notionem, species, causas exponere, ac directe idem confutare, ut ex omni parte de existentia Dei constet, necesse est.

27. — I. *Notio Pantheismi.* Pantheismus, a verbis παν et Θεος, id est, *omne Deus,* cujus ideo tessera est εν και παν, seu *unum* et *omne*, error est eorum, qui contendunt Deum et mundum a se invicem non distingui, sed unicam tantum esse substantiam, unicum individuum, unicam personalitatem, ex omnibus entibus aut individuis, quæ distincta apparent, constantem ac permanentem; ac proinde Deum non existere in sua propria substantia, individualitate et personalitate, a quolibet alia prorsus distincta.

28. — II. *Species Pantheismi.* Triplex distingui potest Pantheismi species seu forma, nempe, emanatismus, formalismus, idealismus.

1° *Emanatismus.* Juxta plures, Deus primum existebat tanquam ens infinitum, vita gaudens personali, completa et independente. Postea vero, sese manifestare cupiens, de mundo creando decretum tulit. Creatio autem concipi non debet ut productio entis e nihilo; sed tanquam communicatio finita entis, quod jam in gradu infinito Deus possidebat. Vi illius communicationis, nova individua producuntur, quæ vitam personalem distinctam possident in ente divino. Deus itaque et cætera entia, distinguuntur quoad *individua-*

litatem; confunduntur autem quoad *substantiam,* quæ in communi possidetur, tum a Deo, tum a creaturis; ab his quidem in gradu finito, ab illo autem in gradu infinito. Hinc in unitate substantiæ divinæ, plures dantur termini, quorum unusquisque parte illius determinata constituitur. Substantia divina toties suiipsius conscientiam habet, toties proinde principium distinctum actionis, centrum imputabilitatis, verbo dicam, *persona* existit, quoties eo modo limitatur.

Demum, ipsa distinctio personalis seu individualis, qua Deus a creaturis secernitur, post aliquod tempus cessare debet. Creaturæ enim ad pristinam unitatem rediture sunt per earum completam absorptionem in personalitate divina. Hinc creatio apte repræsentatur sub imagine fluminis quod, ex mari egressum, ad illud rursus, variis regionibus peragratis, reverteretur. Ita intelligenda videtur identificatio Dei et mundi, quam plures veteres scholæ propugnasse perhibentur, quam vero in strictiori forma apud nos renovavit schola *humanitaria.*

Talis est celeberrima *emanationis* doctrina quæ, inter cæteras pantheismi formas, antiquitate præcellere videtur, et quæ viguit præsertim apud Indos.

2° *Formalismus* in eo ab emanatismo discrepat, quod, inter Deum et cætera entia, ne *personalem* quidem distinctionem admittit. Qui nempe illum propugnant, Deum non habent ut *individuum personale, intelligentia* et *amore præditum.* Deus enim est ens infinitum. Infinitum autem in individualitate distincta constitui nequit; alioquin, quatenus individuum, limitibus circumscriberetur, sicque infinitum dici non deberet. Ens igitur divinum concipi non debet, nisi tanquam vis quædam ubique diffusa, seu nullis determinata limitibus. Hæc vis, entium individualium quorumcunque, quæ concipiuntur a nobis, realitatem constituit. *In se* autem, et independenter ab individuis spectata, nihil aliud est quam *mera abstractio absque realitate.* Hinc varia entia, sub aliquo quidem respectu, id est, quatenus de illa vi participantia, identica inter se existunt. At simul a se invicem distinguntur, tanquam *formæ reales* seu *mo-*

dificationes, quas, propter necessitatem naturæ suæ inhærentem, vis præfata indesinenter producit. Harum formarum, in quibus vita divina consistit, duplex est species generalior, *cogitatio* nempe et *extensio* : prior constituit mentes humanas, cæteraque entia spiritualia; posterior constituit mundum corporum. Ita præcipue Spinosa, et omnes *indefiniti progressus* assertores.

Doctrina hæc, cum realitatem entium in formis necessariis entis infiniti reponat, ideo *formalismi* nomine a quibusdam designatur. Eadem donominatione nos quoque deinceps utemur.

3° *Idealismus*. Juxta Idealistas, varia entia quæ ab *Emanatistis*, ut distintæ individuationes substantiæ divinæ, a *Formalistis* vero, ut diversæ ejusdem substantiæ modificationes habentur, nihil prorsus distinctum dicunt a parte rei, nec aliud sunt quam ideæ mentis nostræ, seu abstractiones, quibus successive ens a nobis apprehenditur. In re autem, nihil existit et existere potest præter *ens, absque ulla forma distincta*, ideoque *prorsus indeterminatum*, quod nec tanquam infinitum, nec tanquam finitum ; nec tanquam materia, nec tanquam spiritus ; nec tanquam unum, nec tanquam plura, nobis repræsentare debemus. Porro ens tale reipsa *cum nihilo* confunditur. Hoc consectarium admittunt Pantheistæ, quorum deliria exponimus. Hinc realitatem quam admittunt, non proprie *ens*, sed *το fieri* (*le devenir*) nonnulli nuncupant ; eo quod nihil quidem est in se, sed omnia fieri potest, quatenus conceptuum nostrorum quorumcunque fundamentum et quasi objectum commune existit. Ita apud Germanos, Fichte, Schelling, Hegel.

Tertia hæc pantheismi forma, cum realitatem existentiarum quatenus distinctarum ab ideis nostris unice desumat, *idealismi* nomine merito designatur.

29. — III. *Causæ Pantheismi*. Duplex præcipua assignari potest causa Pantheismi, nempe, difficultas conciliandi coexistentiam substantiæ infinitæ et finitæ, vel intentio atheismi professionem alio verbo dissimulandi et nobilitandi.

Et quidem 1° multi uti impossibilem reputantes creationem, ac simul dependentiam finiti ab infinito absque creatione explicare non valentes, consequenter intulerunt unicam esse substantiam, unicum individuum, unicam personalitatem.

2° Alii vero, præsertim inter modernos, ut ignaris fucum faciant, nomine pantheismi aliqualem naturæ divinæ speciem retinent, dum ejus veritatem tollunt; ac propterea pantheismus merito *fucatus atheismus* dictus est. « *Pantheismus*, inquit Leo XIII, *Encycl. Humanum genus*, 20 apr. 1884, nihil aliud est, quam *divinæ naturæ absurdam quamdam speciem retinere, veritatem tollere.* » Itaque

PROPOSITIO

30. — ***Existit Deus in sua propria substantia, individualitate et personalitate, a qualibet alia prorsus distincta.*** Philosophice certum est, theologice de fide.

Prob. 1° *Scriptura* et *Traditione*. Cum enim Scriptura et omnia Traditionis organa Deum conclamant uti ens infinitum, summe sapiens, omnium primum principium et finem ultimum, profecto loquuntur de ente in sua propria individualitate et personalitate existens, a qualibet alia substantia infinite abstractus atque distans; et ideo talem revera Deus se habet.

Sed insuper hoc definivit Conc. Vaticanum, n. 5, 6, omnes contrarios errores proscribendo atque damnando his verbis: « Si quis dixerit, unam eamdemque esse Dei et rerum omnium substantiam, vel essentiam: anathema sit. »

« Si quis dixerit, res finitas, tum corporeas tum spirituales, aut saltem spirituales, e divina substantia emanasse;

aut divinam essentiam sui manifestatione vel evolutione fieri omnia;

aut denique Deum esse ens universale seu indefinitum, quod sese determinando constituat rerum universitatem in genera, species et individua distinctam: anathema sit. »

2° *Ratione*. 1. *Ex distinctione substantiarum*. Scilicet, existit ens finitum et ens infinitum; atqui utrumque in

eadem substantia existere non possunt; ergo infinitum seu Deus in sua propria substantia et individualitate existit.

Major ab ipsis adversariis admittitur; et aliunde infiniti existentia constat ex argumentis præsertim metaphysicis de existentia Dei, et ex dicendis circa Dei attributa; existentia autem finiti constat ex cujusque conscientia, quæ nobis testatur nos innumeris limitationibus subjacere in intellectu et voluntate.

Minor etiam per se patet. Substantia enim universalis foret vel tota infinita, et tunc nullum adesset finitum; vel tota finita, et tunc nullum esset infinitum; vel finita simul et infinita, quod involvit contradictionem; ergo multiplex existit substantia, adeo ut finitum sit ab infinito essentialiter et omnino distinctum.

2. *Ex consectariis*. Præcipua pantheismi consectaria sunt. 1. scepticismus universalis; 2. omnis religionis impossibilitas; 3. legis moralis eversio; 4. omnimoda Dei negatio, seu atheismus.

1. *Scepticismus universalis*. Etenim, pantheismo semel admisso, jam nullum est discrimen inter verum et falsum; omnes siquidem hominum cogitationes sunt manifestatio necessaria ejusdem substantiæ in omnibus entibus identicæ, nec ultra conscientiam humanam admittitur intelligentia, quæ sit veritatis regula; ergo nulla cogitatio, nullum judicium dici potest absolute verum, nec absolute falsum.

2. *Omnis religionis impossibilitas*. Nam 1. Religio est relatio hominis ad Deum, et ideo non concipitur existere, nisi inter duos illos discrimen aliquod agnoscatur : atqui, in pantheismo, Deus et homo duo termini distincti dici nequeunt; ergo, etc. 2. Actus essentiales Religionis sunt amor, reverentia, spes, fiducia erga Deum : atqui illi actus in pantheismo sunt impossibiles : siquidem, in hoc systemate, n. 27, 28. Deus seipsum nec amat, nec etiam est distincta persona, sed ejus perfectissima manifestatio est ipse homo tot dependentiis, totque miseriis oppressus.

3. *Legis moralis eversio*. Etenim, 1. sublata personalitate divina, tollitur pariter Dei legislatoris notio, sine qua lex naturalis existere nequit. 2. Ubi non est libertas, ibi mora-

litas esse nequit; atqui, in principiis pantheismi, nulla superest libertas; ergo, etc. 3. In doctrina pantheismi, nullum discrimen inter bonum et malum; siquidem idem ens non potest esse sibimetipsi contrarium et oppositum.

4. *Atheismus*. Nam, juxta Pantheistas, manifestatio Dei per phenòmena mundi est necessaria, atque vitam Dei constituit: porro, juxta eosdem, illa manifestatio nunquam finem est habitura; ergo nunquam dici poterit simpliciter Deum esse, sed tantum ipsum esse *in fieri;* ergo, etc.; n. 29.

ARTICULUS III

De naturali cognitione Dei.

Tria de existentia Dei inquirenda supersunt, scilicet, 1° an Dei existentia solo rationis lumine certo constare possit: 2° an eadem existentia Dei sit per se nota, vel an demonstretur per veram illationem; 3° quænam sint præcipua argumenta de existentia Dei a variis auctoribus decursu temporum scientifice allata.

§ I

De certitudine existentiæ Dei ope rationis tantum.

31. — Juxta fideistas, quorum systema exponitur in Tract. *de gratia*, n. 151, et a S. Th. *Cont. Gent.*, lib. 1, c. 12, existentia Dei non certo et sufficienter constat rationis lumine, sed ad hoc insuper requiritur præternaturalis revelatio sive immediata, sive mediata. Contrarium hic statuendum est quoad *jus*, non vero quoad *factum*, quatenus non inquirimus utrum quilibet homo *solo* rationis lumine ad cognitionem Dei certam *perveniat*, sed an, deficiente etiam revelatione, eam solo rationis lumine assequi *possit*, postquam ad sufficientem ejusdem usum pervenerit. Itaque

PROPOSITIO

32. — *Existentia Dei naturali rationis humanæ lumine certo cognosci potest*. De fide est.

Prob. 1° *Script*. Sæpe enim asserit Scriptura homines ex inspectione creaturarum Deum cognoscere potuisse. « *Vani*

sunt homines, in quibus non subest *scientia Dei;* et *de his, quæ videntur bona,* non potuerunt *intelligere eum, qui est :* neque *operibus attendentes, agnoverunt quis esset artifex...* A magnitudine enim *speciei* et *creaturæ cognoscibiliter poterit creator eorum videri;* » Sap. 13, v. 1, 5. Hæc verba aperta sunt.

« Quod notum est Dei, manifestum est in illis; Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius *a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur;* sempiterna quoque ejus *virtus,* et *divinitas;* ita ut sint inexcusabiles; » Rom. 1, ℣ 19; ergo, ex creaturarum inspectione, talis cognitio Dei haberi potest, ut homines inexcusabiles reddat, si vel Deum esse non agnoscant, vel illum colere negligant.

Insuper, ex S. Paulo, Rom. 2, ℣ 5, « *Gentes* ostendunt *opus legis scriptum in cordibus suis,* testimonium reddente illis *conscientia* ipsorum, et inter se invicem *cogitationibus accusantibus* aut etiam *defendentibus.* » Unde sic : ex illo textu homines legem moralem a natura ipsa accipiunt, ad eam non sunt edocti, sed facti, non instituti, sed imbuti; ac proinde hujusmodi legem adeo ex solo rationis lumine certo cognoscunt, ut eam ignorare non possint.

Atqui lex et legislator, subditus et Dominus, reus et judex ac vindex sunt duo correlativa, nec unum sine altero cognosci ac affirmari potest; ergo de existentia supremi legislatoris, Domini, judicis et vindicis non minus certo ex solo rationis lumine constare potest, ac de lege naturali, qua bonum a malo discernitur et peccata commissa remordent.

2° *Traditione.* SS. Patres prædictam thesim communiter asserunt. Huc quippe veniunt testimonia jam allata vel indicata, n. 13. Postquam hujusmodi testimonia congesserit Tournely, *de Deo,* q. 1, a. 1, sic eorumdem substantiam contrahit : « A scriptoribus, tum christianis, tum gentilibus, notitia existentiæ supremi Numinis dicitur naturæ hominum insita, instillata, indita; animo per sese impressa, cogenita, prima rationalis animæ dos ac quasi vox naturalis et publica; anticipata, antecepta, prævia cognitio

seu animæ informatio, omni demonstratione prior; quam communi consensu et instinctu naturali omnes admittunt; quam gentes maxime barbaræ etiam invitæ fatentur; ita ut falsum potius, quam nullum Deum habere velint; cui ex animo nullus contradicit ac reluctatur. » Porro in hujusmodi sententiis clare affirmatur Deum ex solo rationis lumine certo cognosci posse; ergo; etc. « Falsa est opinio eorum, qui dicunt Deum esse *non posse per rationem inveniri*. » S. Th, *Cont. Gent.*, lib. 1, c. 12.

Idem sic definivit Conc. Vaticanum, sess. 3, c. can. 1 : Si quis dixerit *Deum unum* et *verum, creatorem* et *Dominum* nostrum, *per ea quæ facta sunt, naturali* rationis humanæ *lumine certo cognosci non posse* : anathema sit. »

3° *Ratione*. Si Dei existentia et ideo veracitas certo constare non possunt nisi ope revelationis, tunc credenda est existentia Dei propter veracitatem Dei suiipsius existententiam revelantis : hæc autem veracitas Dei credenda est propter veracitatem Dei suam veracitatem et existentiam revelantis : porro in hoc adest circulus vitiosus; ergo ratione constat existentia Dei, alioquin nec ipsa revelatione demonstrari posset. Vide Tract, *de Gratia*, n. 249-51.

Præterea, jam notatum est existentiam Dei omni genere probationum seu certudinis rationalis constare, ita ut nullum detur medium inter fidem in Deum et universalem scepticismum, n. 18, in fine.

§ II

De existentiæ Dei demonstrabilitate.

33. — *Quæritur* an Dei existentia sit *per se nota*, ita ut varia de ea argumenta non constituant demonstrationem per veram ac proprie dictam illationem, sed solummodo explicationem hujusce propositionis : *Deus est*,

Resp. Hac de re dissentiunt inter se sive philosophi, sive Theologi christiani, quorum opiniones videre est in prælectionibus philosophicis, vel apud Billuart, dissert. 1, a. 2; Tournely, q. 1, a. 2; Thomassinum, *de Deo*, lib. 1. Hic quædam tantum notabimus haud parvi momenti circa quæstionis statum ac solutionem.

Videlicet, 1° aliqua propositio potest esse per se nota quoad se, vel quoad nos : si prius, prædicatum est de essentia ipsius subjecti, v. g., homo est animal, Deus existit; animalitas enim est homini essentialis, sicut existentia Deo. Si posterius, propositionis *veritas* ex ejus *auditis* et sufficienter *explicatis* et *intellectis terminis*, et absque ulla alia *mediante* propositione, statim *per sese nobis innotescit;* vide S. Th. 1 p. q. 1, a. 1 ; Suarez, Metaph., t. 2, disp. 29, sect. 3, n. 33 ; Tournely, *ibid.;* Zigliara, *Theol.*, 2, I. De hoc posteriori modo evidentiæ hic agitur.

2° « Hæc quæstio de existentia Dei cognitione, ait Zigliara, *ibid.*. 4, est *omnino independens ab altera quæstione de ideis innatis*. Quæritur enim utrum ex idea Dei possit divina existentia realis inferri, sive idea illa sit naturaliter indita, sive sit nostra ratiocinatione acquisita. Et hoc bene nota, ne unam quæstionem cum altera confundas; quamvis verum sit recentiores assertores demonstrabilitatis a priori existentiæ Dei, communiter inclinare in innatismum idearum. »

3° « Omnes etiam concedunt, pergit Zigliara, semel a posteriori (seu ope effectuum contingentiun) probatum Deum esse realiter ens necessarium, posse a priori ex ejus reali essentia, inferri ejus realem existentiam. Igitur tota quæstio in hoc consistit, an ex solo *conceptu ideali Dei*, ejus *existentia realis* concludi possit. » Vel, ut ait Tournely, *ibid.*, « utrum sine prævio discursu ac ratiocinio proprie dicto, tametsi facili et unicuique obvio, *ex sola ipsorum terminorum apprehensione*, intelligat mens sana et attenta *Deum esse*. »

4° Quantumvis evidens admittatur cognitio per lumen rationis, hujusmodi cognitio a visione Dei intuitiva, qualis a Theologia proponitur ac demonstratur, differt non solum claritatis gradu, sed etiam specifice et formaliter sub omni respectu, nempe, ratione principii, objecti, facultatis, actus et modi.

Siquidem, Deus quatenus formaliter *creator* et in essentia *unus*, est primum *principium* animæ, ejus facultatis et actus cognitionis de Deo naturaliter conceptæ. Consequenter

objectum illius cognitionis est Deus quatenus *creator* et in essentia *unus*, abstractive ab ejus personalitate seu vita intrinseca, qua illa essentia in tribus personis subsistit ac vivit; et propterea illa cognitio naturalis dicitur *abstracta*. Proinde facultas, actus et modus seu forma, quibus Deus sic cognoscitur, sunt *in se* quid *naturale* seu *mere humanum*.

E contra, in visione intuitiva theologica seu supernaturali, Deus quatenus formaliter *trinus* seu quatenus Pater generans Filium, Pater et Filius spirantes Spiritum Sanctum, est primum *principium* illius visionis. Consequenter, *objectum* ejusdem visionis est præcise Deus *in tribus personis*, in quibus proprie, concrete existit ac vivit; et exinde illa visio nuncupatur *concreta*, non abstracta. Tandem Deus ut trinus in illa visione apprehenditur per *lumen gloriæ*, id est, ope facultatis *divino-humanæ*, per actum *deificum*, et sub *forma* non minus *divina*, *absolute supernaturalis*, per participationem ipsius actus quo Pater generat Filium, seu actus quo ipse Deus seipsum cognoscit in Verbo. Ergo visio intuitiva Theologica a quacunque Dei cognitione naturali specifice et formaliter sub omni respectu discrepat. Hæc indicare tantum hic possumus; sed demontrantur in Tract. *de Fide*, n. 2, 114, *de Gratia*, n. 187, 188, 190, 194, 195, 197, 365, 371, 372.

5° Qui contendunt existentiam Dei esse per se notam etiam quoad nos, agnoscunt omnes necessitatem tum sermonis humani, ut mens ideas reflexas, explicitas, abstractas concipiat, tum inspectionis creaturarum aut suiipsius, ut cognitio existentiæ supremi Numinis fiat reflexa, explicita et abstracta in mente humana.

6° Quantumvis evidens asseratur naturalis cognitio Dei, nihilominus, juxta omnes, necesse est congerere probationes de illa existentia et præsertim de divinis attributis, tum ut efficaciter resolvantur nebulæ, quas circa Dei existentiam et naturam indesinenter coacervant omnes furentes cupiditates, n. 14; tum ut hujusmodi cognitio fiat ac permaneat clarior, explicitior, intimior, et in praxi efficacior. Eadem ratione sæpe sæpius symbolum profitemur, licet de omnibus, quas continet, veritatibus certiores simus. « D'où

vient donc que l'impie ne connaît point Dieu, et que tant de nations, ou plutôt que toute la terre ne l'a pas connu, puisqu'on en porte l'idée en soi-même avec celle de la perfection? D'où vient cela? si ce n'est par un défaut d'attention, et parce que l'homme livré aux sens et à l'imagination, ne veut pas ou ne peut pas se recueillir en soi-même, ni s'attacher aux idées pures, dont son esprit embarrassé d'images grossières ne peut porter la vérité simple. » Bossuet, 2e *Elévat.*

7° Tandem, « quamvis, ait Suarez, *Metaphy.*, t. 2, disput. 29, sect. 3, n. 34-36, in rigore non sit notum nobis *Deum esse* tanquam *omnino evidens*, est tamen veritas hæc adeo *consentanea naturali lumini*, et omnium hominum consensioni, ut *vix possit ab aliquo ignorari*... Nihil enim apparet in ea quod repugnet, aut difficilem creditu eam reddat; et e contrario multa sunt, quæ statim inclinant ad assentiendum illi veritati... Unde hæc notitia, licet majori ex parte videatur fuisse per humanam fidem, præsertim apud vulgus, potius quam per evidentiam rei; tamen fuit cum quadam *evidentia practica* et *morali*, quæ sufficere poterat ad obligandum tum ad assentiendum huic veritati quod *Deus sit*, tum etiam ad colendum ipsum. Et juxta hæc facile intelliguntur omnia, quæ de cognitione Dei naturaliter insita a Doctoribus dicuntur. »

« Demonstratio existentiæ Dei, ait Billuart, dissert. 1, a. 4, est *tam facilis, tam obvia*, ut nullus est mentis quantumvis rusticus aut barbarus, qui *illius non sit capax*, aut saltem cui *ex inspectione* mundi aut suiipsius non incidat aliqua suspicio aut conjecturalis opinio alicujus supremi Numinis aut Rectoris : qua posita, tenetur inquirere quis sit; quod si negligat, vincibiliter ignorat. » Vide n. 13.

§ III

De præcipuis argumentis existentiæ Dei a variis auctoribus scientifice propositis.

34. — *Quæritur* quænam sint præcipua argumenta de existentia Dei a variis auctoribus *scientifice* proposita decursu temporum?

Resp. Genus hominum a primæva revelatione acceperat existentiæ Dei dogma, quod, traditionis ope, ac simul excitantibus et conclamantibus inspectione creaturarum, cujusque sensu intimo ac ratione pura, a patribus ad filios per universum orbem fuit transmissum et professum; nec ullum argumenti vere scientifici ad id probandum instituti vestigium apparet, antequam apud Græcos exsurgerent philosophicæ scholæ. Ab his idcirco exorditur illius demonstrationis scientificæ historia. Porro

I. Argumentum *morale* seu ex consensu generis humani desumptum, enuntiat Plato; eum strictius proponunt Epicurus, Cicero, Plutarchus, SS. Patres, præcipue Lactantius. Frequentior est ejusdem probationis usus apud recentiores, qui etiam strictiori forma eam exhibent. Ii siquidem diligentius statuerunt consensum generis humani quibusdam insignitum characteribus esse infallibile veritatis criterium; atque eumdem consensum in Deo admittendo illos characteres præ se ferre; ac proinde ex tali consensu constare Deum esse.

II. Argumenta *physica*, seu ex consideratione mundi physici deprompta, præ cæteris antiquitate præcellere videntur. Græci enim philosophi a primordiis sibi problema de mundi origine solvendum proposuerunt, et hoc modo statim ad rerum physicarum causam investigandam adducti sunt.

Porro 1° argumentum ex *creatoris* necessitate imperfecte adumbrarunt Pythagoras et Elatæ metaphysici, qui ex rerum physicarum variabilitate et multiplicitate induxerunt necessitatem primariæ causæ per se, unicæ et immutabilis. At iidem, necnon cæteri omnes pagani philosophi, cum distinctam creationis ideam non concepissent, exinde mundi physici productionem perhibuere tanquam primariæ causæ emanationem aut phænomenalem tantum manifestationem; et ita ad pantheismum plus minusve accesserunt.

SS. Patres, cum, Revelationis ope, distincta creationis notione potirentur, argumentum ex necessitate creatoris sub stricta forma proposuerunt, ut videre est apud S. Joan. Damasc., *de Fide orthod*. Eadem probatio sæpe a Scholas-

ticis et a recentioribus sive philosophis, sive Theologis fuit adhibita.

2° Aristoteles, dum existimavit mundum physicum quoad materiam et formam esse ab æterno ac per se existere, simul agnovit *motum*, qui in illo mundo deprehenditur, ab essentia materiæ non profluere; et ideo requiri primum motorem, qui sit in se immotus, alioquin in infinitum procederetur ad inveniendam primariam motus causam. Quare probatio existentiæ Dei et primi motoris immobilis Aristoteli vulgo tribuitur.

Hoc argumentum uti præcipua existentiæ Dei probatio a S. Th. exhibetur, 1 p. q. 2, a. 3; eodem, post S. Thomam usi sunt Scholastici, et plerümque recentiores.

3° Anaxagoras et Plato, quasi mediam viam tenentes, senserunt materiam, ex quo mundus physicus coalescit, esse necessariam, æternam ac per se existentem; vi autem naturæ suæ nullam determinatam formam habere, sed e contra capacem esse formas quaslibet suscipiendi, et reipsa induere; ac proinde ad eas producendas requiri causam intelligentem, ordinatricem, ipsi mundo extrinsecam, quæ Deus nuncupatur. Unde illi philosophi tanquam auctores argumenti ex *ordinatione* rerum physicarum inducti communiter reputantur. S. August., *de Civit.*, lib. 8, c. 2.

Idem argumentum, quod præ cæteris omnium hominum captui est accommodatum, apud plerosque SS. Patres expositum invenimus, et, inter recentiores, in primis apud Fénelon, *Traité de l'existence de Dieu*, 1re p., c. 2, 3,

III. *Metaphysici* argumenti prima adumbratio reperitur apud Platonem, cujus philosophiam commendat S. Augustinus, *de Civit.*, lib. 8, c. 2, 4-9; lib. *de Divers. quæst.*, q. 46. Namque, juxta illum, *particulare* a nobis concipi non potest, nisi in mente nostra præcedat conceptus *universalis;* ergo extra res individuales, quæ hunc mundum constituunt, alter existit mundus, in quo essentiæ universales, proindeque rationes intelligibiles omnium rerum continentur.

Jam vero, Aristoteles, I *Metaph.*, S. Th., 1 p. q. 15, a. 1, ad 1; q. 32, a. 1, ad 3, et Scholastici communiter ut pro-

babilius tenent Platonem illas formas seu rationes intelligibiles omnium rerum habuisse uti separatas a mente divina. S. Augustinus autem, lib. *de Quæst.*, q. 46, *de Civit.*, lib. 8, c. 4-9, Bossuet, *Logique*, liv. 1, c. 37, 38, Cousin et alii, putant Platonem illas ideas seu formas posuisse in ipsa mente divina uti archetypa rerum contingentium; atque recentiores hanc sententiam præcipue desumunt ex *Republica* et *Phædone* Platonis, quos libros, aiunt, Scholastici ignorabant. Vide Tract. *de Trinit.*, n. 31; Zigliara, *Ontol.*, 4, II.

Idem argumentum metaphysicum sub duplici forma proponitur a S. Augustino. Videlicet 1. « Tanta in *ideis* vis constituitur, inquit, ut *nisi his intellectis sapiens esse nemo possit*... sunt namque *ideæ principales formæ* quædam, vel *rationes rerum stabiles* atque *immutabiles*, quæ ipse *formatæ non sunt*, ac per hoc *æternæ* ac semper eodem modo sese habentes, quæ *in divina intelligentia continentur*. Et cum ipsæ neque oriantur, neque intereant, secundum eas tamen formari dicitur omne quod oriri et interire potest, et omne quod oritur et interit. *Anima* vero negatur *eas intueri posse nisi rationalis*, ea sui parte qua excellit, id est, ipsa *mente* atque *ratione*, quasi quadam *facie* vel *oculo suo interiore* atque *intelligibili*. » Lib. *de divers. quæst.*, q. 46; *de Magistro*, n. 3 et seq. Juxta eumdem S. Doctorem, *de Musica*, lib. 6, n. 36, 37, *de Vera Relig.*, c. 30, 31, animæ nostræ *perpetuo illucescunt ideæ regularum æternarum*, quarum ope de numeris, figuris, pulchro judicamus; quibus etiam utimur ut verum a falso, justum ab injusto secernamus. » Vide Thomassin, *de Deo*, lib. 1, c. 23, 24.

2. Ex eodem S. Doctore, *de Civit. Dei*, lib. 8, c. 6, 7, 8, inter res mundanas, aliæ sunt aliis perfectiores : hoc autem supponit existere naturam quamdam cum summo gradu perfectionis, quæ sit perfectio ipsa, in qua cujuslibet bonitatis et perfectionis mensura reponitur.

S. Anselmus, *in proslogio*, c. 2, 3, primum argumentum a S. Augustino allatum deducit ex idea entis, *quo majus excogitari nequit*. Tale ens, inquit, non potest esse in solo intellectu; siquidem tunc excogitari posset ens perfec-

tissimum cum reali existentia; et ideo primum non esset in intellectu adeo perfectum, ut eo majus excogitari non posset. S. Doctor putat illud argumentum, quod subita quadam illuminatione mentem suam invasisse testatur, ita quemlibet adversarium de existentia Dei convincere posse ut nemo, quin sibi turpiter contradicat, illam rejicere valeat.

Idem argumentum renovavit Cartesius, sub hac forma : Habemus ideam entis infiniti : atqui in tali idea includitur ipsa infiniti existentia, alioquin objectum illius ideæ non esset reipsa infinitum, cum perfectius sit existere, quam esse tantum possibile; ergo ens infinitum existit. *Meditat. de prima philos.*, et *responsiones ad obj.*

Leibnizius, *Nouveaux essais*, liv. 4, c. 9, idem probat argumentum, quod sub hac forma concepit : Habemus ideam entis infiniti : atqui repugnat tale ens esse tantum possibile, cum non posset ab alio ente ad existentiam adduci; ergo ens infinitum existit.

S. Bonaventura secundum etiam S. Augustini argumentum, in opere cui titulus *Itinerarium mentis in Deum*, sub hac forma contrahit : Quidquid concipimus, reducitur ad ens in tali vel tali gradu : hoc autem supponit conceptum entis in summo gradu seu entis absoluti, cujus proinde contemplatio nobis incessanter præsens esse debet.

Idem S. Doctor primum S. Augustini argumentum multiplici textu et ratiocinio evolvit ac confirmat in opusculo recens in lucem edito, de cujus authenticitate quidam dubitant, cui titulus : *An rationes æternæ sint rationes cognoscendi in omni certitudinis cognitione.*

Utrumque S. Augustini argumentum proponitur et evolvitur a Bossuet, *Logique*, liv. 1. c. 37, 38; *Connaissance de Dieu*, etc., c. 4, n. 5, 6 ; 2° 3° *Elevat.*, ut supra, n. 18; Fénelon, *Traité de l'existence de Dieu*, 2° p., c. 2, 4 ; Malebranche, card. Gerdil, etc.

CAPUT II

DE NATURA DEI

35. — Absoluta prima quæstione de Deo *an sit*, inquirendum est *quis sit*. At *verius cogitatur Deus*, quam *dicitur*, et *verius est*, quam *cogitatur*, ut ait S. August., *de Trinit.* lib. 7, c. 4. Facilius enim dicimus quid non sit Deus, quam quid sit; atque « divina substantia omnem formam, quam intellectus noster attingit, sua immensitate excedit, et sic illam apprehendere non possumus cognoscendo quid sit », ita ut eam exprimamus conceptu definitivo essentiali; S. Th. *Cont. Gent.*, lib. 1, c. 14. Nihilominus quædam specifica ac per se distinctiva concipimur ex ipsa Dei notione; cætera vero occasione comparationis inter Deum et creaturas. Unde inquiremus 1° de nota seu attributo primario essentiæ Dei; 2° de attributis a primaria Dei nota immediate profluentibus; 3° de attributis a primaria Dei nota mediante inspectione creaturarum deductis.

ARTICULUS PRIMUS

De nota primaria essentiæ Dei.

36. — *Quæritur* 1° quid sit nota primaria essentiæ Dei?

Resp. Essentiæ Dei nota primaria illud est, quod a nobis debet haberi ut primum inter ea, quæ de Deo concipimus, quo ejus differentia specifica constituitur, et ex quo cæteræ Dei proprietates defluunt.

Dicitur 2° *illud quod a nobis debet haberi ut primum inter ea, quæ de Deo concipimus.* Unde hic Deus non consideratur *physice*, id est, secundum quod est *realiter* in se; sed *metaphysice*, logice, id est, secundum quod cadit sub consideratione intellectus nostri, seu in ordine *conceptionis*. Namque, si Deus physice spectatur, omnes perfectiones sive absolutæ, sive relativæ, identificantur cum ipsa Dei natura in se simplicissima; atque, sub hoc respectu, inter illas nullam ordo existit, sed omnes æqualiter Deo conveniunt, ac divinam essentiam constituunt. Quæstio igitur

esse potest tantum de ordine logico seu conceptionis inter varia Dei attributa; unde illa primaria proprietas in ordine cognitionis, merito *nota* nuncupatur.

Dicitur 2°: *quo ejus differentia specifica constituitur*, ita ut illud sit Deo exclusive proprium, ipsiusque naturæ divinæ constitutivum in ordine conceptionis nostræ. Propterea illa proprietas dicitur *nota constitutiva, specifica, distinctiva, differentialis* essentiæ divinæ.

Dicitur 3° : *et ex quo cæteræ Dei proprietates defluunt*, ita ut, ex una parte, illa Dei proprietas nihil ante se præsupponat in ordine conceptionis; et, ex altera parte, cæteræ proprietates tanquam fontem ac principium illam præsupponant, et ab ipsa deriventur in ordine conceptionis, atque ideo ab ea virtualiter distinguantur. Quare illa proprietas seu nota uti *primaria* habetur ac denominatur. Sic in unaquaque re creata semper reperitur aliqua perfectio, quæ primo in eo concipitur tanquam differentia ejus essentialis, et cæterarum perfectionum radix et origo, v. g., in homine rationalitas.

37. — *Quæritur* 2° quænam sit illa essentiæ divinæ nota seu proprietas primaria?

Resp. De hac re disputant philosophi et Theologi; nec certam solutionem consequi valemus, ait Zigliara, *Theol.*, n. 9, I. Quatuor præcipuæ exstant opiniones. Alii quippe proprietatem Dei primariam reponunt in ejus *infinitate*, ut Scotus et veteres Scotistæ.

Alii in Dei *asseitate*, quatenus Deus non est ab alio tanquam a radice, sed est radix aliorum entium. Ita Bannes, Ledesma, Petavius, Tournely, Contensonus; Liberman, Perrone et plures Thomistæ, inter quos Capreolus, card. Gotti, *Theol. scholast.*, t. 2, qui in hanc sententiam citat S. Thomam, ut notat, Zigliara, *ibid.*, v.

Alii in Dei *intelligere* sentiunt esse primariam Dei proprietatem; ita communius Thomistæ, qui afferunt etiam auctoritatem S. Th., ut iterum animadvertit Zigliara, *ibid.*, 4. At hujusce sententiæ patroni inter se dividuntur, ut exponit Billuart, dissert. 2, a. 1, § 1. Quidam, scilicet,

opinantur pro intelligere tantum radicali seu pro ipsa potentia intellectiva; alii vero pro intelligere actuali sub ratione ultimæ actualitatis per se subsistentis.

4. Tandem in proprietate *essendi simpliciter*, sine addito, absque ulla restrictione, consistit primaria Dei proprietas, juxta plures, inter quos citantur aliqui SS. Patres, Bossuet, Fénelon, Leibniz, card. Gerdil, etc.

Jam vero 1° nota Dei primaria non videtur reponenda in ejus *infinitate*. Namque infinitas est modus naturæ seu modus habendi perfectiones sine fine : atqui modus naturæ non est ipsa natura, nec eam constituit, sed constitutam supponit. Insuper infinitas afficit omnia Dei attributa, nec ab eis virtualiter distinguitur.

2° *Asseitas* est primaria nota essentiæ divinæ, si ad cognoscendum Deum procedamus *a posteriori*, id est, ab effectibus ad causam efficientem et infectam, a contingentibus ad ens necessarium seu a se; et in hoc distinguitur a quolibet ente contingente aut ab effectu quocumque. Insuper ab asseitate defluunt omnes perfectiones, quatenus ens a se habet per se totam entis plenitudinem; ergo asseitas est primaria essentiæ divinæ nota, si ad cognoscendum Deum procedamus a posteriori. Ita Zigliara, *Theol.*, 9, VI.

3° *Intelligere in summo gradu actualitatis*, respectu *esse*, *vivere*, *sentire*, absque intellectione, est primaria essentiæ divinæ nota, si ad cognoscendum Deum procedamus *a priori*.

Etenim, Deus, cum sit ens perfectissimum, constitui debet per gradum entis perfectissimum : porro ex quatuor entis gradibus, esse, vivere, sentire, intelligere, iste est perfectior; ergo, respectu trium aliorum graduum entis, intelligere est primaria proprietas essentiæ divinæ.

Hujusmodi autem intelligere non est radicale tantum, sed actuale sub ratione ultimæ actualitatis per se subsistentis. Natura enim divina est actus purissimus, expers omnis potentialitatis; atqui, ex jam dictis, illa essentia constituitur per gradum intellectivum; ergo ille gradus est summe actualis; ac proinde Deus definitur : *Ens summe et actualissime intelligens*. Ita Billuart, dissert. 2, a. 1, § 2.

« Hoc verum est, ait Zigliara, *ibid.*, si ad cognitionem Dei procedamus *a priori*, investigando, scilicet, divina ipsa attributa, eaque ad invicem comparando, ut perfectiorem notitiam Dei acquiramus, ac determinemus inter eadem attributa illud, quod respectu nostri se habet quasi differentiam specificam, et unde promanare intelliguntur cætera. »

4° Tandem proprietas *essendi simpliciter* est nota essentiæ Dei primaria, si ad hujus cognitionem procedamus *a priori*, nempé, investigando divina attributa, eaque ad invicem comparando non solum sub quadruplici respectu essendi, vivendi, sentiendi, intelligendi, sed etiam sub alio quocunque et quomodolibet.

Etenim 1. Deus ipse in Scripturis per *esse simpliciter* se discernit, hancque perfectionem sibi vult maxime peculiarem tribui; siquidem Moysi interroganti *quis esset*, respondit : « Ego sum QUI *sum* ; » sic dices filiis Israel : « QUI EST, misit me ad vos ». Exod., 3, ℣ 14. Atqui procul dubio illa perfectio seu nota est in Deo primaria, qua ipse Deus seipsum definit, ac quis sit determinat, et qua vult designari, discerni, nuncupari; ergo *esse simpliciter* est nota essentiæ divinæ primaria, si agatur de ejus cognitione a priori et sub latissimo conspectu.

2. « Nos *in quantum sumus*, boni sumus. Deus *summe* ac *primitus* est, qui *plenissime* dicere potuit : *Ego sum qui sum ;* et : *Dices eis*, qui EST, *misit me ad vos.* » S. August., *de Doct. christ.*, lib. 1, n. 35. — « Quis est, ait S. Bernard., *de Considerat.*, lib. 5, c. 6? Non sane occurrit melius, quam *Qui est*. Hoc ipse se voluit responderi, hoc docuit, dicente Moyse ad populum, ipso quidem injungente : *Qui est*, misit me ad vos ; » merito quidem..., si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem, vel quidquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur : quod est EST. »

« Qui dit *Dieu*, dit un océan infini de toute perfection... Si vous demandez ce qu'il est, il est impossible qu'on vous réponde. Il est; personne n'en peut douter, et c'est aussi tout ce qu'on peut en dire : *Je suis celui qui Est;* c'est celui qui *Est* te parle, disait-il autrefois à Moïse. *Je suis*, n'en

demande pas davantage; c'est parce qu'il est impossible de *définir*, ni de *limiter* ce qu'il est. » Bossuet, *Serm. pour une vêture, aux nouvelles cathol.*, 1er p.

« Etre une certaine chose précise, c'est n'être que cette chose en particulier. Quand je dis de l'Etre infini qu'il est l'*Etre* simplement, sans rien ajouter, *j'ai tout dit. Sa différence, c'est de n'en avoir point*. Le mot infini que j'ai ajouté, ne lui donne rien d'effectif; c'est un terme presque superflu, que je donne à la coutume et à l'imagination des hommes... Dieu est donc l'*Etre;* et j'entends enfin cette grande parole de Moïse : *Celui qui Est m'a envoyé vers vous. L'Etre* est son nom *essentiel*, glorieux, incommunicable, ineffable, inouï à la multitude. » Fénelon, *Traité de l'existence de Dieu*, 2e p., c. 5.

3. Proprietas *essendi simpliciter* est Deo exclusive propria, inter cæteras Dei proprietates primum locum obtinet, et fons est aliarum proprietatum; ergo, etc. Et quidem *est Deo exclusive propria*. Tota enim entis plenitudo pluribus individuis competere nequit, ex dictis, n. 25 : atqui nomine *Dei* designatur individuum quod tota entis plenitudine constituitur; ergo proprietas essendi simpliciter est Deo exclusive propria.

Sed etiam, inter alias proprietates Deo exclusive proprias, primum locum obtinet. Siquidem *nullam proprietatem ante seipsam præsupponit*. Vel enim hæc proprietas, quæ attributum *essendi simpliciter* præcederet, est aliquid entis, vel non : si posterius, nihil est, et ideo proprietas dici nequit : si prius, per *esse simpliciter* concipitur, ideoque ipsius conceptum non præcedit, sed potius subsequitur.

Aliarum proprietatum est fons et principium. Namque proprietas *essendi simpliciter* excludit *non ens*, et ideo totum ens includit; ergo proprietas quælibet nihil aliud est quam aliquid entis : atqui proprietas *essendi simpliciter* per se includit et implicite enuntiat omnes quascumque proprietates; ac proinde est primarium Dei attributum.

Et vero, sicut Deus existit independenter a quolibet alio ente, ita et apprehendi debet per verum attributum primarium absque conceptu alterius entis : porro conceptus

infiniti in mente non oritur, nisi occasione conceptus finiti; similiter conceptus entis *a se* non efformatur nisi occasione conceptus entis *contingentis*; dum conceptus *essendi simpliciter* abstrahit a quacumque comparatione, atque directe et positive ipsum Deum in se apprehendit; ergo hæc proprietas est in Deo primaria.

Hinc Deus definiri potest : *Ens simpliciter;* et hac appellatione plus de illo enuntiamus, ac si illi innumerabiles tribueremus perfectiones. Dicendo enim de Deo tantummodo quod *est*, exprimimus illum non ad talem vel talem modum determinari, nec per talem vel talem gradum entis constitui, sed in eo includi quidquid entis rationem habet; alioquin simpliciter dici non deberet eum *esse*, sed *esse secundum quid;* nec esset *Ens* (*l'Être*), sed *aliquod ens* (*un être*).

Unde patet quam sublimis et vera sit hæc suiipsius definitio, quam Deus, populo Hebræo transmittendam, Moysi tradidit : *Ego sum* QUI SUM. *Sic dices filiis Israel :* QUI EST, *misit me ad vos*. Exod. 3, ℣ 14; vide n. 8.

ARTICULUS II

De attributis a primaria Dei proprietate immediate defluentibus.

38. — De attributis divinis hæc prænotanda sunt. « Intellectus noster, ait S. Th. 1 p. q. 13, a. 4, cum cognoscat Deum ex creaturis, format ad intelligendum Deum conceptiones proportionatas perfectionibus procedentibus a Deo in creaturas. Quæ quidem perfectiones præexistunt in Deo unice et simpliciter; in creaturis vero reperiuntur divisæ et multipliciter; et ideo variis et multiplicibus conceptibus intellectus nostri respondet unum omnino simplex, secundum hujusmodi conceptiones imperfecte intellectum. » Itaque 1. in creaturis perfectiones sunt sejunctim, singulatim : in Deo collectim et unitæ; 2. in illis sunt qualitates : in Deo substantia; 3. in illis circumcribuntur limitibus : in Deo a limitibus sunt solutæ; 4. creaturæ illas possident per participationem; Deus per essentiam; 5. in illis sunt

dependentes ab objectis externis : non vero in Deo; 6. in illis augeri, minui amittique possunt : in Deo augmenti sicut et decrementi sunt incapaces. Hurter, *de Deo*, n. 57.

Hic agitur de Dei attributis in conceptu entis simpliciter ita inclusis, ut, hoc conceptu habito, statim a mente apprehendantur.

Triplex est autem character cuilibet enti essentialiter competens, nimirum *unitas*, *veritas*, *bonitas;* et ideo de his tribus attributis a primaria Dei proprietate immediate defluentibus, aliquid dicendum habemus.

§ I

De unitate essentiæ Dei.

39. — *Unitas*, in genere, est character quo res aliqua est *indivisa in se*. Porro, juxta hodiernos Materialistas, nomine *Positivistarum* cohonestatos, objectum ideale, quod per notam *entis simpliciter* concipitur, non est essentia distincta, neque in sua comprehensione omne ens continet; sed est potius collectio omnium essentiarum finitarum, quæ, uno eodemque conceptu apprehensæ, vere menti nostræ entis plenitudinem exhibent; ideoque conceptus entis simpliciter est mere mentis nostræ abstractio, quæ in conceptu essentiarum finitarum tota fundatur. Contra sit

PROPOSITIO

40. — *Ens simpliciter essentiam distinctam et proprie dictam exprimit*. De fide est.

Propositio a Conc. Vaticano, n. 4, definita est his verbis: « Si quis dixerit, *unam eamdemque* esse Dei et *rerum omnium substantiam* vel *essentiam :* anathema sit. »

Constat aliunde omnibus argumentis quibus probatur Deum vere existere, atque omni perfectione esse præditum. Posito quod enim conceptus entis simpliciter sit mera abstractio, idem dicendum est de conceptu entis omni perfectione præditi seu Dei : hoc autem dici nequit.

Etenim 1. conceptus entis simpliciter exprimit *esse* absque ulla restrictione; dum conceptus collectionis essentiarum finitarum ad *esse* multiplex objective terminatur : at-

qui, inter illa duo, adest essentiale discrimen; ergo conceptus entis simpliciter non exprimit meram collectionem essentiarum finitarum, sed essentiam distinctam et proprie dictam.

2. Quantumvis multiplicentur essentiæ finitæ, semper concipi poterit, quod earum collectio novis entibus adaugeatur, atque adeo realitatem entis simpliciter nunquam adæquabunt; ac proinde adest essentiale discrimen inter duos illos conceptus.

3. Tandem finitum non concipitur nisi ut aliqua entis participatio : atqui participatio entis seu ens secundum quid, non concipitur, nisi prius concipiatur ens in sensu absoluto, id est, ens simpliciter; ergo ens simpliciter exprimit essentiam distinctam et proprie dictam.

41. — Hinc essentia divina non solum est aliquid unum, sed insuper et *summa unitas*, seu suprema regula unitatis, eo sensu quod cæteræ essentiæ unitatem habere dici non possunt, nisi quatenus illis cum divina essentia aliqualis competit similitudinis gradus. Divina enim essentia constituitur per *esse* simpliciter; ergo quidquid in aliis entibus invenitur, præcise quatenus sunt entia, suum archetypum suamque formam exemplarem in hac essentia inveniri debet.

§ II

De veritate essentiæ Dei

42. — *Veritas*, in genere, est *adæquatio rei et intellectionis, aut intellectionis et expressionis;* S. Th. 1 p., q. 16, a. 1. Unde triplex distinguitur veritatis species, scilicet, in *essendo*, in *cognoscendo*, et in *significando*.

Veritas est in *essendo*, cum res habet esse adæquatum suiipsius ideæ seu archetypo per intellectum apprehenso; sic, dicimus hoc aurum esse verum, quia conforme est ideæ, quam de auro habemus; in *cognoscendo* autem, quando idea rei per intellectum concepta, est adæquata esse rei; in *significando* tandem, quando expressio est adæquata ideæ, quam mens concipit. Hic agitur tantum de veritate Dei in essendo. Unde

PROPOSITIO

43. — *Deus est verus, seu essentia divina est veritate prædita.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* « Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum Deum *verum;* » Joan. 17, ỳ 3. — « Conversi estis a simulacris, servire Deo vivo et *vero;* » I Thess. 1, ỳ 9. — « Opus artificum universa hæc; Dominus autem Deus *verus* est : ipse Deus vivens, et rex sempiternus. » Jerem. 10, ỳ 9, 10.

2° Constat etiam ex Conc. Vaticano, quod docet Deum esse *omnique perfectione infinitum;* n. 1.

3° *Ratione.* Ens simpliciter omnem perfectionem in se continet, et ideo perfecte intelligit in primis seipsum : atqui in Deo, cum essentia sit una, n. 40, eadem est essentia quæ perfecte cognoscit et quæ perfecte cognoscitur; ergo *esse* divinum est divinæ intellectioni adæquatum seu verum.

Et vero, si *ens* divinum latius extenderetur quam ipsius *intelligere*, aut ipsius intelligere latius quam ipsius esse, in utroque casu Deus aliquo positivo privaretur, nec proinde esset ens simpliciter; ergo esse divinum conforme est intellectioni divinæ, seu est veritate præditum.

44. — Hinc essentia Dei non solum vera est, sed et *summa veritas* seu suprema veritatis regula.

Etenim res in tantum veræ sunt, in quantum sunt conformes ideis, quas Deus concipit de creaturis : porro illæ ideæ sunt ipsamet essentia divina quatenus ut participabilis a creaturis per divinum intellectum apprehenditur; ergo essentia divina ut sic apprehensa, est suprema regula veritatis essentiarum finitarum, juxta verbum Christi : *Ego sum veritas;* Joan. 14, ỳ 6.

Et vero, *ideæ* sunt « principales quædam formæ, vel rationes[1] rerum stabiles atque incommutabiles, quia ipsæ

1. « Ἰδέα græce, latine *forma* dicitur. Secundum quod est principium *factionis* rerum, idea dici potest *exemplar*, et ad practicam cognitionem pertinet; secundum autem quod est principium *cognoscitivum*, idea proprie dicitur *ratio*, et potest etiam ad scientiam speculativam pertinere. Ergo, quatenus exemplar, idea se

formatæ non sunt; ac per hoc æternæ, ac semper eodem modo se habentes, quæ divina intelligentia continentur. Et cum ipsæ neque oriantur, neque intereant, *secundum eas tamen formari* dicitur *omne quod oriri* et *interire potest;* et *omne quod oritur* et *interit*... Tanta vis in ideis constituitur, ut, nisi his intellectis, *sapiens esse nemo possit.* » S. August., lib. *de divers. Quæst.*, q. 46.

Proinde, sicut in mente artificis prius est forma rei, quam opus exeat; sic ideæ rerum ante mundi constitutionem erant in Deo; atque ideo distinguere licet inter mundum *intelligibilem* et *sensibilem* seu visibilem: prior infinita Dei sapientia præconceptus, exemplaris instar archetypi ab æterno præexistit, et mundo visibili condendo præluxit; posterior ectypi instar perfecti a Deo in tempore fuit conditus. S. Th. 1 p., q. 15.

§ III

De Bonitate essentiæ Dei.

45. — *Bonitas,* in genere, est *adæquatio rei et voluntatis.* Unde duplex est bonitas, in *essendo* scilicet, et in *volendo.* Prior est perfecta conformitas rei cum voluntate, a qua res illa procedit; sic bonum est *esse* creaturæ, quia conforme est voluntati creatrici: posterior est perfecta conformitas voluntatis cum re volita aut appetenda. De priori tantum hic agitur.

PROPOSITIO

46. — *Essentia Dei est bonitate prædita.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* Deus ipse se appellat omne bonum, dicens Moysi: « Ego ostendam *omne bonum* tibi »; Exod. 33, ✝ 19. — *Nemo bonus, nisi solus Deus;* Luc. 18, ✝ 19.

2° Idem constat ex Conc. Vaticano, quod docet Deum esse *omnique perfectione infinitum;* n. 1.

3° *Ratione.* Ens simpliciter omnem perfectionem in se

habet ad omnia quæ a Deo fiunt secundum aliquod tempus; quatenus autem ratio, se habet ad omnia quæ cognoscuntur a Deo, etiamsi nullo tempore fiant. » S. Th., *ibid.*

continet, et ideo est amans in primis seipsum : atqui in Deo, cum essentia una sit, eadem est essentia quæ amat et quæ amatur; ergo suum esse est suæ voluntati adæquatum, seu bonum.

Et vero, nisi adesset perfecta illa æquatio in Deo, jam Deus aliquo positivo privaretur, et ideo non esset ens simpliciter.

47. — Hinc essentia divina non solum bona est, sed et *summa bonitas*, seu suprema bonitatis regula.

Etenim entia in tantum sunt bona, in quantum sunt conformia voluntati divinæ : porro essentiæ rerum per voluntatem divinam apprehensæ, sunt ipsamet essentia divina, quatenus ut participabilis a creaturis per illam voluntatem apprehenditur; ergo essentia divina sic apprehensa est suprema regula bonitatis essentiarum finitarum.

COROLLARIUM PRIMUM

48. — *Ergo ens simpliciter in suo esse seu actu constituitur per actum intellectus et amoris.*

Etenim, ex jam dictis, Deus seipsum cognoscit et amat, perfectaque adest æquatio inter Deum cognoscentem et a seipso cognitum, amantem et a seipso amatum : porro nulla alia operatio ab his distincta concipitur, ut fusius dicetur in Tract. *de SS. Trin.*; ergo ens simpliciter in suo esse constituitur per actum intellectus et amoris.

COROLLARIUM II

49. — *Ergo Deus in summo gradu possidet independentiam, vitam, et beatitudinem.* Certum est.

Et quidem 1° *independentiam.* Etenim independentia est prærogativa, qua ens in seipso habet quidquid ad intimam ipsius constitutionem requiritur; ideoque nullum respectum ad terminum exteriorem, sine quo esse et concipi non possit, per se habet : porro, ex dictis, Deus in suo esse constituitur et completur per suiipsius cognitionem et amorem; ergo in summo gradu possidet independentiam.

2° *Vitam*. Per vitam vulgo intelligitur complexio actionum, quas entia producunt vi spontaneitatis ipsis innatæ: vita enim est *in motu ab intrinseco;* sic motus organici in plantis et animalibus, operationes intellectuales et voluntariæ in substantiis spiritualibus, hujusmodi entium vitam constituunt : porro Deus operatur per intellectum et amorem, et quidem cum summa independentia et spontaneitate, ita ut sit ens *in actu* simpliciter : ergo in summo gradu possidet vitam.

Imo, non solum in se *vivit*, sed et ipsa *vita* est, juxta verbum Christi : *Ego sum vita;* Joan. 14, ℣ 6. Deus enim omnia entia producit, conservat, et in eis omnem motum seu vitam infundit, ex infra dicendis; ergo est principium omnis vitæ.

3° *Beatitudinem*. Beatitudo est *status omnium bonorum congregatione perfectus*, in quo, scilicet, omnes entis appetitiones, sive intellectuales sive voluntariæ, perfecte satiantur et quietantur plena sui objecti consecutione, ita ut nihil jam enti appetendum remaneat : atqui in Deo facultates cognoscendi et amandi perfecte quietantur per contemplationem et amorem suiipsus, in quo omnia intelligibilia et amabilia cognoscit et amat; ergo Deus in summo gradu possidet beatitudinem.

Imo non solum beatus est, sed est *ipsa beatitudo*, cum nullum ens nisi per illius cognitionem et amorem, beatum esse possit, ut infra dicetur.

Idem probatur ex Conc. Vaticano quod declarat Deum esse *in se et ex se beatissimum omnique perfectione infinitum;* n. 1.

ARTICULUS III

De attributis Dei ex proprietate ipsius primaria mediate tantum profluentibus.

50. — Attributa Dei, de quibus agendum superest, illa sunt, quæ per conceptionem distinctam in Deo non apprehenduntur, nisi occasione comparationis inter ipsum Deum et creaturas. Cum enim cætera entia mnltiplici ex parte deficiant, quot imperfectiones in illis deprehenduntur,

tot perfectiones in Deo, sub eodem respectu, distingui debent.

Porro imperfectiones entium a Deo distinctorum, si quatenus existentia spectentur, ex triplici fonte provenire possunt : 1° ex eo quod eorum essendi principium in operatione alicujus causæ ab iis distinctæ inveniatur ; unde sunt *contingentia, ab alio, passibilia, mutabilia ;* quibus respondent in Deo *necessitatis essendi, asseitas, impassibilitas, immutabilitas.*

2° Eo quod existere non possint nisi cum tali gradu entis, in tali spatio, aut in tali tempore ; unde sunt *finita, temporanea, localisata :* quibus respondent in Deo *infinitas, æternitas, immensitas.*

3° Eo quod *quantitati* subjaceant, sive *discretæ* seu numero, sive *continuæ* seu extensioni ; unde sunt *plura, extensa :* quibus respondent in Deo *unicitas* et *simplicitas.* Præfata attributa explicite vel implicite enuntiantur in symbolo præsertim Athanasiano.

§ I

De attributis divinis respectu principii essendi contingentium, seu de Dei necessitate essendi, asseitate, impassibilitate et immutabilitate.

51. — 1° *Necessitas essendi* est proprietas, qua Deus concipi nequit non existens absque contradictione.

2° *Asseitas* vero est proprietas, qua Deus non ab alio, sed a seipso existit : non eo sensu quod ipse sit sui causa, sed quod vi propriæ essentiæ actuetur, adeo ut absque ullo causæ extrinsecæ influxu in esse constituatur.

3° *Impassibilitas* est attributum, quo Deus tum in facto, tum in modo suæ existentiæ, nullius entis a seipso distincti actioni subjacet.

4° Tandem *immutabilitas* est attributum, quo Deus internæ mutationi non est obnoxius. His positis,

PROPOSITIO PRIMA

52. — *Deus est ens necessarium.* De fide est.

Etenim, ex dictis, Deus est ens simpliciter : porro ens simpliciter non potest esse contingens. Ens enim simplici-

ter quidquid positive concipitur, includere debet : atqui necessitas existendi positive concipitur ; ergo in ente simpliciter inveniri debet. Præterea, ex argumentis ad Dei existentiam demonstrandam allatis, sequitur existere ens necessarium : porro Deus nihil aliud est quam illud ens ; ergo, etc.

Constat aliunde tum ex symbolo Athanasiano, in quo dicitur Deum esse *increatum*, *a nullo factum ;* tum ex Conc. Vaticano, n. 1, quod docet Deum esse *omni perfectione infinitum*.

PROPOSITIO II

53. — *Deus est ens a se*. De fide est.

Deus enim est ens simpliciter : atqui ens simpliciter est ens a se. Nam si ab *alio* foret, ab hoc alio sub respectu existentiæ penderet, et proinde aliqui dentis concipi posset, quod in ipso nullatenus includeretur, ideoque non foret ens simpliciter. Et vero, ex dictis ad demonstrationem existentiæ Dei, necesse est admittere *causam primam* variarum existentiarum, quibus constituitur mundus. Porro illa causa est ens *a se*. Si enim foret ab alio, hoc aliud vel iterum foret ab alio, vel non : si posterius esset ens a se, solumque Dei nomen obtineret : si prius, vel aderit progressus in infinitum, quod omnino repugnat, præsertim ubi agitur de causis ; vel denique admittenda est causa prima, quæ ideo est *a se*.

Idem probatur ex symbolo Athanasiano et ex Conc. Vaticano, ut jam dictum est, n. 52.

PROPOSITIO III

54. — *Deus est impassibilis*. De fide est.

Nam Deus est ens a se : porro ens a se est impassibile, seu, relative ad suum essendi modum, alterius entis influxui non subjacet. Nam repugnat ens aliquod existere, nisi existat aliquo modo determinato ; et ideo quidquid alicui enti factum existentiæ confert, modum quoque existendi illi conferat, necesse est : porro Deus seu ens a se, factum existentiæ non aliunde quam a propria natura acci-

pit; ergo et existendi modum nonnisi ab eodem fonte accipere debet; et ideo est impassibile.

Constat etiam tum Conc. Later. IV, c. *Firmiter*, in quo definitur Deum esse *impassibilem, incommutabilem,* tum Conc. Vaticano, quod iterum declarat « substantiam divinam esse *incommutabilem;* » n. 1.

PROPOSITIO IV

55. — *Deus est immutabilis, seu internis mutationibus subjacere nequit.* De fide est.

Prob. 1° *Script. Ego Dominus, et non mutor;* Malach, 3. 1, ỳ 6. — *Apud quem* (Deum) *non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio;* Jac. 1, ỳ 17. Et vero Deus mutabilis non est quoad existentiam, juxta illud Deut. 32, ỳ 40 : *Vivo ego in æternum;* nec ratione perfectionum, ex Psal. 101, ỳ 28 : *Tu autem idem ipse es;* nec ratione consilii, juxta Isaiam, 46, ỳ 10 : *Consilium meum stabit;* ergo, etc.

2° *Ex Traditione.* SS. Patres in præsenti, quia dimittuntur nobis, referre superfluum esset. Juxta S. Ambros., sic locutum est Conc. Nicænum generale I : « Eos qui dicunt *mutabilem* esse *Filium Dei,* anathematizat Catholica et Apostolica Ecclesia.

Idem definitum est a Conc. Later. IV, et declaratum a Conc. Vaticano, ex jam dictis, n. 54.

3° *Ratione.* Deus est ens necessarium et ens a se, et ideo vi utriusque illius attributi, Deus determinatur ad existendum per suammet essentiam; ac proinde in aliquo modo existendi per hanc essentiam constituitur. Hoc autem posito, Deus nulli mutationi obnoxius esse potest. Etenim, non mutaretur, nisi vel quatenus modum existendi a sua essentia determinatum amitteret, vel quatenus hunc modum servando, alios tamen acciperet : porro utrumque repugnat. Prius quidem : contradictorium est enim ens amittere, quod ipsi essentiale est. Posterius quoque; nam impossibile est quod ens, modum existendi servando, novos existendi modos nihilominus acquirat; ergo, etc.

Et vero triplex concipitur mutatio, scilicet, quoad existentiam, perfectiones, et consilia : sed nulla ex his cadere

potest in Deum. Non prima, quia Deus est ens necessarium, in quo initium et finis æqualiter repugnant. Non secunda, quia Deus ex natura sua infinite perfectus, aut novam acquirere, aut pristinam amittere perfectionem nullatenus potest. Nec tertia, scilicet, Deus et nova inire consilia, et jam suscepta rescindere nequit; ejusmodi enim variatio suam originem habet in præcipitatione, ignorantia, vel passione, quæ tria locum in Deo nullum habere possunt.

56. — Hinc *nihil contingentis in Deo admitti debet.*

Illud enim contingens vel in ipsomet actu, quo primum constituta fuit existentia divina inveniretur, vel huic existentiæ jam constitutæ adveniret : porro, ex dictis, utrumque repugnat. S. Th. 1. p., q. 3, a. 6.

57. — *Obj.* 1° In Script. legitur Deum *facti pœnituisse*, Gen. 6, ℣ 6; ergo mutat.

Resp. Dist. ant. Pœnituisse quoad effectum, *conc.;* quoad passionem et affectum, *nego.* Nam sic legitur, I Reg., 15, ℣ 29 : *Neque enim Deus homo est, ut agat pœnitentiam ;* ut ergo concilietur textus ille cum proposito, qui contrarium enuntiare videtur, dicendum est Deum pœnitere quoad effectum, agendo scilicet ea, quæ faciunt homines, dum sui facti eos pœnitet, opus nempe suum destruendo; non autem quoad passionem et affectum, quasi more nostro interius doleat et factum retractet. Jam vero pœnitentia, quoad effectum nullam in Deo pœnitente mutationem supponit, quia, ut loquitur S. Augustinus, lib. 12 *de Civit.*, c. 17, *potest, ad opus novum, non novum sed æternum adhibere consilium.*

58. — *Inst.* 1. Scriptura *dolorem*, *iram*, *oblivionem*, et *recordationem Deo* tribuit : atqui hæc omnia mutationem supponunt; ergo. etc.

Resp. Dist. maj. Tribuit metaphorice, *conc.*; proprie, *nego.* Quia Deus in tempore, sed juxta consilium ab æterno sumptum, varia exsequitur quæ solent facere homines dolore, ira, recordatione, vel oblivione capti, propterea similes ipsi tribuuntur affectiones; sed non eodem sensu, ut constat ex aliis Scripturæ locis, quæ omnem imperfectionem, ipsamque vel mutationis umbram a Deo clarius removent. Itaque Deus irasci dicitur, cum minas vel supplicia intentat; recordari

hominum, quando eos consolatur et bonis replet; illorum oblivisci, cum eos affligi sinit; dolere de proprio facto, cum opus sum mutatis circumstantiis, destruit.

59. — *Inst.* 2. Deus aliquando sua *mutavit decreta*; istud, v. g., quo Ninivem intra quadraginta dies subvertere statuerat, Jonæ, 3, ✝10; ergo, etc.

Resp. Nego anteced. Decretum subvertendi Ninivem erat conditionatum, hoc scilicet modo, nisi agat pœnitentiam; quia ergo ad prædicationem Jonæ ipsam pœnituit, absque mutatione ulla Deus præfatam urbem stare fecit. Uno verbo, sicut decretum conditionatum, posita conditione, transit in absolutum, eadem quoque sublata, nullum censeatur oportet.

60. — *Obj.* 2° Deus multa de novo facit; ergo mutationi obnoxius est.

Resp. Nego consequent. Nova enim Dei opera virtute decreti æterni fiunt; ergo tota ex parte creaturarum stat mutatio, sic, v. g., cum Deus ex non creante factus est creator, nihil intrinsecum ipsi accessit, quia decretum vi cujus existit mundus, ab æterno est. Deus quidem novam instanti creationis relationem habuit, vi cujus ex non creante creator denominatus est; sed illa relatio nihil recens in eo supponit; tota enim fundatur in termino actionis ejus, novo quidem, sed extra Deum posito. Vide Tract. *de Incarn.*, n. 78.

61. — *Inst.* 1. Si Deus ab æterno cuncta decrevit, jam ab æterno cuncta debuerunt existere; voluntas enim divina, utpote omnipotens, nullo instanti privari suo effectu potest.

Resp. Nego sequel. ant.; quia Deus ab æterno cuncta voluit non pro æternitate, sed pro tempore; vide n. 66, 93.

62. — *Inst.* 2. Deus modo justum diligit, quem peccatorem ante oderat; ergo mutatur.

Resp. Nego consequent. Deus ab æterno in æternum actione simplicissima omne malum aversatur, et bonum omne in quacunque temporis differentia positum, diligit; hinc tota mutatio se tenet ex parte hominis, qui ex peccatore odibili fit justus amabilis; et quemadmodum sol absque ulla mutatione, v. g., Joannem suis objectum radiis illuminat, secus vero ab illis remotum, ita Deus, absque ulla ex parte sui mutatione, diligit hominem in solo justitiæ constitutum, quem non diligit, imo aversatur, quando a justitia recedit.

§ II

De attributis divinis respectu varii gradus entis, temporis et spatii in contingentibus, seu de Dei infinitate, æternitate, immensitate.

NUMERUS PRIMUS

De Infinitate Dei.

Infinitum, juxta vim nominis, est aliquid negativum; significat enim carentiam finis seu termini : juxta rem nomine significatam, est aliquid maxime positivum; siquidem nihil aliud est quam summa et nullis limitibus circumscripta perfectio. Infinitum aliud est *absolute*, quod omnes in omni genere complectitur perfectiones; aliud *secundum quid*, in aliquo tantum perfectionis genere completum.

PROPOSITIO

63. — *Deus est absolute infinitus*. De fide est.

Prob. 1° *Script. Magnus Dominus, et..: magnitudinis ejus non est finis*. Ps. 144, ℣ 3.

2° *Ex traditione*. « Deus neque *major*, neque *minor* ex accessione vel substractione fit. Nam quod *in majus fit incrementum, in infinito locum non habet;* S. Greg. Nyss. Orat. 12, p. 2. — « *Deus*, non quovis modo est *ens*, sed *simpliciter* et *infinite;* » S. Dionys. *de div. Nom.* c. 5. Hoc expresse definitur a Concil. Later. IV, c. *Firmiter*, atque declaratur a Conc. Vaticano, ex quo Deus est *omni perfectione infinitus;* n. 1.

3° *Ratione*. 1. Deus est ens simpliciter : atqui ens simpliciter omnes omnino perfectiones possidet; ergo nullis limitibus circumscribitur, et ideo est infinitum.

2. Deus est ens *a se :* atqui ens a se omnes possibiles perfectiones in se habet. Etenim omnes illæ perfectiones enti a se tribui debent, quæ, si ipsi denegarentur, possibiles simul forent et impossibiles : atqui posito quod ens a se non haberet omnes perfectiones possibiles, illud sequeretur. Nam possibiles forent, ex hypothesi; impossibiles autem, cum esse non possent nec in ente a se, nec in aliquo ente contingenti. Non in ente a se, alioquin nunquam

illis caruisset; ens enim a se utpote necessarium, necessario habet quidquid possidet. Nec in aliquo ente contingenti : quidquid enim habent contingentia, ab ente *a se* receperunt. Ergo ens a se aliqua perfectione carere non potest, quin illa perfectio sit absolute impossibilis, et ideo ens a se est infinitum.

64. — Quædam notanda supersunt : scilicet 1° Deus dicitur infinitus quoad perfectiones, quia et quælibet ejus perfectio illimitata est, et etiam quia continet aliquo sensu infinitas perfectiones, cum contineat omnes perfectiones possibiles.

2° Omnes perfectiones *simpliciter simplices*, quæ, scilicet, meliores sunt ipsæ quam non ipsæ, id est, quas subjecto melius est habere quam non habere, ut *sapientia, justitia* in homine, in Deo continentur *formaliter*, id est, secundum propriam formam seu naturam. Talis est enim Deus, ut ipso nihil melius excogitari possit : atqui, nisi hujusmodi perfectiones complecteretur, aliquid ipso melius concipi posset : ens scilicet quod hujusmodi perfectionibus ornaretur.

3° Omnes creaturarum, sive possibilium, sive existentium, perfectiones in ipso *virtualiter* existunt, quia virtutem eas producendi continet.

4° Omnes perfectiones secundum quid, adjunctam, scilicet, habentes quamdam imperfectionem, in eo continentur *eminenter*, id est, supplentur alia majori perfectione. Sic ratiocinatio in Deo est eminenter; Deus enim per infinitam suam scientiam multo perfectius ea cognoscit, quæ nonnisi per ratiocinationem novimus.

5° Perfectiones simplices, eas scilicet quæ, nullam sibi adjunctam imperfectionem habentes, cum æquali tamen perfectione in eodem supposito stare non possunt, ut *paternitas, filiatio. spiratio passiva;* has, inquam perfectiones non omnes in qualibet persona formaliter, sed tantum *æquivalenter* continentur, in quantum, scilicet, tam filiatione perficiatur Filius, quam sua paternitate Pater, et sic de Spiritu Sancto; aliunde, quod cuique personæ deest ra-

tione personalitatis suæ, illud idem ipsi ratione naturæ competit, in qua tres personæ SS. Trinitatis identificantur, ut suo loco dicetur.

NUMERUS II

De Æternitate Dei.

Æternitas Dei definiri potest : *illa Dei proprietas, qua nec initium habuit, nec finem habiturus est.*

PROPOSITIO

65. — ***Deus est æternus.*** De fide est.

Prob. 1° *ex Script. Vivo ego in æternum.* Deut. 32, ỷ 40. — *A seculo et usque in seculum tu es Deus.* Ps. 89, ỷ 2.

2° *Ex Traditione.* Tertull., lib. 1, contra Marcionem : *Definio,* inquit, *Deum summum esse... in æternitate constitutum... sine initio et fine.* S. August., lib. de Natura boni, c. 1 : *Summum bonum Deus est, ac per hoc incommutabile bonum est, ideo vere æternum.* Cæteri Patres, nullo diffitente, idem sentiunt. Idem expresse profitemur in symbolo Athanasiano; hoc insuper definivit Conc. Later. IV, cap. *Firmiter*, atque iterum declaravit Conc. Vaticanum, n. 1.

3° *Ratione.* 1. Deus est ens simpliciter : porro ens simpliciter est æternum. Etenim, qui dicit *Ens*, realitatem non exprimit talis vel talis durationis limitibus circumscriptam, sed realitatem quæ in quolibet tempore existens concipitur; alioquin illi realitati aliquid deficeret, nec esset ens simpliciter; ergo ens simpliciter in omnibus temporibus existit, seu est æternum.

2. Deus est ens necessarium : atqui ens necessarium est æternum. Si enim ens necessarium non foret æternum, ipsius existentia ad aliquod tempus determinatum limitaretur : atqui illud dici nequit. Necessitas enim vi cujus existit, a qualibet conditione est independens, et ideo in omnibus temporibus æqualiter agere debet; ergo, vel existit in omnibus temporibus, vel in nullo tempore. Idem probari potest ex eo quod Deus sit ens infinitum.

66. — *Quæritur* in quonam consistat Dei æternitas?

Resp. Percelebris fuit olim in scholis Thomistarum et Scotistarum de hac re controversia. Systema Scotistarum hisce tribus continetur : 1. Æternitas Dei successiva conflatur ex formalitatibus numero infinitis tum a parte ante, tum a parte post, sibi indesinenter succedentibus : porro quælibet formalitas est instans reale; pluralitas vero formalitatum sibi succedentium est duratio; denique numerus formalitatum sibi succedentium ex utraque parte infinitus, est æternitas. 2. Æternitas illa Deo intrinseca est, ita ut, veterem amittendo formalitatem, novam indesinenter recipiat. 3. Jugis ille ac continuus instantium realium in Deo fluxus immutabilitatem ejus nullatenus lædit, eo quod natura divina, eadem semper manens, tota simul existit, et formalitati instantaneæ pereunti succedit alia prorsus æqualis : unde hæc est juxta Scotistas divinæ æternitatis accurata definitio : *Duratio Dei totius simul carens principio et fine*.

Contra Thomistæ docebant æternitatem divinam totam esse simul, quia vere non distinguitur a Deo essentialiter et immutabiliter existente. Hinc, omnem instantium realium intrinsecam Deo successionem procul repellentes, virtualia tantum in eo admittunt instantia; Deus enim semper idem omnibus coexistit successivis, quemadmodum arbor, juxta flumen posita, immota stat, licet diversis e præterfluentibus aquis coexistat. Itaque sic æternitatem Dei definiunt Thomistæ cum Boetio : *Interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio*.

Nobis autem, si mentem nostram aperire licet, 1. videtur systema Scotistarum rejiciendum esse.

Etenim, in hoc systemate, actualitas entis divini, in quolibet temporis instanti, aliquid contingens esse videtur, quod repugnat; nec nisi valde improprie dici posset ens divinum omnia temporis instantia occupare; cum veram et proprie dictam instantium successionem in illo ente admittat præfatum systema.

2. Thomistarum autem systema multo probabilius apparet. Nam, ex una parte, nihil asserit quod summam Dei perfectionem lædat, ut per se satis patet; ex alia vero parte,

talis æternitas veram et proprie dictam omnibus temporis instantibus præsentiam constituit. Etenim, tempus nihil aliud est quam *ordo successivorum, quatenus successivorum;* illiusque instantia nihil aliud sunt quam res ipsæ sibi invicem succedentes, seu termini varii successionum, quæ tempus constituunt. Hoc posito, si supponatur existentiam aliquam talis esse naturæ ut, dum ex una parte, nec initio, nec fini, nec successioni obnoxia est, ex alia parte, omnibus rebus quæ sibi succedunt, coexistat, existentia hæc præsentia singulis instantibus temporis manifeste perfruetur.

Itaque æternitas adæquate definiri potest : *Attributum, vi cujus Deus initii, finis et successionis expers, omnium cæterorum entium actibus coexistit.*

NUMERUS III

De Immensitate Dei.

67. — Immensitas, quæ juxta vim nominis mensuræ negatio est : 1° magnitudinem infinitam; 2° diffusionem, seu præsentiam in omnibus locis significat. Deum priori sensu immensum esse jam probavimus n. 63, ubi de infinitate divina; ideo de immensitate posteriori sensu intellecta unice hic agitur.

Tribus modis intelligi potest quod Deus sit immensus seu diffusus : 1. per scientiam qua novit omnia; 2. per virtutem seu potentiam qua cuncta operatur; 3. per essentiam seu substantiam qua replet omnia. Deum primo et secundo sensu immensum esse eadem certitudine constat, qua liquet ipsum omniscium et omnipotentem esse : unde hic tantum quæritur an Deus substantialiter sit immensus.

Juxta Petavium, catholici dogmatis non ignarum, salva fide catholica, dici potest Deum non ubique substantialiter esse præsentem; modo simul dicatur ipsum nullibi per substantiam esse, ut censuit Cartesius; at peccaret contra fidem, qui, Deum alicubi esse prædicans, v. g., in cœlo, ipsum ubique seu per omnia loca præsentem esse simul negaret, ut fecerunt Pagani, qui deos suos idolis, templis, et cœlo tenebant affixos.

PROPOSITIO

68. — *Deus est immensus, seu substantialiter præsens in omni loco.* Certum est.

Prob. 1° *Ex Script.* Psalm. 138, ℣ 8 : *Si ascendero in cœlum, tu illic es ; si descendero in infernum, ades.* — Jerem., 23, ℣ 24 : *Cœlum et terram ego impleo, dicit Dominus.* — Actuum, 17, ℣ 27, 28 : *Deus non longe est ab unoquoque nostrum ; in ipso enim vivimus, et movemur, et sumus.* Ex quibus 1. substantiam Dei per omnia loca præsentem esse concluditur, contra eos qui volunt Deum alicubi esse, v. g., in cœlo, non autem ubique ; in textibus enim allatis, præsentia Dei in terris eodem modo exprimitur, ac præsentia in cœlis. 2. In allatis textibus, præsentia substantialis Deo tribuitur : atqui in Deo quodlibet attributum est infinitum ; ergo infinita est præsentia Dei, seu mundo nullatenus concluditur, sed extenditur ad quodlibet ens existens, et etiam extenderetur ad omne ens, quod existeret.

2° *Ex Traditione.* Clemens Alex., lib. 7. *Strom.* : « Vir, inquit, *bonus* est, qui *persuasum* est Deum *ubique adesse,* non autem *certis* ac *definitis locis* esse *conclusum.* » — S. Chrys., in Psalm. 112 : « Non enim tanquam in cœlo inclusus respicit eminus Deus quæ sunt in terra, sed *ubique præsens,* et *omnibus assistens ;* » et *in Psal. 138 : Omnia imples, omnibus ades, non per partes, sed omnibus simul totus.* — Denique S. August., Epist. 187 ad Dardanum, c. 4 : « Est Deus *per cuncta diffusus.* Ipse quippe ait per Prophetam : *Cœlum et terram ego impleo...* Non tamen per spatia locorum, quasi *mole diffusa,* ita ut in dimidio mundi corpore sit dimidius, et in alio dimidio dimidius, atque ita per *totum totus,* sed et in solo cœlo totus, et in sola terra totus, et *nullo contentus loco,* sed *in seipso, ubique totus.* » Eodem sensu de immensitate Dei dixit Empedocles : *Circulus est, cujus centrum ubique, circumferentia nusquam.*

Porro hæc omnia Patrum testimonia præsentiam Dei non solum intelligentia et virtute, sed etiam substantia clare exprimunt, et hoc ex Scriptura confirmant.

Immensum Deum esse profitemur in Symbolo Athanasiano, atque declaratur a Conc. Vaticano, n. 1.

3° *Ratione*. 1. Deus est ens simpliciter : atqui ens simpliciter debet esse immensum. Namque immensitas est perfectio, quam melius est habere quam non habere, atque adeo ejus absentia in Deo aliquam limitationem entis necessario argueret : porro ens simpliciter nullis limitibus restringi potest; ergo, etc.

2. Deus est ens necessarium : porro ens necessarium omnibus in locis præsens esse debet. Si enim res aliter se haberet, vel ipsius præsentia ad aliquem locum determinatum limitaretur, vel indifferenter in quibuscunque locis successive præsens esse posset : atqui utrumque repugnat. Prius quidem; nam contradictorium est supponere tale ens vi sui entis esse in uno loco, potius quam in alio, cum illius necessitas existendi a nulla pendeat conditione. Posterius etiam; ens enim necessario existens, nihil in se habere potest, quod a necessitate suæ naturæ non fluat; et ideo, posito quo ad existendum in uno loco semel determinaretur, in æternum in eodem loco permaneret. Ergo ens necessarium simul in omnibus locis existere debet.

3. Deus ubique operatur, cum sit creator et conservator omnium, ut infra dicetur : atqui nullus operari nequit, ubi non est præsens; ergo Deus est substantialiter ubique præsens.

69. — *Quæritur* in quonam consistat immensitas seu præsentia in omnibus locis?

Resp. Cum, per immensitatem, omnes intelligant aliquam relationem entis ad spatium, tot illius notiones esse debent apud auctores, quot circa naturam spatii systemata propugnaverunt.

Porro, 1° juxta Scotistas, Deus omnibus in locis substantialiter est præsens vi extensionis formalis, quæ in eo supponitur. Hoc autem rejiciendum videtur. Extensio enim compositionem et divisionem per se dicit : porro utramque a Deo prorsus excludere debemus.

2° Juxta Thomistas, admittenda est extensio *virtualis* et *eminens* qua, illæsa sua simplicitate, Deus omnibus in locis præsens esse possit. Hæc autem virtualis extensio sic ex-

plicatur et intelligitur. 1. Spatium est *relatio coexistentiæ rerum;* quæ coexistentia non aliunde provenit quam ex *mutua actione* rerum in se invicem. Ergo, extra res sibi coexistentes, spatium nihil reale dicit; ac proinde in hypothesi quod cuncta quæ existunt, annihilarentur, spatium jam nullum foret nisi possibile.

2. Itaque Deus, si in se independenter a creaturis spectetur, nullum locum occupare dicendus est, sed existit modo simplicissimo, sibique soli proprio.

3. Quando autem mundum e nihilo eduxit, inter varia, quibus ille mundus constituitur, entia, quemdam instituit coexistentiæ ordinem, ex actione illorum in se invicem profluentem, vi cujus producuntur variæ relationes *præsentiæ*, per actionem immediatam, vel *distantiæ*, per actionem mediatam tantum.

4. Ergo Deus, utpote istius ordinis institutor liberrimus, huic subjacere nequit; ac proinde extra spatium existit; nec de eo prædicari possunt relationes ex spatio profluentes, quæ præterea in eo quamdam imperfectionem arguerent.

5. Attamen Deus potest agere et reipsa agit simul in res omnes, quæ spatium efformant, et ideo omnibus præsens simul dici debet. Hinc extensio virtualis et eminens in Deo nihil aliud esse videtur, quam vis Deo essentialiter inhærens, in omnes creaturas simul actiones varias exercendi, seu simul coexistendi non solum omnibus entibus actu existentibus, sed etiam ab ipso sine fine creabilibus. Ergo illa extensio virtualis et eminens nullos limites habet, ideoque *immensitas* nuncupatur et definitur : *Attributum, vi cujus Deus omnibus simul entibus immediate coexistit.*

Porro patet omnia testimonia allata ad probandum Deum esse immensum, huic Thomistarum explicationi non parum favere.

70. — *Obj.* Psal. 113, dicitur : *Deus noster in cœlo;* ergo ubique non est.

Resp. Nego consequent. Nam, ut loquitur S. Bernardus, Serm. 1, in Psal. 90 : « Licet Deum ubique esse non dubitem sic tamen in cœlo est, ut ad ejus comparationem nec esse

videatur in terris; » sicut enim anima, cum in toto sit corpore, tamen excellentius et singularius est in capite; ita Deus nimirum speciatim est in cœlo, quia locus ille, ut loquitur S. Joan. Damasc., est magis particeps operationis et gratiæ Dei.

71. — *Inst.* 1. In Scriptura pluries Deus dicitur ascendere, descendere, ambulare, Gen. 11, ℣ 7; 18, ℣ 21, 33; Deut., 22, ℣ 14; ergo, etc.

Resp. *Nego consequent.* Quia locutiones illæ metaphorice intelligi debent : « *Vide*, ait S. Aug., Serm. 70 de Tempore, *ne ascensionem et descensionem localem intelligas;* indignum est enim hoc de incorporea et ubique tota sentire substantia; sed descendere dicitur Deus, quando curam fragilitatis humanæ habere dignatur.

72. — *Inst.* 2. Absurdum est dicere Deum esse in dæmonibus; ergo, etc.

Resp. His multo minus inquinatur Deus, quam sol, dum luce sua cloacas perlustrat; » vide n. 97.

§ III

De attributis divinis respectu quantitatis sive discretæ, sive continuæ, in contingentibus, seu de Dei unicitate et simplicitate.

73. — *Unicitas* Dei illud est attributum, quo essentia divina in pluribus individuis distinctis actuari non potest. Itaque vi illius attributi, non plures dii, sed unus tantum agnosci debet. Hæc proprietas jam statuta est contra Polytheistas et Ditheistas, n. 25.

Simplicitas est *illud attributum, quo a Deo quodlibet compositum excluditur*, quo nempe *ex pluribus entibus distinctis*, ad *totum* efformandum *sibi invicem junctis, Deus non coalescit.* Hoc attributum negarunt Pantheistæ et Anthropomorphitæ.

PROPOSITIO

74. — *Deus est omnino simplex.* De fide est.

Prob. 1° *ex Script.*, Joan. 4, ℣ 24 : *Spiritus est Deus :* atqui spiritus est physice simplex; ergo, etc. Et vero Scrip-

tura Deo tribuit intellectum, voluntatem, libertatem, omnem denique perfectionem : atqui hæc omnia repugnant in subjecto composito, quale est corpus; ergo, etc.

2° *Traditione.* Origenès, lib. 1 de Principiis, 1 : *Non... corpus...*, inquit, *aut in corpore... putandus est Deus, sed intellectualis natura simplex.* Consentiunt cæteri omnes, nullo diffitente.

Idem definivit Conc. Later. IV, cap. *Firmiter*, atque iterum declaravit Conc. Vaticanum, n. 1.

3° *Ratione.* 1. Deus est summe perfectus : atqui ens compositum seu corpus imperfectione non caret; ergo, etc. 2. Deus vult et intelligit : atqui ens compositum sive corpus cogitare et velle non potest : cogitatio enim ac volitio, utpote simplices, non possunt inhærere subjecto composito. 3. Deus est primum ens, ex supradictis : atqui, ut ait S. Th., 1 p. q. 3, a. 7, compositum est posterius suis componentibus, et dependens ex eis. 4. Deus est ens necessarium : atqui ens necessarium excludit a seipso quidquid est contingens, et ideo compositionem, quæ est quid contingens, cum concipi non possit nisi uti aggregatio partium separabilium, proindeque ut aliquid quod sine contradictione supponi potest incipere et interire; quod autem incipere aut interire potest, est contingens; ergo ens necessarium a seipso omnem excludit compositionem.

75. — Hinc Deus *oculo corporeo videri non potest.* Certum est.

Etenim oculus est facultas sensitiva, cujus objectum est sensibile : atqui Deus sensibilis non est; ergo attingi non potest ab oculo corporeo. Et vero, sensus visus percipit tantum colorem; color autem præsupponit extensionem : atqui in Deo non est extensio ulla, nec color; ergo Deus sub sensu visus non cadit, nec cadere potest. Unde verba Job, 19, ỳ 25, 26, 27 : « In *carne mea* videbo *Deum* meum, quem visurus sum ego ipse, et *oculi* mei *conspecturi* sunt, » intelligi debent de Deo incarnato, ut satis indicant immediate præcedentia : « Scio quod *Redemptor* meus vivit. »

Confirmatur *Script.* « Regi seculorum immortali, *invisibili*... quem *nullus hominum vidit,* sed *nec videre potest;* » I Tim. 1, ℣ 17; 6, ℣ 16. Sane hæc loca sensu maxime naturali et obvio excludunt visionem per oculum corporeum; ergo, etc. Deinde scopus Apostoli his in locis est docere Deum esse spiritum et a falsis secretum numinibus; ergo hæc loca exponenda sunt de visione per organum corporeum.

Simili argumentatione probari potest Deum cuilibet sensui corporeo omnino esse impervium.

76. — *Obj.* 1° Deus dare non potuit quod non habebat ipse: atqui Deus compositionem materiæ dedit; ergo...

Resp. Dist. maj. Deus dare non potuit, nisi quod habeat ipse, *reale* nempe et *positivum*, concedo; *negativum tantum*, nego. Etenim fatendum quidem est Deum nihil positivum et reale dare posse, quod ipsemet saltem eminenter non habeat: de negativo autem et imperfectione illud dici nequit, ut facile constat. Nunc vero compositio in materia mera est negatio. In hac enim compositio duo tantum spectari possunt: pluralitas nempe partium, et earum inter se ad totum efformandum aggregatio. Sub utroque autem respectu, compositio nihil nisi negativum dicit. Sub priori quidem: pluralitas enim partium non aliunde possibilis efficitur, nisi ex contingentia illarum partium, qua nempe suum existendi principium, non in propria essentia, sed in libera alterius entis voluntate habent. Unde, pro illius entis arbitrio vel in uno individuo, vel in pluribus individuis earum essentia actuari potest. Sub posteriori quoque respectu: aggregatio enim constituitur per actionem plurium entium in invicem; nihil igitur extra hujusmodi entia supponit.

77. — *Obj.* 2° Scriptura sacra attribuit Deo trinam dimensionem. Dicitur enim: « *Excelsior* cœlo est, et quid facies? *profundior* inferno, et unde cognosces? *longior* terra mensura ejus, et et *latior* mari; » Job 11, ℣ 8, 9; ergo Deus non est simplex.

Resp. Nego conseq. Etenim Scriptura tradit nobis spiritualia et divina sub similitudinibus corporalium. Unde, cum trinam dimensionem Deo attribuit, sub similitudine quantitatis corporeæ virtualem quantitatem ipsius designat, scilicet, per

profunditatem, virtutem ad cognoscenda occulta; per altitudinem, excellentiam virtutis super omnia; per longitudinem, durationem suiipsius; per latitudinem, affectum dilectionis ad omnia; S. Th. 1. p., q. 3, a. 1, ad 1. Vel, « per profunditatem Dei, intelligitur incomprehensibilitas ipsius essentiæ; per longitudinem, processus virtutis ejus omnia penetrantis; per latitudinem vero superextensio ejus ad omnia, inquantum sub ejus protectione omnia continentur. » S. Dionys., *De div. Nom.* c. 9.

Similiter Deus dicitur *sedens*, propter suam immobilitatem et auctoritatem; *stans*, propter suam fortitudinem ad debellandum omne, quod ei adversatur; *accedens*, *recedens*, per affectum spiritualem et visibilem actionem.

CAPUT III

DE OPERATIONIBUS DEI

78. — *Quæritur* quotuplex sit Dei operatio?

Resp. Duplicis generis distingui potest, ex parte termini, operatio divina, alia *ad intra*, et alia *ad extra;* prior ea est, cujus terminus manet Deo intrinsecus, nec ab essentia divina distinguitur; posterior autem ea est, cujus terminus ab essentia divina distinguitur, Deoque stat extrinsecus, et cujus tamen principium est ipsamet vis activa, quæ in Deo est fons operationum ad intra. Unde ex parte termini tantum discrepant duæ illæ operationes.

Porro de operationibus Dei *ad intra* aliquid diximus, n. 43, 46, 48, 49, et de iisdem fusius et proprie agitur in Tract. *de SS. Trinitate;* hic igitur quæstio est tantum de operatione Dei *ad extra.*

Sub duplici autem respectu operatio Dei *ad extra*, haud secus ac cujuslibet entis operatio, spectari potest, *objective* scilicet seu in termino circa quem versatur, et *subjective* seu in exercitio activitatis, vi cujus terminus producitur.

ARTICULUS PRIMUS

De Operatione Dei ad extra objective spectata.

79. — *Quæritur* 1° *quotuplex sit operatio ad extra ex parte objecti?*

Resp. Duplicis speciei, ex parte objecti, esse potest operatio Dei ad extra, videlicet, *naturalis*, et *supernaturalis*: si prius, objectum operationis divinæ est vel ens ipsum creaturarum constitutivum, vel effectus seu modificatio tali enti seu naturæ creaturarum proportionata.

Si posterius, objectum operationis divinæ est effectus supra vires cujuslibet naturæ creatæ, aut etiam creabilis. Unde divina operatio non est supernaturalis ex parte Dei ipsius, sed solummodo ex parte creaturarum.

Porro de supernaturali Dei operatione partim agitur in Tract. *de Revelat.*, *de Eccl.* et *de Locis Theol.*, ubi de supernaturali Dei revelatione, de infallibilitate Ecclesiæ per divinam assistentiam, et de inspiratione Scripturarum disseritur; partim in Tract. *de Incarn.*, *de Gratia* et *de Sacramentis*, ubi de unionis hypostaticæ, de gratiæ et gloriæ supernaturalitate, et de ejusdem collatione per signa sensibilia tractatur. Hic agendum habemus tantum de naturalibus Dei operationibus ad extra. Quibus tamen aliquid subjiciemus circa providentiam in ordine supernaturali.

Tria sunt autem naturalia, quæ extra seipsum Deus operari potest, et reipsa operatur : nimirum, 1, entia possibilia a non-existentia ad existentiam transire facit; 2. eadem entia in existentia jugi influxu conservat; 3. illis tandem in productione accidentium, quæ successive induunt, cooperatur. Primum dicitur *creatio*, secundum *conservatio*, tertium *concursus*. Unde

§ I

De Creationis notione, possibilitate et existentia.

NUMERUS PRIMUS

De Creationis notione.

80. — *Queritur quid sit creatio quoad nomen et quoad rem?*

Resp. Vox *creatio* tripliciter sumitur : 1. pro reformatione in melius, aut in altiorem statum evectione, ut cum dicitur aliquis creari in Episcopum ; et in hoc sensu dixit S. Augustinus : « *Creare* est ex eo quod jam erat, ordi-

nando aliquid constituere. » Vide S. Th. 1. p., q. 45, a. 1. ad 1.

2. In usu loquendi ordinario, vox *creatio* cujuscunque generis productionem exprimit; sic de Sapientia æterna dicitur, quod « ab initio *creata sit* ; » Eccli. 1, ỳ 4. Sæpius tamen magisque proprie accipitur illa vox pro productione, quæ ad aliquid novum et antea inauditum terminatur; sic de *creationibus* poetarum, oratorum, etc., quotidie loquimur ; exinde etiam viros præcellenti ingenio præditos, qui sive in scientiis, sive in artibus novas aggrediuntur vias, *creatores* dicimus.

3. In sensu stricto, vox *creatio* designat effectionem alicujus rei ex nihilo; unde res nomine creationis proprie expressa, definitur : *productio ex nihilo.*

Productio, seu operatio aut relatio inter duas res, quarum una est principium alterius.

Ex nihilo, non eo sensu quod nihilum sit materia ex qua res creata conficitur ; sed eo sensu quod res creata ex nullo subjecto præexistente educatur, sicque, mediante actione creatrici, transeat a non-ente ad ens, seu incipiat aliquid esse.

81. — Hinc 1° *terminus ad quem* seu effectus creationis non est accidens seu mera modificatio, modus in substantia jam præexistente productus, sed ipsa *substantia seu totum esse* antea non existens ad existentiam perductum ; quare creatio dici potest οὐσίωσις *substantiatio.*

Duplex enim esse potest operationis terminus, scilicet, vel ipsa alicujus entis substantia seu totum esse, vel aliquod accidens seu forma quædam alicujus substantiæ jam existentis : si prius, adest creatio simpliciter dicta, quæ sæpe vocatur creatio *prima ;* si posterius, non adest proprie creatio, sed influxus quidam, n. 95, 104, qui interdum denominatur creatio *secunda*. Unde, saltem in rebus materialibus et compositis, distinguitur nihilum *sui* et nihilum *subjecti*, quatenus, si materia unde res fit, jam existat, et nova tantum inducatur forma, res dicitur fieri ex nihilo *sui*, non vero ex nihilo *subjecti;* si vero ipsa materies producatur, res dicitur fieri ex nihilo *sui* et *subjecti*.

82. — Hinc 2° terminus creationis *in creatore aliquatenus continetur*.

Etenim causa eminenter habet quidquid est in effectu, alioquin in operante deesset ratio adæquata ejus operationis; ergo creator in se continet non formaliter, sed eminenter, quidquid perfectionis confert suæ actionis termino.

Proinde creatio consistit in eo quod gradus entis in creatore jam existens, et idem in ipso remanens extra illum de novo actuetur; sicque, per creationem, non essentiæ seu gradus entis, sed existentiæ tantum multiplicantur. In hoc sensu dicitur : *post creationem, non datur plus entis, sed dantur plura entia*, seu *plura habentia ens*. Nulla igitur perfectio ex creatione creatori advenire potest.

83. — Hinc 3° terminus creationis est *similitudo quædam creatoris seu entis divini*.

Etenim, ex jam dictis, creator eminenter continet quidquid perfectionis confert termino creationis; ergo hic terminus aliqualiter ad similitudinem causæ producitur. Et vero, Deus, utpote ens simpliciter et infinitum, in se exhaurit quidquid entis existere potest: ergo substantiam creatam ad increatæ substantiæ similitudinem plus minusve imperfectam produci necesse est, S. Th. 1, p., q. 45, a. 7. Vide n. 94.

84. — Hinc 4° *naturam* creationis nonnisi *imperfecte cognoscimus*.

In his enim quæ præcedunt, creationis quidem notionem exacte determinare voluimus, nequaquam vero illius *modum* seu intrinsecam quidditatem explanare; sed hic mysterium adesse quibuslibet ingenii humani investigationibus impervium, persuasum habemus.

Hoc autem mysterium potissimum oritur tum ex imperfectione ideæ, qua naturam causæ generatim apprehendimus, tum ex defectu in nobis potestatis creandi.

Et quidem *ex imperfectione ideæ, quam de natura causæ habemus*. Namque vis causandi nihil aliud est quam ens quatenus alterius entis principium, et ideo vis illa suam

in ente rationem invenire debet : porro experientia constat nos detegere non posse rationem causæ in conceptu entis ; ergo concipimus quidem quid sit *causare, quomodo* autem ad causandum ens sese determinet, prorsus ignoramus.

Sed insuper *ex defectu in nobis potestatis creandi.* Nobis enim inest vi causandi accidentia in substantia jam existente ; sed prorsus in nobis deficit vis causandi substantiam : porro facile persuasum habemus nos intelligere, quod indesinenter agimus ; ergo, quotidianum experimentum vis causandi accidentia, hanc causationem melius intelligere existimamus, quam creationem, licet, in rei veritate, prioris idea non clarior, sed tantum nobis familiarior dici debeat.

Et vero, nulla creari potest substantia sine forma, ideoque vis causandi accidentia etiam tantum modalia, est pars quædam virtutis creatricis : atqui modus creandi nobis prorsus latet; ergo et modus modificandi seu producendi accidentia.

Unde intelligitur cur tot philosophi in gravissimos errores prolapsi sint circa illud punctum tantis obscuritatibus obvolutum, tamque facile ad explicationem tradendam tentans.

85. — Hinc 5° mysterium circa creationis naturam, reperitur in *omni humana scientia.*

Etenim omnes humanæ scientiæ in ordine sive naturali, sive supernaturali, versantur circa relationes creaturarum ad invicem, aut inter Deum et creaturas : porro, ex jam dictis, illæ omnes relationes ultimum fundamentum habent in vi sive substantias, sive accidentia creandi, cujus natura humanæ rationi est investigabilis ; ergo in omni scientia humana reperitur creationis mysterium. « Qu'est-ce que l'homme dans la nature. Un néant à l'égard de l'infini, un tout à l'égard du néant, un milieu entre rien et tout : infiniment éloigné de comprendre *les extrêmes ; la fin* et *le principe* des choses sont pour lui invinciblement cachés dans un *secret impénétrable.* Que fera-t-il donc, sinon apercevoir *quelque apparence du milieu* des choses, dans un dé-

sespoir éternel de connaître ni leur principe, ni leur fin? Ce que nous avons d'être nous dérobe la connaissance des premiers principes, qui naissent du néant, et ce que nous avons du néant, nous cache la vue de l'infini. » Pascal, *Pensées*, 1e p., art. 4.

NUMERUS II

De Creationis possibilitate.

Antiqui philosophi tanquam primum principium ac per se notum habuere *ex nihilo nihil fieri;* unde concludendum videtur creationis possibilitatem naturali lumine cognosci non posse. Contrarium tamen sic asseritur :

PROPOSITIO

86. — *Possibilitas creationis ratione naturali demonstratur.* Ita communiter.

Prob. 1° *Script.* Etenim, ex dictis n. 32, Scriptura sacra docet ex hoc mundo visibili posse ostendi Deum esse, et ut *creatorem videri,* atque ejus sempiternam *virtutem conspici;* ergo a fortiori ex hoc mundo visibili et ideo lumine naturali cognosci potest creationem esse possibilem.

2° *Traditione.* SS. Patres in hoc sensu commentantur præfatos Scripturæ textus, n. 32, et eamdem sententiam tenent communiter Theologi post S. Th., qui illud supponit 1. p., q. 44, a. 1.

3° *Ratione.* Illud tanquam possibile demonstratur, quod nullo modo repugnat, et sub multiplici respectu convenit : atqui ita est de creationis conceptu.

Et quidem 1. *nullo modo repugnat,* Nam creatio, ex dictis n. 81, est transitus alicujus substantiæ a non-existentia ad existentiam per sufficientis causæ efficaciam : porro in hoc nulla apparet contradictio.

Quin etiam, claram ideam habemus entis necessarii et entis contingentis : porro ideam entis contingentis possibilitatem creationis manifeste arguit. Ens enim contingens est illud quod tam potest existere, quam non existere; ergo necesse est ut in uno ex his statibus ponatur per aliquam causam, a cujus voluntate pendeat ipsius esse aut

non-esse ; ac proinde idea entis contingentis possibilitatem creationis manifeste arguit.

2. *Sub multiplici respectu convenit.* Etenim modus agendi est proportionatus modo essendi : atqui primi entis modus essendi est cum independentia in summo gradu, n. 49 ; ergo modus agendi ad extra ipsi proprius erit independens ab omni materia præexistente.

Et vero, virtus activa quæ definitur ad agendum in subjecto præjacente, valde contracta est et limitata : porro virtus Dei non est magis limitata quam suum esse, cui proportionatur ; ergo sine subjecto præjacente Deus ad extra operari seu creare potest.

Tandem rationi consentaneum est, ut in Deo sit potentia altioris rationis, quam in omni agente creato : atqui omnia alia indigent subjecto ad agendum, seu nonnisi accidentia producunt ; ergo Deo inest potentia agendi ad extra sine materia præexistente, seu ipsas substantias producendi.

Itaque axioma *ex nihilo nihil fit*, verum est, si significet nihil fit e nihilo quasi e causa materiali ; vel si intelligatur de causis secundis creandi virtute destitutis ; vel de jam constituto visibili rerum ordine deque effectibus naturalibus, qui non solent modo a Deo ex nihilo produci, sed ex materia jam olim creata. Falsum est autem illud axioma, si per eum significetur negatio primæ creationis ab ipso Deo.

87. — *Quæritur* autem quomodo antiqui philosophi unanimiter negaverint creationis possibilitatem, quæ, ex dictis, naturali lumine cognoscitur ?

Resp. Veritas potest esse rationi pervia ad tres gradus diversos et superpositos ; siquidem, inter propositiones, aliæ intelligi, demonstrari et inveniri possunt ab humana ratione ; aliæ vero non inveniuntur, sed, semel propositæ, intelliguntur et demonstrantur ; aliæ demum nec inveniuntur, nec demonstrantur, sed, quando proponuntur, intelliguntur, eo sensu quod nullam in eis repugnantiam percipit ratio humana, v. g., in mysteriis SS. Trinitatis,

Incarnationis, præsentiæ realis, etc. Porro idea creationis non invenitur quidem ab humana ratione, ut inferri licet ex antiquorum philosophorum experientia; ubi vero per Revelationem nobis fuit proposita, eam uti possibilem intellexit et demonstravit ratio humana. Vide Tract. *de Revel.*, n. 38.

Attamen textus Scripturæ jam allati, n. 32, indicare videntur rationem humanam *ex mundo visibili* posse Deum ut *creatorem conspicère*. Unde verius dicendum est antiquos philosophos habuisse aliqualem creationis ideam, sed confusam, et, ob mysterium quo ejus natura obvolvitur, quodque omnes illi philosophi scrutari conati sunt, adeo incertam, ut fere omnes in abyssum Pantheismi aut Dualismi finaliter delapsi sint. Vide Suarez, *Metaph.*, disput. 20, sect. 1.

NUMERUS III

De existentia Creationis.

88. — Creationis existentiam negarunt philosophi antiqui, ut jam dictum est, n. 87, et etiam nunc illam rejicit Pantheistarum, Materialistarum seu Positivistarum turba, quos fere omnes complectitur secta Massonum.

Insuper, juxta Origenistas, Deus prius creavit animas et spirituales creaturas, et, occasione peccati, produxit corpora humana, quæ essent veluti ergastula et carceres, in quibus animæ et spiritus peccantes detruderentur, ut ubi punirentur, vel purgarentur. Idem error tribuitur Pythagoræ et Platoni, et eumdem aliquatenus renovant hodierni Spiritæ; vide Tract. *de Angelis*, n. 137.

Porro de Spirituum seu Angelorum creatione dicemus in Tract. *de Angelis*, n. 9. Hic agendum est tantum de creatione mundi visibilis seu corporum et animarum humanarum.

PROPOSITIO

89. — *Deus per veram et propriam creationem hunc mundum visibilem creavit*. De fide est.

Prob. 1° *Script.* Dicitur enim : « In principio Deus *crea-*

vit cœlum et *terram ;* » Gen. 1, v. 1. — « Qui vivit in æternum, *creavit omnia simul ;* » Eccl. 18, v 1. — « Ipse dixit, et facta sunt ; ipse mandavit et *creata* sunt ; » Ps. 32, ℣ 9. — « Peto, nate, ut aspicias ad cœlum et terram, et ad omnia quæ in eis sunt, et intelligas quia *ex nihilo fecit illa* Deus et *hominum genus ;* » II Mach. 7, ℣ 28. Ergo, creando omnia simul, virtute solius imperii sui, et ex nihilo faciendo per veram et propriam creationem omnia Deus condidit. Vide Prov. 8, ℣ 22 ; Joan. 1, ℣ 3 ; Rom. 4, ℣ 17 ; Coloss. 1, ℣ 16 ; Hebr. 1, ℣ 3 ; 11, ℣ 3 ; Apoc. 4, ℣ 11.

2° *Traditione.* « Quando nondum producta *creari* dicuntur, necessario *de nihilo ad esse* procedere intelliguntur ; » S. Cyrill. Alex., *Thesaur.* lib. 5, c. 5. — « *Ex nihilo ac prorsus unquam exstantibus* Deum Patrem per verbum suum rerum universitatem fecisse agnoscit, cum ad istum modum loquitur : *In principio creavit,* etc. » S. Athan., *de Incarn.* c. 1.

Hoc sic definivit Conc. Later. IV : « Deus est unum universorum principium, *visibilium* et *invisibilium*, qui *ab initio temporis utramque simul de nihilo* condidit creaturam *spiritualem* et *corporalem*, angelicam scilicet et mundanam, et deinde *humanam* quasi communem ex spiritu et corpore constitutam. » Idem confitemur in Symbolis, atque iterum sic definitum est a Conc. Vaticano, n. 6 ; « Si quis non confiteatur, mundum, resque omnes, quæ in eo continentur, et *spirituales* et *materiales*, secundum *totam suam substantiam* a Deo *ex nihilo esse productas :* anathema sit. » S. Th, *Cont. Gent.*, lib. 2, c. 16.

3° *Ratione.* Ex dictis, n. 18, nec mens humana, nec materia, nec unio inter mentem humanam et corpus, qua hoc vivificatur, necessario per se existunt, cum nullo modo repugnet illa tria esse in statu possibilitatis tantum ; ergo vi creatrici condita fuere. Aliunde unum tantum esse potest ens necessarium, quod est ens simpliciter et infinitum ; ergo cætera entia sunt creata[1].

1. « Les manifestations *vitales* restent directement sous l'influence des conditions physico-chimiques. Ces conditions ne sauraient grouper, harmoniser les phénomènes dans l'ordre de la succession qu'ils affectent, spécialement dans les êtres

90. — Hinc 1° *Deus per se ex primaria intentione* mundum *visibilem* creavit, animamque humanam *cum corpore univit*, non autem in pœnam spirituum, qui peccaverunt. De fide est.

Patet ex jam dictis. Et revera, 1, juxta Scripturam, « Deus in principio creavit *cœlum* et *terram*, et vidit cuncta quæ fecerat, et erant *valde bona*; » ergo non in punitionem peccati, sed ad rectum ordinem totius orbis, et ad suam gloriam Deus creavit naturam sive spiritualem, sive mundanam, sive humanam.

2. Similiter, ex Conc. Later, IV, et Vaticano, Deus utramque *simul* condidit creaturam spiritualem et corporalem; ergo spiritus ante corpora non exstiterunt, nec ideo corpora creata sunt in pœnam spirituum, qui peccaverunt. Aliunde hic error expresse damnatus est a S. Leone I, *in Epist.* 91, et a Conc. general. VI et VII.

3. Denique creatura corporalis per se bona est, atque Dei bonitatem, sapientiam ac potentiam manifestat; ergo per se ac primario propter hunc finem facta est.

Insuper homo, ut anima et corpore constans, per se creatus est propter gloriam Dei, tum quia ex intentione Dei factus est ut semper viveret et nunquam moreretur; tum etiam quia, licet propter peccatum moriatur, postea in æternum cum anima et corpore victurus resurget; ergo corpus hominis non fuit creatum in pœnam animæ peccatricis.

91. — Hinc 2° Deus *solus* fuit primum et proximum

vivants. Ce groupement, cette harmonie, cette succession ordonnée de phénomènes vitaux, l'unité qui les relie, le but final vers lequel ils tendent, tout cela traduit *une cause propre et directrice... La vie, c'est la création*...; de sorte que ce qui caractérise la machine *vivante*, ce n'est pas la nature de ses propriétés physico-chimiques, si complexes qu'elles soient, mais bien la *création de cette machine*, qui se développe sous nos yeux, dans des conditions qui lui sont propres, et d'*après une idée définie*, qui exprime la nature de l'être vivant et l'*essence même de la vie*... Ce qui est *essentiellement du domaine de la vie*, et n'appartient ni à la physique, ni à la chimie, ni à rien autre chose, c'est l'*idée directrice de cette force vitale*. Dans tout germe *vivant, il y a une idée créatrice*, qui se développe et se manifeste par la création. » Claude Bernard; vide *le Correspondant*, 25 avril 1880, p. 267.

principium creans naturam sive materialem, sive spiritualem. Certum est, aut etiam de fide, juxta plures.

Namque Scriptura soli Deo tribuit cœli et terræ creationem : « Ego sum Dominus faciens omnia, extendens *cœlos solus, stabiliens terram;* » Isa. 44, ỳ 24, 25; Gen. 1, ỳ 1; Ps. 8, ỳ 4; 145, ỳ 6; 148, ỳ 5; Hebr. 3, ỳ 4.

Idem profitemur in symbolis, et declaratum est in decretis jam allatis Conc. Lateran. IV et Vaticani, n. 89. Ita etiam SS. Patres, qui exinde probant Verbum esse Deum verum, quia est omnium creator.

Et vero, præter Deum, de facto nulla fuit alia causa creationis sive principalis, sive instrumentalis. Non *principalis* quidem. Proxima enim virtus creandi per modum causæ principalis, capacitatem creaturæ excedit, et ad omnipotentiam Dei pertinet, ex Scriptura : *Unus* est *altissimus Creator omnipotens;* Eccli. 1, ỳ 8. — Ecce tu fecisti cœlum et terram in *fortitudine tua magna,* et in *brachio tuo extento;* » Jerem. 32, ỳ 17. Porro hæc verba infinitam Dei potentiam significant, et ad creandum necessariam esse indicant; ergo, etc.

Nec *instrumentalis*. Scriptura enim et SS. Patres soli Deo illam actionem tribuunt, et absolute aliam causam excludunt.

Cæterum, Deus hoc instrumento non indiget, ut patet; nullaque creatura habet ex sua natura quod sit tale instrumentum, ut statim dicetur; et ideo ad hoc non elevari potest nisi supernaturaliter : atqui, in rerum creatione, Deus modo naturis consentaneo et sine specialibus miraculis operatus est; ergo soli Deo de facto creatio tribuenda est.

92. — *Quæritur* autem 1° utrum potestas creandi alicui enti contingenti communicari *possit?*

Resp. Veteres quidam Theologi asseruerunt entibus creatis competere posse, Deo sic volente, potestatem nova entia e nihilo educendi per creationem. Hoc autem communiter rejicitur.

Nam 1° in Scriptura creata universitas rerum exhibetur

ut argumentum omnipotentiæ, gloriæ perfectionisque Dei, speculum divinorum; Is. 37, ỷ 16; 44, ỷ 24; 48, ỷ 12; 45, ỷ 5, 12; Jerem., 10, ỷ 10; Ps., 104, ỷ 24 : atqui hujusmodi prærogativa mundo non adeo competeret, si pariter esse posset causæ finitæ opus; ergo, etc.

2° Hoc etiam negant SS. Patres. « *Creare naturam*, tam nullus Angelus potest, quam seipsum; » S. August., *Genes.*, lib. 9, c. 15, n. 28. — « Nec vel Angeli possunt creare, cum ipsi sint creati, licet ita senserint Valentinus, Marcion, et Basilides; » S. Athan. Orat. 2 contra Arian., n. 21. — « Quotquot autem sunt, qui substantiam ullam, quæcumque tandem illa sit, ab Angelis creatam esse contendunt, horum ore diabolus loquitur. *Cum enim creaturæ sint, rerum minime conditores* sunt; » S. Damascen., *de Fide orth.*, lib. 2, c. 3.

Idem rejiciunt Theologi contra unum fere Durandum, ut ait Valentia, *Comment.*, disput. 3, q. 2. Attamen Ripalda, *de Ente supern.*, disp, 7, sect. 1, n. 10, ait : « Non repugnare creaturam creantem, probabilissimum esse proponemus opere metaphysico, tract. de creatione » (quod tamen non prodiit).

3° *Ratione* confirmatur. Vel enim agitur de potestate creandi independenter a quolibet auxilio divino, vel de potestate tantum instrumentali, quæ, scilicet, se exerit Deo auxiliante et concurrente : atqui neutra competere potest creaturis.

Non *prior* quidem. Nam creatura ex seipsa nihil habet; nec quidquam positive agere potest absque Dei auxilio, ut dicitur, n. 105; et revera independentia in agendo, et a fortiori in creando, summam perfectionem constituit, n. 49; ergo independenter a divino auxilio creatura ereare nequit.

Nec *posterior*. Nam 1. creatura non est causa instrumentalis, nisi inquantum exequitur actionem agentis principalis per aliquam actionem propriam et connaturalem : porro hac actione propria ad creationem caret creatura, cum, ex hypothesi, ad creandum indigeat auxilio divino, cui igitur productio termini creationis tribui debet.

2. Creatio importat transitum a non esse ad esse : porro

inter non esse et esse infinita adest distantia improportionis seu negativa, eo sensu, scilicet, quod nihilum quantumvis multiplicetur, ut ita dicam, nunquam ad esse positivum poterit attingere; ergo hujusmodi distantia nonnisi potentia actu infinita seu a solo Deo superari potest. S. Th., *Cont. Gent.*, lib. 2, c. 21.

3. Demum de facto nulla existit creatura cum potestate quacunque creatrici; ergo nulla esse potest creatura illius facultatis capax. Pertinuisset enim ad perfectionem universi et ad honorem Christi, ut saltem Christi anima tali facultate potiretur, si fieri posset.

Juxta Suarez, *Metaph.*, disput. 20, sect. 2, conclusio, de qua agitur, vera est atque certa; sed difficillime confirmatur per cogentem demonstrationem, ut infertur, eo quod auctores, qui in illam conclusionem consentiunt, in ratione reddenda valde dissentiant, et singulas aliorum rationes impugnent.

93. — *Quæritur* 2° an mundus *creari possit ab æterno?*

Resp. Controvertitur inter Theologos. Alii docuerunt mundum non posse esse nisi æternum, eo quod Creatori defuerit potentia ut illum temporaneum produceret; siquidem actio Dei creantis est æterna, ac proinde effectus actionis creatricis debet esse æternus, alioquin actio hæc suo effectu aliquandiu careret, quod est absurdum.

Alii vero sentiunt ad fidem catholicam attinere mundum de facto esse temporaneum initiumque habuisse, eo quod talis fuit Dei creantis suprema voluntas; at simul contendunt solius rationis ope demonstrari non posse repugnantiam in eo, quod mundus sit creatus ab æterno. Ita S. Th. 1 p., q. 46, a. 2; Suarez, *Metaph.*, disput. 20, sect. 6.

Alii tandem docent solius rationis ope demonstrari posse æternitatem mundi omnibus modis repugnare.

Jam vero hujusmodi controversia videtur esse tantum de nomine. Etenim triplicis opinionis modo expositæ defensores unanimiter admittere debent mundum fuisse a Deo libere creatum, a non-ente ad ens, a potentia ad actum transiise, ideoque initium existendi *absolutum* ipsi essen-

tialiter competere, alioquin omnino tolleretur creatio.

Unde controversia versari potest tantum circa initium *relativum*, utrum scilicet, mundus a Deo fuerit creatus ante omnem successionem, vel non; id est, an, per creationem, esse communicetur post non-esse, ita ut *reali successione* seu duratione esse sequatur post non-esse; Suarez, *ibid.*; prout enim in alterutro ex his sensibus quæstio intelligitur, æque dici potest vel cum initio, vel sine initio, vel in tempore, vel ab æterno mundum a Deo fuisse creatum. Porro, nisi propugnetur doctrina contradictoria temporis increati et extra mundum existentis, nulla duratione esse sequitur post non-esse; ergo mundus æternus dici nequit, sed ab æterno creatus, ita ut nihil nisi æternitas Dei illum præcedat.

94. — *Quæritur* 3° in quonam consistat Creatoris similitudo, quæ inest omnibus entibus creatis, n. 83?

Resp. Duplici modo effectus causam suam repræsentare potest, nimirum, per modum *imaginis*, aut *vestigii* : si prius, effectus repræsentat causam quantum ad similitudinem *formæ* ejus, sicut ignis productus ignem producentem, statua principis principem.

Si posterius, effectus repræsentat solum *causalitatem* causæ, non autem formam ejus, sicut fumus repræsentat ignem; vestigium enim demonstrat motum alicujus transeuntis, sed non *qualis* sit. Porro creaturæ rationales Deum repræsentant per modum imaginis, omnes vero aliæ creaturæ per modum vestigii.

Etenim 1° Deus est ens infinite intelligens et amans; in hoc reponitur ejus essentia seu forma, n. 43, 46, 48 : atqui essentia seu forma creaturæ rationalis, est esse intelligens et amans, non quidem infinite, sed in gradu plus minusve altiori; ergo in creatura rationali invenitur Dei quædam imago, juxta illud : « Faciamus hominem ad *imaginem* nostram; » Genes. 1, ℣ 26.

Et vero, Deus, ut seipsum cognoscens, est Pater; ut a se cognitum seu idea suiipsius, est Verbum; ut a se amatus seu amor suiipsius, est Spiritus Sanctus : in hac trinitate

personarum perficitur essentia, forma et vita Dei, ex dicendis in Tract. *de SS. Trinit.* : porro ens rationale, ut seipsum cognoscens, est imago Patris; ut a se cognitum, est imago Verbi; ut a se amatum seu rectus suiipsius amor, est imago Spiritus Sancti; ergo creatura rationalis repræsentat Deum per modum *imaginis*.

2° Præterea in Deo distinguuntur *esse*, quod ab alio non oritur, et quod est omnium Dei operationum primum principium; *forma* seu idea sui entis et omnium rerum; *ordo* quo ens divinum ad seipsum ordinatur, et quo omnia ad Deum ordinari debent : porro in qualibet creatura adest *esse* a causa creante productum, *forma* ex conceptione seu idea creantis derivata, *ordo* ad aliquid aliud a voluntate creantis constitutus; ergo in qualibet creatura tria sunt quæ necesse est reducere in Deum sicut in causam, ideoque omnis creatura repræsentat Dei causalitatem seu Deum per modum vestigii.

Et vero, Deus, ut primum principium de non principio, est Pater; ut forma seu idea suiipsius et omnium rerum, est Verbum; ut ordo suiipsius et omnium rerum ad seipsum, est Spiritus Sanctus : porro omnis creatura, ut substantia a primo principio creata, repræsentat causalitatem Patris; ut vero forma derivata seu applicatio ideæ divinæ, repræsentat causalitatem Verbi; ut demum ordinata ad aliud et finaliter ad Deum, repræsentat causalitatem Spiritus Sancti; ergo creatura quælibet repræsentat Deum per modum *vestigii*.

Unde S. August. *de Trinit.*, lib. 6, c. 10, ait : « *Vestigium Trinitatis* invenitur in *unaquaque creatura* secundum quod *unum aliquid est*, et secundum quod *aliqua specie formatur*, et secundum quod *quemdam ordinem tenet.* »

Ad hæc tria reducuntur verba : *mensura, numerus, pondus*. Sap. 11, v. 21. Nam mensura refertur ad substantiam rei limitatam suis principiis, numerus ad speciem, pondus ad ordinem. Eodem sensu intelligenda sunt verba S. August. *de Natura boni*, c. 3; lib. *de divers. quæst.*, q. 18 : *modus, species, ordo; quo constat, quo discernitur, quo congruit.* Constat enim aliquid per suam substantiam, discernitur

per formam, congruit per ordinem. S. Th. 1 p., q. 45, a. 7.

§ II

De rerum Conservationis necessitate et natura.

NUMERUS PRIMUS

De Conservationis necessitate.

95. — *Quæritur* quid sit conservatio, de qua hic agitur, et quænam ejus necessitas?

Resp. Conservatio, de qua hic agitur, est *operatio* seu *influxus*, quo Deus res semel creatas *in earum esse continuat et sustinet.*

P. Gassendi contendit substantiam semel creatam, in suo esse perseverare, donec positivo Dei decreto annihiletur, sicque Deus creaturas non conservat, nisi quatenus ab illis destruendis abstinet : quæ conservatio vocatur *negativa* seu indirecta. At omnes Theologi, ut ait Suarez, *Metaph.* t. 1, disp. 20, sect. 21, n. 3, docent influxu Dei positivo et perpetuo creaturas indigere, ut in sua perseverent existentia ; ita etiam Cartesius, Bossuet, Malebranchius, Fénelon, etc. ; cum quibus sit

PROPOSITIO

96. — *Creatura in existentia semel accepta sine influxu Dei positivo et perpetuo perseverare nequit.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* Etenim dicitur : « Omnibus mobilibus mobilior est sapientia ; attingit autem *ubique;*... attingit a fine usque ad finem *fortiter*, et *disponit omnia* suaviter ; » Sap. 7, v. 24 ; 8, v. 1. — « Pater meus *usque modo operatur*, » Joan. 5, v. 17. — *Omnia in ipso constant :* Coloss. 1, v. 17. — « *Portans omnia verbo virtutis suæ;* » Hebr. 1, v. 3. — *In ipso vivimus, et movemur et sumus;* Act. 17, v. 28. Porro hæc et similia Scripturæ verba non ex omni parte verificantur, nisi rerum conservatio in divina virtute perpetuo nitatur.

2° *Traditione.* S. August., *super Genes.*, lib. 4, c. 12, tractans verba illa : *Et requievit Deus die septimo ab uni-*

verso opere, quod patraverat, ait, « hæc intelligenda esse de requie a *novis* operibus *ex nihilo* condendis, non vero a conditis gubernandis et conservandis. Creatoris namque omnipotentis atque omnitenentis *virtus causa est subsistendi omni creaturæ;* quæ virtus ab eis, quæ creata sunt, *regendis si aliquando cessaret, simul et illorum cessaret species, omnisque natura concideret.* Neque enim, sicut structor ædium, quum fabricaverit, abscedit, atque, illo cessante et abscedente, stat opus ejus; ita mundus vel ictu oculi stare non poterit, si ei Deus regimen sui subtraxerit. »

« Cuncta ex nihilo facta sunt, eorumque essentia ad nihilum tenderet, nisi eam auctor omnium regiminis *manu teneret.* » S. Gregor., *Moral.* 16, c. 18.

« Dubium nonnisi irrationabili menti esse potest, quod cuncta quæ facta sunt, *eodem ipso sustinente* vigent et *perseverant esse* quandiu sunt, quo faciente habent esse quod sunt. » S. Anselm., *Monolog.*, c. 12.

Gentiles ipsi Deum vocant, « *mentem conservatricem* rerum omnium, in qua *omnia vivunt* atque *subsistunt* : » Trimegistus *in Asclepio* : vel *causam causarum custodientem* et *regentem omnia;* Seneca, *de Consolat.*

Idem declarat Conc. Vaticanum, n. 1, his verbis : « *Universa* quæ condidit, Deus providentia sua *tuetur* atque *gubernat,* attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter. »

3° *Ratione.* 1. Perseverantia creaturæ in existentia vel est effectus divini influxus, vel ab essentia creaturarum exigitur, vel est consectarium existentiæ semel acceptæ : atqui duo posteriora dici non possunt. Non *prius* quidem; nam essentia creaturarum non magis utique valet ad perseverandum in existentia, quam ad illam prima vice recipiendam. Aliunde nihil est necessarium in contingentibus.

Nec *posterius.* Varia enim instantia existentiæ creaturarum separari possunt; ergo nullam inter se necessariam connexionem habent; ac proinde perseverantia in existentia, non est existentiæ semel acceptæ consectarium.

2. Omnis effectus pendet a sua causa, secundum quod

est causa ejus : atqui esse creaturarum est effectus divini influxus; ergo et perseverantia in hoc esse, alioquin perseverantia esset effectus sine causa. S. Th. 1 p., q. 8, a. 1; q. 104, a. 1.

97. — Hinc 1° Deus *quam maxime intime est præsens omnibus rebus.*

Etenim omne agens conjungitur ei in quod immediate agit : porro, ex dictis, Deus per proprium influxum non solum ens causat in omnibus rebus, sed ipsum ens continuat et sustinet; ergo Deus præsens est omnibus rebus.

Esse autem est illud, quod est magis intimum cuilibet, et quod profundius omnibus inest; ergo Deus omnibus rebus quam maxime intime est præsens.

Unde in ipsis dæmonibus præsens est intime Deus, in quantum sunt res quædam seu retinent naturam et existentiam, quæ a Deo est, et semper in se bona; non autem in quantum sunt dæmones seu ut inficiuntur deformitate culpæ, quæ non est quid entis, sed *defectus* conformitatis legi divinæ, S. Th. 1 p., q. 8, a. 1; n. 107.

Dicuntur tamen *res distare* a Deo per dissimilitudinem naturæ et gratiæ, sicut et ipse est super omnia per excellentiam suæ naturæ. « Deus est interior et exterior, inferior et superior; regendo superior, portando inferior; replendo interior, circumdando exterior; sic circumdat ut penetret; ita præsidet, ut portet; sicque est intus ut portet, ita portat ut præsideat. » S. Gregor. Magnus, *in Ezech.* Homil. 16.

98. — Hinc 2° *annihilatio* creaturarum non est proprie operatio ex parte Dei, sed *operationis cessatio.*

Nam, ex dictis, creaturæ non conservantur in esse, nisi per continuum Dei influxum; ergo, cessante Dei influxu seu operatione, in nihilum recidunt contingentia.

Et vero, non concipitur operatio sine termino : atqui nihilum non est alicujus operationis terminus; ergo annihilatio non est proprie operatio, seu non fit per actum positivum, sed per cessationem actus conservatoris.

99. — *Obj.* Opera ab humanis artificibus semel fabricata, non jam auxilio externo indigent, ut in existentia perseverent; ergo a fortiori nec opera Dei.

Conc. Nego conseq, et paritatem. Etenim artifices humani, dum opera perficiunt, nec eorum materiam, nec leges quibus illa materia regitur, producunt; sed tantum materiæ partes in eo statu constituunt, in quo, vi legum naturalium, aliquos effectus permanenter efficere debent; ergo perseverantia hujusmodi operum tribuenda est soli Deo, qui solus posuit et conservat leges, quarum virtute existunt.

Quando autem Deus creat, omnia per omnipotentiam suam producit, nec ulla res nisi per ipsum existere potest; ergo necesse est ut vim creatricem exerceat, non solum primo instanti, sed per totam rerum creatarum durationem.

NUMERUS II

De Conservationis natura.

100. — Qui directæ et positivæ conservationis necessitatem admittunt, non omnino inter se consentiunt in illius natura determinanda. Alii, nempe, conservationem habent tanquam operationem a creatione distinctam. Actio enim qua rei confertur esse, est subita et indivisibilis, et ideo statim præterit, eique succedit actio permanens, qua res conservatur in esse.

Alii e contra dicunt conservationem rei non esse nisi continuationem esse ipsius; ac proinde influxum quo conservatur, esse continuationem operationis qua creatur. Ita S. Th. *Cont. Gent.* lib. 3, c. 65; Fénelon, *Traité de l'exist. de Dieu*, 2ª p. Quæ controversia sic solvenda videtur.

PROPOSITIO

101. — *Conservatio a creatione quoad essentiam non discrepat.*

Etenim 1, objectum creationis est prima vice constituere substantiam in actu: porro, vi conservationis, eadem substantia in actu sustinetur et permanet; ergo utriusque operationis idem est objectum.

2. Creatio connotat privationem esse prius habiti; conservatio autem e contrario connotat possessionem esse prius

habiti : res enim non dicitur conservari in primo instanti quo creatur, nec creari post primum instans reliquo tempore, quo conservatur; ergo in hoc adest discrimen rationis tantum inter illa duo.

3. Creatio est operatio respiciens substantiam in primo ex suis instantibus constitutam ; conservatio autem est eadem operatio quatenus respiciens eamdem substantiam in singulis instantibus, qui primo succedunt; ergo, quoad essentiam, conservatio a creatione non discrepat.

102. — Hinc 1° conservatio non in eo consistit quod, singulis instantibus, substantiæ creatæ e nihilo ad existentiam perducantur, ita ut creaturarum duratio conflaretur creationibus et annihilationibus alterna vice sibi succedentibus. Tunc enim non una foret, sed multiplex cujuslibet creaturæ existentia, sicque identitate substantiali careret, quæ tamen substantiis creatis certo competit.

103. — Hinc 2° conservatio *fit immediate a solo Deo.* Namque conservatio rei quoad essentiam non discrepat a rei creatione : atqui creatio soli Deo competit et competere potest, n. 91, 92; ergo et rerum conservatio.

§ III

De divini Concursus necessitate, et natura.

NUMERUS PRIMUS

De divini Concursus necessitate.

104. — *Quæritur* quid et quotuplex sit divinus concursus?

Resp. 1. Per concursum divinum intelligitur *actus*, quo Deus *facultatis agendi creaturis concessæ adjuvat exercitium.*

2. Duplex distingui potest divinus concursus, nempe *mediatus* et *immediatus.* Prior est operatio, qua Deus confert jugiterque conservat agendi facultatem in creaturis : posterior vero est influxus seu auxilium, quo Deus facultatem semel constitutam adjuvat, ut in actum prorumpat.

Nunc vero concursus *mediatus* nihil aliud est quam influxus creationis et conservationis : agendi enim facultas ad ipsum ens seu essentiam agentis pertinet, ideoque creatur et conservatur simul ac illa esssentia; ergo de *immediato* concursu ad actum hic agitur.

Negarunt plures antiqui hujusmodi concursum, hancque negationem propugnarunt quidam Theologi scholastici, inter quos Durandus, Meldensis Episcopus, XIV seculo, qui asseruit creaturis, ut agant, sufficere potestatem expeditam agendi vel non agendi, iis ab initio concessam, et in decursu earum existentiæ conservatam. Contra vero sit

PROPOSITIO

105. — *Divinus concursus immediatus est necessarius ad quemcunque actum a creaturis peragendum*. Certum est.

Prob. 1° *Scripturæ* iisdem textibus jam allatis, n. 96, qui totam vim suam ad præsentem thesim retinent. Sed insuper dicitur : *Domine, omnia opera nostra operatus es nobis;* Isa. 26, ℣ 12. — « *Sine me, nihil potestis facere;* » Joan, 15, ℣ 5. — « Deus est, qui *operatur* in vobis et *velle* et *perficere*, pro bona voluntate ; » Philip. 2, ℣ 13. Hac ratione frequenter in Scriptura naturæ effectus operationi divinæ tribuuntur, « quia Deus ipse est, qui operatur in omni operante per naturam, vel per voluntatem. » S. Th. *Cont. Gent*. lib. 3, c. 67.

3° *Traditione*. SS. Patres ubicunque tractent de divina Providentia, hanc veritatem ut certissimam supponunt. Quorum pauca referre sufficiat. « Sunt qui arbitrantur tantummodo mundum ipsum factum a Deo, cætera jam fieri ab ipso mundo, sicut ille ordinavit ac jussit, Deum autem ipsum nihil operari. Contra quos profertur sententia Domini : *Pater meus usque modo operatur*. » S. August. *in Genes*., 5. — « Omnia quæ creata sunt, nec per se subsistere prævalent, nec *moveri*, sed in tantum subsistunt, in quantum ut esse debeant, acceperunt ; in tantum *moventur*, in quantum *occulto instinctu disponuntur*. » S. Greg. Magn. *Moral*, 16, c. 18.

Idem communi sensu propugnant Scholastici. « Ad *cog-*

nitionem cujuscunque veri, homo indiget *auxilio divino*, ut intellectus a Deo *moveatur* ad suum *actum*... Secundum utrumque statum (naturæ sive integræ, sive lapsæ) natura humana indiget auxilio ad *faciendum* vel *volendum quodcunque bonum*, sicut primo movente. » S. Th. 1. 2, q. 109, a. 1, 2; 1 p., q. 105, a. 5. — Tandem Conc. Vaticanum, n. 1, dicit : « Universa quæ condidit, Deus providentia sua *tuetur* atque *gubernat*. »

3° *Ratione*. 1. Ex dictis, n. 96, per influxum Dei positivum conservatur entium substantia in singulis modis, sive activis, sive passivis, quos successive induit; ergo modos hujusmodi respicit ille influxus, alioquin per influxum divinum conservaretur substantia sine modo seu mere abstracta.

2. Facultas in actu plus dicit entis, quam facultas in potentia : atqui ens seu positivum, quod ipsum actum constituit, non erat in facultate seu in agente creato, antequam iste agens in actum erumperet, alioquin nunquam fuisset in potentia quoad illum actum ; ergo non ab agente creato, sed ab auxilio Dei, qui est omnis entis principium, provenit ens illud, quod agentis contingentis actum constituit. Vide Bossuet, *Traité du libre arbitre*,, c. 8.

3. Deus supremum habet dominium in creaturas ; porro hoc dominium stare nequit sine immediato concursu in creaturarum actus. Vel enim illud dominium exercet Deus, ipse omnes creaturarum actus operando vel facultatem tantum illos efficiendi conferendo, vel ad illorum productionem concurrendo : atqui duo priora rejicienda sunt.

Primum quidem. Tunc enim omnis activitas, proindeque libertas creaturarum penitus destrueretur. *Secundum* quoque ; nam simplex facultas per se non magis ad unum actum tendit, quam ad alium ; ergo non sufficit ut voluntates creatas ad suos fines Deus inflectere possit ; et ideo, ad supremum Dei dominium, requiritur immediatus concursus in omnes creaturarum actus.

Et vero nihil in creaturis melius est, quam earum actus, siquidem ad actum entia creata sunt et conservantur ; ergo, si Deus immediate non concurrat ad actus creatura-

rum, melior pars divinæ operationi et dominio Dei subtrahitur : hoc autem repugnat; ergo, etc.

106. — Hinc Deus est quam maxime *intime præsens* omnibus creaturarum *actibus*.

Namque ad hos actus ita intime ipse concurrit, ut sine ejus concursu nullo modo fierent, imo ut totum ens actus constituvum a Deo oriatur, et simul totus actus sit creaturæ. Quare dictum est : « *Cælum et terram ego impleo ;* » Jerem, 23, v. 24. — « Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es ; si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris : etenim illuc *manus tua deducet me*, et *tenebit me dextera tua*, etc. » Ps. 138, v. 7-10.

107. — *Quæritur* an Deus *ullo modo concurrat ad peccatum?*

Resp. Negative. Etenim peccatum definitur : *actus voluntarius debito ordine privatus;* seu *voluntarius defectus conformitatis legi divinæ;* S. Th. 1. 2, q. 71, a. 6 ; q. 72, a. 1, ad 2 [1]. Actus igitur peccaminosus duplici elemento quasi constituitur, scilicet, *positivo* seu liberi arbitrii exercitio, in quo reponitur actus humani substantia, et quasi materiale in peccato ; *negativo* autem, seu privatione debiti ordinis in illo liberi arbitrii exercitio, in qua consistit ratio peccati, seu quasi formale in peccato : « Manifestum est quod *peccatum est nihilum*, et homines dum peccant, *fiunt nihilum*. » S. August. *in Joan*. Tract. 1.

Porro substantia actus humani seu liberi arbitrii exercitium, ut quid positivum, est semper bonum, et ideo terminus divini concursus ; privatio autem debiti ordinis in illo exercitio seu peccatum, ut quid negativum, esse nequit

1. « *Malum* non est existens, neque bonum, sed *quædam absentia boni.* » S. Th. 1 p., q. 48, a. 1. — « Omnis actio, in quantum habet aliquid de esse, in tantum habet de bonitate. In quantum vero *deficit* ei aliquid *de plenitudine essendi, quæ debetur actioni humanæ*, in tantum deficit a bonitate, et sic dicitur *mala;* 1. 2. q. 18, a. 1.

divini auxilii terminus; ergo Deus nullo modo ad peccatum concurrit; n. 149.

Et vero, peccatum est privatio quædam in actu humano seu nihilum; atqui « hoc habet creatura ex seipsa *tendere in nihilum*, quia est *de nihilo;* » S. Th. 1 p., q. 104, a. 3: « Creatura intellectualis est mutabilis seu peccabilis, eo ipso quod de nihilo facta sit; » S. August. *de Civit.*, lib. 12, c. 1, 6; ergo peccatum est consectarium imperfectionis creaturæ. Vide Tract. *de Angelis*, n. 29; Bossuet, *Traité du libre arbitre*, c. 11.

NUMERUS II

De natura divini Concursus.

108. — Quæstio expendi potest de concursu ad actus sine libertate productos, vel cum libertate: porro difficultas concipiendi naturam divini concursus ad actus sine libero arbitrio productos, non distinguitur a mysterio creationis et conservationis. Nam ille concursus nihil aliud est quam necessitas naturalis inhærens rebus irrationalibus, seu *impressio quædam Dei illas dirigentis in finem;* S. Th. 1 p., q. 103, a. 1, ad 2. Ergo de natura divini concursus ad actus liberos præcipue hic agitur.

Solvenda autem difficultas consistit, in eo quod totum positivum actus liberi tribuendum sit divino auxilio simul et creaturæ, quin tollatur liberum arbitrium, aut divinus concursus.

Ad utrumque conciliandum, in plures abeunt auctores sententias, quæ ad systemata Molinistarum et Thomistarum reduci possunt; et in utroque systemate quatuor expenduntur, scilicet, divini concursus *initium*, *modus* quo influit in voluntatem, *determinatio*, *efficacia*.

109. — I. *Systema Molinistarum.* In hoc systemate 1° divinus concursus non est *prævius*, sed *simultaneus* tantum. Scilicet, omnes causæ secundæ sunt proprie loquendo activæ; Deus proinde non in ipsam voluntatis facultatem influit, nec eam movet, determinat et ad agendum applicat, cum et ipsa sit proprie activa; sed Deus influit solum-

modo in voluntatis humanæ actum, ita ut, quando volendi facultas actum suum elicit, concomitanter animæ præsens est Deus, qui actum illum *simul cum ea* producit, quemadmodum duo equi ad trahendam rhedam ita concurrunt, ut neuter in alterum influat, sed ambo conjunctim rem exsequantur. Talis concursus dicitur *simultaneus*.

2° Divinus concursus influit in voluntatem *moraliter* tantum ; eo sensu quod Deus non concurrit cum voluntatibus creatis, nisi ipsis præbendo *motiva*, quibus voluntas affecta, in actum *propria virtute* erumpit.

Hæc motiva alii reponunt in impressionibus, quas circumstantiæ exteriores producunt in animam ; alii præterea requirunt specialem et mere internam intellectus illustrationem ; alii demum hoc speciale auxilium non pro intellectu tantum, sed et pro voluntate exigunt.

3° Ille concursus moralis est in se *vagus* et *indeterminatus*, nec ad talem potius quam ad talem actum ex natura sua impellit, sed a Deo offertur, ut creaturæ ad quamlibet actionem, sive honestam, sive turpem, utantur : sic calor solis de se indifferens est ad procreandum animal aut plantam, nec ad effectus particulares producendos determinatur, nisi per corpora terrestria, quibus fecunditatem tanquam causa universalis impertit ; unde fit ut nec libertas humana divino concursu lædatur, nec Deus auctor peccati haberi possit.

4° Ideo illud auxilium non est ex natura seu ab intrinseco *efficax*, sed *ab extrinseco*, seu ob suam voluntati creatæ convenientiam. Videlicet, Deus, cum voluntatis creatæ intimam naturam cognoscat, scit, v. g., quod, si ei det auxilium B, illa voluntas huic auxilio obtemperabit, non vero si ei det auxilium C. Quo posito, decretum condit de auxilio C conferendo ; sicque Deus et quod vult a voluntate creata obtinet, et hujus futuram determinationem certo prænoscit.

Jam vero, illud sytema, quod libertati creaturarum magis favet, quodque ideo multis arridet, impugnatur a Thomistis uti de facto destruens realitatem divini concursus.

Etenim, ex jam expositis, 1°. ante ipsius auxilii simul-

tanei actionem, admittendus est aliqualis voluntatis actus; ergo hic actus divino auxilio subtrahitur.

2. Concursus moralis in ipsam entitatem actus non immediate influit; ergo hæc entitas actus divino auxilio subtrahitur.

3. Ut concursu vago et indeterminato voluntas utatur, necesse est quod antea aliquem actum producat; ergo hic actus divino concursui subtrahitur.

4. Denique ille concursus vagus et indeterminatus non est efficax natura sua, sed quia voluntas ei reipsa consentit; ergo iste consensus divino concursui subtrahitur.

110. — II. *Systema Thomistarum.* 1° Divinus concursus semper est *prævius*, id est, antequam voluntas ullo modo egerit, ideoque divinum auxilium mereri aut postulare potuerit, a divino concursu ad talem vel talem actum determinatur.

2° Ille concursus in voluntatem influit per modum *causæ efficientis*. Scilicet, Deus independenter quidem a voluntate nostra actus nostros non perficit, qui tunc immerito *nostri* dicerentur; sed, per suum concursum, *nos constituit* talem vel talem actum per voluntatem nostram libere agentes, seu *facit nos illos actus facientes* et quidem *libere;* ergo physica entitas actus liberi tota nobis ut libere agentibus tribuenda est, ac simul tota ipsi Deo, ut nos libere agentes constituenti. In hoc consistit *præmotio physica* Thomistarum.

Et vero, omne positivum a Deo oritur : atqui actio est quid positivum ; libertas actionis est etiam aliquid entis actionem perficientis ; ergo homo est agens et quidem libere, quia Deus illum ut agentem et quidem libere hic et nunc facit.

3° Unde concursus divinus est *specialis* pro quibuslibet actionibus, quæ eliciendæ sunt, nec ideo semper idem pro omnibus creaturarum actibus.

4° Tandem ille concursus est *efficax* ex natura seu ad *ab intrinseco*, cum per se nos constituat *agentes ;* nec tamen lædit libertatem, cum per se simul nos constituat agentes

libere ; nec facit Deum auctorem peccati, ex dictis, n. 107. « Tel est le sentiment de ceux qu'on appelle Thomistes : voilà ce que veulent dire les plus habiles d'entre eux par ces termes de *prémotion*, de *prédétermination physique*, qui semblent si rudes à quelques-uns, mais qui, *étant entendus, ont un si bon sens*... Cette manière de concilier le libre arbitre avec la volonté de Dieu paraît la plus simple, parce qu'elle est tirée seulement des principes essentiels qui constituent la créature, et ne suppose autre chose que les notions précises que nous avons de Dieu et de nous-mêmes. » Bossuet, *Traité du libre arbitre*, c. 8, 10.

111. — Itaque, in systemate Thomistarum, modus, juxta quem divinus concursus explicari debet, nihil aliud esse videtur quam ipsemet creationis actus, quo, nempe, Deus indesinenter producit quidquid in creaturis invenitur positivi, id est, non solum earum substantiam, sed et earum actus; ac proinde difficultas conciliandi libertatem creaturæ cum divino concursu, a creationis mysterio non discrepat.

Hoc quidem mysterium ab hypothesi thomistica non tollitur; sed hæc hypothesis sub duplici respectu Molinismo præstare videtur : nimirum, 1. melius exponit difficultatem solvendam, quatenus nec libertatem humanam destruit ad statuendum concursum, nec concursum tollit ad libertatem salvandam : 2. licet non ostendat quo modo hæc duo inter se concilientur, sufficienter tamen demonstrat nullam essentialem oppositionem inter ipsa inveniri.

Quibus sic expositis, quisque, quod sibi placuerit, eligat, aut, si magis arridet, in dubio hærens permaneat. Vide Tract. *de Gratia*, n. 296.

ARTICULUS II

De Operatione Dei ad extra, subjective spectata.

112. — *Quæritur quid sit Dei operatio ad extra subjective spectata?*

Resp. Operatio Dei, subjective spectata, est *modus* quo Deus ad aliquid producendum ad extra sese determinat, seu

quo relative ad terminum, quem externe produxit, *interne afficitur*.

Porro Deus ad intra constituitur per actum intellectus et amoris, cujus simul ipse est subjectum et terminus, n. 48; ergo externa Dei operatio quatenus subjectiva, consistere debet in modo quodam ipsius intellectus et voluntatis relative ad aliquem terminum exterius producendum aut productum. Unde duplex erit paragraphus, 1° circa scientiam, 2° circa amorem Dei ad extra.

§ I

De Scientia Dei ad extra.

Dicemus 1° de existentia scientiæ Dei ad extra, 2° de variis speciebus scientiæ Dei ad extra, et de medio in quo exercetur scientia divina.

NUMERUS PRIMUS

De existentia Scientiæ Dei ad extra.

113. — *Quæritur* quotuplex esse possit objectum scientiæ Dei ad extra?

Resp. Ad triplicem classem referuntur res externæ, quæ scientiæ Dei objectum esse possunt, videlicet, 1. res mere *possibiles*, sive fuerint creatæ, sive non; 2. res *conditionatæ*, quæ nec fuerunt, nec sunt, nec erunt, sed quæ, posita aliqua conditione, fuissent, essent, aut futuræ forent : talis est, v. g., veritas istius sermonis : *Si* in Tyro et Sidone *factæ essent* virtutes, quæ factæ sunt in *vobis*, olim in cilicio et cinere *pœnitentiam egissent;* » Matth. 11, ℣ 21 ; 3. res *existentes* sive in præterito, sive in præsenti, sive in futuro, sive iterum liberæ sint, sive necessariæ.

Jam vero, quidam philosophi scientiam futurorum liberorum Deo abjudicarunt, eo quod libertatem creaturarum cum præscientia actuum, quos productura est, stare non posse existimarunt; ita, apud veteres, Cicero, et inter recentiores, Deistæ et quidam ex schola eclectica philosophi.

Alii scientiam relative ad res existentes Deo denegant, vel quia immutabilitati divinæ repugnat, ut sentit Aristoteles, juxta plures; vel quia Deus est vis cæca, quæ intel-

lectu non donatur nisi in entibus individualibus, v. g., in hominibus; ita Pantheistæ et Materialistæ. Itaque

PROPOSITIO PRIMA

114. — *Deus omnia possibilia per scientiam suam apprehendit*. Certum est.

Prob. 1° *Script*. Dicitur enim : « Non est *ulla creatura invisibilis* in conspectu ejus, » Hebr. 4, ℣ 13. — « In quo sunt *omnes thesauri sapientiæ* et *scientiæ*. » Coloss. 2, ℣ 3. — « *Vocat ea quæ non sunt*, tanquam ea quæ sunt; » Rom. 4, ℣ 17 : vocare autem quæ non sunt, id est, jubere, facere ut sint, non posset Deus, nisi ea præcognosceret.

2° *Traditione*. Assertam propositionem expresse docet Conc. Vatic., n. 1, cum dicit « Deum esse *intellectu infinitum, omniaque nuda et aperta esse oculis ejus*. »

3° *Ratione*. Rerum possibilitas duobus constituitur, nempe, illarum idea seu archetypo, et actuabilitate illius archetypi per potestatem creatricem Deo essentialem : atqui Deus hæc duo necesario cognoscit.

Et quidem 1. rerum *ideas*. Namque Deus suam essentiam cognoscit sub omni respectu quo cognoscibilis est, seu prout in se est, et quatenus est participabilis a creaturis : atqui essentia divina quatenus ab intellectu divino apprehensa ut participabilis a creaturis,est ipsamet idea seu archetypum creaturarum, n. 44; ergo Deus rerum ideas necessario cognoscit.

2. Sed etiam rerum *actuabilitatem*. Etenim actuabilitas rerum est sufficiens potentia ut a non ente ad ens transeant : porro essentia divina quatenus a creaturis participabilis non apprehenditur, quin simul Deus cognoscat se habere sufficientem potentiam, ut illa participabilitas ad actum transeat, si ei placet; ergo Deus rerum actuabilitatem necessario cognoscit, ac proinde earumdem possibilitatem.

Hinc possibilia, antequam ad extra producantur, *numerum non constituunt*.

Tunc enim ab essentia Dei non distinguuntur, nec possunt numerari, quin illa essentia numerum constituat;

ergo Deus possibilia infinita videt eo sensu, quod cognoscit suam essentiam talis esse naturæ, ut numerum quemcunque creaturarum superet. Sic æternitas divina, licet simplicissima, nullisque instantibus conflata, coexistere tamen potest omnibus temporibus, proindeque illa eminenter includit.

PROPOSITIO II

115. — *Deus certissime novit libera conditionate futura.* Certum est.

Prob. 1° *ex Script.* Deus certissime novit, quæ indubitanter prænuntiavit : atqui Deus quædam libera conditionate futura indubitanter prænuntiavit in Scripturis, nimirum 1. traditionem Davidis ab habitatoribus urbis Ceilæ, si diutius mansisset in ea, I Reg. 23, ℣ 12 ; — 2. conversionem Tyriorum et Sidoniorum, si factæ fuissent apud eos virtutes, quæ factæ sunt apud Judæos, Matth. 11, ℣ 21 ; — 3. vastationem Syriæ, si Joas, rex Israel, terram jaculo quinquies aut sexies percussisset, IV Reg. 13, ℣ 19 ; — 4. justi defectionem, si diutius vixisset. Sap. 4, ℣ 11, Ergo, etc.

2° *Ex Traditione.* « Consentaneum est Deo, qui *futurum æque* novit *ac præteritum,* ut impediat proventum parvuli ad perfectam ætatem, ne malum illud, quod *præscientia sua novit, in eo qui victurus esset, perficiatur ;* » S. Greg. Nyss. *Orat. de Infant.* — « His, quos *prævidet* Deus, si apud eos facta *essent,* suis miraculis *credituros,* quibus non vult subvenire, non subvenit ; » S. August. *de Dono persev.*, c. 11. — « Justi, in terris exercentur..., quia (Deus) prævidet quod, si quieti, ac liberi in tranquillitate *persisterent,* tentationes ferre adversarii non valentes, mentis prostrati vulneribus *jacerent ;* » S. Gregor. *Moral.* 33, c. 29. Hæc clara sunt.

Idem constat ex Conc. Vaticani declaratione jam allata, n. 114.

3° *Ratione.* 1. Deus, utpote seientia infinita præditus, cognoscit quidquid est cognoscibile : atqui libera conditionate futura vere cognoscibilia sunt. Quod enim deter-

minate verum est, illud est cognoscibile : atqui libera conditionate futura sunt determinate vera; ab æterno enim verum est dicere quod futura sint, si talis ponatur conditio, et quod, illa eadem conditione non posita, futura non sint.

Et vero libera absolute futura, ex dicendis, n. 116, sunt determinate vera : atqui eadem ratio militat pro liberis conditionate futuris, cum illo tantum discrimine ad rem non pertinente, quod priora veritatem objectivam absolute determinatam habeant, ista vero nonnisi conditionate determinatam.

2. Deus, instituendo ordinem naturæ et gratiæ præsentem, determinate ac certo prius noverat, non quidem prioritate temporis, sed rationis tantum, noverat, inquam, quid cum variis naturæ et gratiæ auxiliis hominibus concedendis isti libere acturi essent; alioquin Deus, mundi hujus existentiam decernendo, absque ullo fine et consilio determinato egisset, quod repugnat : atqui cognitio ejusmodi est de liberis conditionate futuris, ut patet; ergo, etc.

PROPOSITIO III

116. — *Deus certissime novit futura contingentia et libera.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* : *Intellexisti cogitationes meas de longe... omnes vias meas prævidisti;* Ps. 138, ℣ 3, 4. — *Deus æterne... qui nosti omnia antequam fiant;* Daniel. 13, ℣ 42. — *Sciebat enim ab initio Jesus qui essent non credentes, et quis traditurus esset eum;* Joan. 6, ℣ 65. Hæc per se aperta sunt, nullaque interpretatione indigent.

Et vero, in Scriptura, plures continentur prophetiæ de futuris hominum actionibus liberis, aut de factis ab eorum libertatis exercitio pendentibus, quæ quidem prophetiæ fideliter adimpletæ sunt, ut eventu probatum manet : atqui prædictiones ejusmodi certissimam libere futurorum scientiam in Deo arguunt, ut habet Tertull., lib. 2 contra Marcionem, c. 5 : *Præscientia Dei*, inquit, *tantos habet testes, quantos fecit Prophetas*. Vel enim prædictiones illæ in Scrip-

tura consignatæ, ex certa libere futurorum scientia profectæ sunt, vel ex mera eorum conjecturali et verisimili cognitione : atqui posterius repugnat ; siquidem conjecturæ, in tot tantisque, tam parum verisimilibus, et tam complicatis eventibus, veritatem constanter assequi non possunt ; ergo, etc.

2° *Ex Traditione. Deus omnia novit, non solum quæ sunt, sed etiam futura ;* Clem. Alex., *Stromat.*, lib. 6, c. 17. — « Deo ex *natura sua* convenit *omnem* habere *futurorum notitiam ;* » S. Cyrill. Alex., 1 *in Isa.* — « Confiteri *esse Deum* et negare *præscium futurorum*, apertissima *insania* est ; » S. August., *de Civit.*, lib. 5, c. 9. Cæteri omnes consentiunt, ut ipsi fatentur adversarii.

Conc. Vaticanum thesim expresse docet his verbis : « Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus (Dei), *ea etiam, quæ libera creaturarum actione futura sunt ;* » n. 1,

3° *Ratione.* 1. Ideo præscientiam libere futurorum negant adversarii, quia cum humana libertate ipsam stare non posse judicant : atqui falsum est præscientiam cum libertate humana stare non posse. Quod enim consequens est ad libertatis exercitium, illud profecto libertatem non tollit : atqui præscientia consequens est ad libertatis exercitium ; Deus enim prævidet futuras hominum actiones liberas, quia futuræ sunt ; futuræ autem non sunt, quia Deus eas prævidet. « Non enim quia Deus *ventura cognoscit*, necesse est *nos facere* quod ille præscivit, sed quod nos *propria voluntate facturi* sumus, *ille novit futurum.* » S. Hieron., *Comment.* in c. 26 *Ezech.*

2. Deus, utpote infinita præditus scientia, cognoscere debet quidquid est intelligibile : atqui libere futura intelligibilia sunt : quidquid enim determinate verum est, illud est intelligibile : libera autem futura determinate sunt vera, cum de iis enuntiari possint propositiones determinate veræ ; ergo, etc.

117. — *Obj.* 1° In Script. Deus, loquendo de futuris contingentibus, utitur particulis, *forte, forsitan* quæ dubium exprimunt ; Ezech, c. 2, v. 5, et Joan. c. 5, v. 46 ; ergo non certe illa cognoscit.

Resp. Nego ant. Deus hujusmodi particulas adhibet, non quasi de futuro rerum eventu dubius sit, sed ut homines suæ libertatis, vel ignorantiæ, vel difficultatis rei de qua sermo fit, admoneantur. Ita Patres; S. Aug. *in Psal.* 2, et Tractatu 37 *in Joan.*; S. Hieron. in 26 Jeremiæ.

118. — *Obj.* 2° Præscientia divina tollit libertatem; ergo, etc.

Resp. Nego ant. Præscientia enim suum objectum supponit, non facit, nec in eo quidquam immutat; igitur hoc ipso quod actus liberi futuri sunt, illos divina prescentia, eorum intacta libertate, attingit. Et vero prescientia se habet ad futura sicut cognitio ad præsentia, et memoria ad ea quæ præterita sunt: atqui cognitio præsentium et memoria præteritorum nullam præsentibus et præteritis necessitatem inferunt; ergo a pari, etc.

119. — *Inst.* 1. Quidquid a Deo prescitum est, non potest non evenire; ergo, etc.

Resp. Dist. ant. Non potest non evenire, scilicet, posita Dei prævisione et juxta rationem necessarii vel liberi a Deo præscitam, *conc.*; non potest non evenire, id est, eveniet quacumque hypothesi facta, *nego.* Ratio est quia prescientia divina, nedum rei prævisæ naturam determinet, ei consentanea est, ipsamque, ut ita dicam, confirmat. Unde actus a Deo ut libere eventurus prævisus, non potest libere non fieri, alioquin divina falleretur sapientia.

120. — *Inst.* 2. Si quod Deus prævidit, posset non evenire, jam non futurum supponi posset: atqui falsum est consequens; ergo et antecedens.

Resp. Nego maj. Quia hypothesis præscientiæ alicujus rei suppositionem futuritionis ejus includit; ergo non amplius fieri potest suppositio contradictoria, ista scilicet, quod res futura non sit.

Ex iis patet quam futile sit argumentum eorum, qui præscientiam divinam ex eo impugnant, quod omnem curam et sollicitudinem humanam redderet inutilem; non enim nisi dependenter ab illa cura res futuras præscivit Deus : itaque necessario adhibenda est, præsertim in negotio salutis, juxta istud II Petri, 1, v. 10 : « Quapropter, fratres, *magis satagite* ut *per bona opera certam* vestram *vocationem* et *electionem* faciatis. »

Cæterum, si qua sint etiam inter Christianos, quorum mens ex æterna Dei futurorum prævisione perturbetur, sic contra ipsos argumentari potest : vel Deus ab æterno præscivit rura vestra fructibus abundatura, aut corpus vestrum ab infirmitate qua detinetur, levandum esse, aut mentes vestras omnibus scientiis instruendas; vel partem oppositam præscivit Deus : si primum; ergo necessario evenient ista; si secundum; ergo effectu suo careant necesse est; ac proinde nec serere nec remediis uti, nec studio incumbere oportet : pessima consequentia, cujus absurditas innotescit, et omnium sensatorum praxi arguitur. Illa consequentia, utpote similis illi, quam deducunt ex præscientia Dei circa actus liberos et ad salutem pertinentes, absurditatem istius obviam faciet.

PROPOSITIO IV

121. — *Deus certissime cognoscit omnia facta existentialia*. Certum est.

Prob. 1° *Scrip. Vidit Deus cuncta quæ fecerat;* Genes 1, ℣ 31. — *Oculi Domini contemplantur universam terram;* II Paralip. 16, ℣ 9. — *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus;* Hebr. 4, ℣ 13. — *Omnes viæ hominis patent oculis* ejus; Prov. 16, ℣ 2. — *Qui finxit sigillatim corda eorum; qui intelligit omnia opera eorum;* Ps. 32, ℣ 15.

2° *Traditione.* Idem declarat Conc. Vaticanum, n. 1, cum dicit « *omnia nuda et aperta esse oculis Dei,* atque Deum esse *intelligentia infinitum.* »

3° *Ratione.* Ex probatis, n. 91, 96, 97, 105, 106, nihil prorsus evenire potest, quod a Deo tanquam causa creatrice, conservatrice, aut concurrente, non pendeat, ita ut, per suam actionem, Deus enti et actui omnium rerum sit quam intime præsens : atqui Deus nihil efficit, quin per intellectum determinetur; ergo omnia facta existentialia perfecte cognoscit.

Porro illa facta, dum eveniunt, cognoscere non potest, quin illa antequam evenerint, apprime cognoscat. Si enim aliter esset, cognitio illorum factorum nonnisi successive Deo adveniret, seu Deus quotidie aliquid de novo cognosceret : hoc autem summæ Dei perfectioni et scientiæ repugnat; ergo ab æterno Deus facta existentialia perfecte cognoscit.

NUMERUS II

De variis speciebus scientiæ divinæ ad extra, et de medio in quo exercetur divina scientia.

122. — *Quæritur* 1° quotuplex sit species scientiæ divinæ?

Resp. Triplex est, juxta Molinistas, scientiæ divinæ species, nimirum, scientia *simplicis intelligentiæ,* scientia *visionis*, et scientia *media.*

Scientia *simplicis intelligentiæ* versatur circa rerum possibilitatem, eaque omnia quæ essentiis innituntur.

Scientia *visionis* versatur circa facta quæ sunt, aut fuerunt, aut erunt.

Scientia *media* versatur circa futura conditionata. Hæc enim non pertinent ad scientiam *simplicis intelligentiæ*, siquidem non meram possibilitatem, nec necessitatem exprimunt; nec ad scientiam *visionis*, cum nunquam eventura sint.

Juxta vero Thomistas, rejicienda est scientia *media*, eo quod futura conditionata ad scientiam *simplicis intelligentiæ* referenda sint. Cujus explicatio ex statim dicendis pendet.

123. — *Quæritur* 2° quid et quodnam sit *medium* in quo exercetur divina scientia?

Resp. Medium, in quo scientia Dei exercetur, est illud *per quod variæ res*, quæ hujus scientiæ objectum contituunt, *a Deo cognoscuntur*. Quidquid enim sciri potest, per se aut per aliud sciatur, necessum est : id autem per quod res aliqua cognoscitur, *medium* scientiæ seu cognitionis ejus nuncupari solet.

Jam vero 1. Deus absque ullo medio seipsum in seipso contemplatur, ex dictis, n. 43, et ex dicendis in Tract. *de SS. Trinitate.*

2. Deus etiam res possibiles in seipso contuetur; nimirum rerum possibilitatem internam per essentiam cognoscit in sua essentia, prout est ipsarum archetypum; rerum autem externam possibilitatem seu actuabilitatem

cognoscit in sua omnipotentia, prout est illarum effectrix, n. 114.

3. Futura absoluta, quæ a Deo solo pendent, Deus videt in decretis absolutis, quæ cum hujusmodi effectibus infallibilem ex natura sua habent connexionem.

In quonam autem medio Deus videat *libera* conditionate aut absolute futura, quæstio est jamdudum magno æstu agitata, et varie a variis definiri solita, propter opinionum diversitatem circa naturam divini concursus ad actus liberos producendos, n. 108, 109, 110.

124. — I. *Systema Molinistarum.* Deus per scientiam mediam seu conditionatorum, n. 122, cognovit omnes eventus subsecuturos in variis hypothesibus possibilibus. Sic, v. g., vidit quod, si tali homini tale conferret auxilium ad bene agendum, hic homo auxilio dato abuteretur, dum alter homo, eodem auxilio præventus, huic ad bene agendum cooperaretur : porro, his omnibus cognitis, decretum posuit præsentem mundum creandi, et, in hoc mundo, talem vel talem conditionem ponendi ; sicque omnia libera cognoscit per scientiam mediam.

In quonam autem medio scientia conditionatorum seu *media* exerceatur, id est, quomodo Deus cognoscere possit talem hominem tali auxilio abusurum, aut eo bene usurum esse, in hoc reponitur tota difficultas, in qua solvenda nullo modo inter se concordant Molinistæ.

Juxta Molina, Deus voluntates a se creandas ita perfecte et intime cognoscit, ut sciat certissime ad quid cum tali auxilio sese determinaturæ sint. Sed semper quærendum superest, quomodo, in quonam medio Deus ita perfecte cognoscat voluntates a se creandas?

Juxta Suarez, Deus facta libera, sive absoluta sive conditionata, videt in seipsis, seu in eorum veritate objectiva. Sed quomodo talia facta videri possunt in seipsis, quando nondum existunt, vel quando jam sunt præterita? Quando autem existunt, videntur-ne in voluntate humana, vel in decreto Dei concursum a se præstandum decernentis? Unde, in hoc systemate, solvenda difficultas tota remanere videtur.

125. — II. *Systema Thomistarum.* Admissa hypothesi thomistica circa naturam divini concursus, n. 110, præsens difficultas sat facile excutitur. Etenim, juxta Thomistas, homines sunt *facientes libere,* quia Deus, per suum concursum ex natura sua efficacem, tales illos constituit; ergo 1. libera absolute futura Deus videt in decreto absolute tali agenti concedendi auxilium per se efficax; 2. libera conditionate futura cognoscit vel in decreto hypothetico concedendi auxilium efficax, v. g., *si detur Petro auxilium efficax ad bene agendum, bene aget;* vel in decreto absoluto respectu auxilii efficacis, et conditionato ex parte objecti, v. g.: *Volo Tyrios et Sidonios ad pœnitentiam per auxilium ex se efficax præmovere, si concedam eis ut videant miracula Christi.*

Exinde concipitur cur Thomistæ rejiciant, circa futura conditionata, scientiam *mediam.* Juxta illos nempe, horum futurorum cognitio ad scientiam *simplicis intelligentiæ* referri debet.

Itaque difficultas circa medium, in quo exercetur divina scientia actuum liberorum, eadem est ac circa naturam divini concursus; hæc autem eadem est ac circa modum creationis, cujus mysterium omni intellectui humano impervium esse agnovimus, n. 110, 111, 84, 85.

126. — *Quæritur* quomodo Deus cognoscat *malum?*

Resp. Malum, in genere, non est quid positivum, sed quædam absentia boni, seu privatio quædam; malum autem morale seu peccatum est voluntarius *defectus* conformitatis legi divinæ, n. 107; ergo non in se apprehenditur malum, siquidem nihilum non potest esse cognitionis terminus; sed, cognoscendo agentem, ejus omnem capacitatem, entitatem actus, legem cui actus conformis esse debet, eo ipso Deus cognoscit illius actus tali legi conformitatem seu bonitatem vel non conformitatem seu malitiam.

§ II

De Amore seu voluntate Dei ad extra.

127. — Per *amorem* seu voluntatem intelligitur activitatis exercitium, quod, præeunte intellectus cognitione,

perficitur; terminus illius activitatis dicitur *bonum*, sicut terminus intellectus *verum* nuncupatur.

Porro Deus cum perfecta cognitione vult et operatur ad extra, creando, conservando et concurrendo, n. 48; ergo in Deo adest amor seu voluntas ad extra. Hic autem tractandum superest de illius activitatis libertate et legibus seu de Providentia.

NUMERUS PRIMUS

De libertate divinæ Voluntatis in operationibus ad extra.

Quæri potest an Deus sit liber in suis operationibus ad extra, et quomodo hæc libertas cum Dei immutabilitate concilietur.

PUNCTUM PRIMUM

De existentia divinæ libertatis in operationibus ad extra.

128. — Tota difficultas in creationis operatione contrahitur. Posito quod enim Deus, pro libitu suo, potuerit creare aut non creare, a fortiori liber est conservare et concurrere.

Porro, juxta veteres quosdam philosophos, præsertim Stoicos, omnium entium voluntates essentialiter subjiciuntur ineluctabili necessitati seu *fato*, quod habebant ad instar numinis cujusdam, seu potius legis supremæ et æternæ; unde *Fatalistæ* dicti sunt; et ideo Deus ad creandum determinatus fuit hac necessitate *ab extra* sibi obveniente.

Juxta alios, creatio exigitur tanquam Dei complementum, et ideo necessaria est *ab intrinseco*. Ita plures ex eclecticis, et scholæ humanitariæ asseclæ.

Juxta Leibnizium, Deus creavit, quia creationem meliorem esse non-creatione judicavit : atqui impossibile est quod subjectum intelligens et sapientissimum non sese determinet juxta motivum, quod sibi melius videtur; ergo, eo ipso quod Deus creavit, non potuit creationem non decernere. Liber fuit tamen creando, quia, juxta eumdem, libertas consistit in eo quod agens ad actum non erumpat, nisi præhabita voluntatis deliberatione et electione. Ita etiam eclectici et rationalistæ non pauci. Contra vero sit

PROPOSITIO

129. — *Deus, pro libitu suo, potuit creare aut non creare.* De fide est.

Prob. 1° *Script.* « Deus ultionum *libere egit*... Omnia *quæcunque voluit, fecit;* » Ps. 93, ỳ 1; 113, ỳ 11. — « Deus operatur omnia secundum *consilium voluntatis suæ*... Cujus *vult,* miseretur, et quem *vult,* indurat... Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, *dividens singulis, prout vult.* » Eph. 1, ỳ 11; Rom. 9, ỳ 18; I Cor. 12, ỳ 11.

2° *Traditione.* « Deus dividit singulis *prout vult,* id est, pro *libero* voluntatis *arbitrio,* non pro *necessitatis* arbitrio; » S. Ambros. *de Fide,* lib. 2, c. 3. — « Deus ipse nunquid, quoniam peccare non potest, ideo *liberum arbitrium habere negandus est?* » S. August., *de Civit.,* lib. 22, c. 30. — « Deus hominem et cætera entia *pro sua voluntate creavit;* » S. Epiph., *Hæresi* 23.

Conc. Vaticanum, n. 6, idem definivit his verbis : « Si quis dixerit, Deum *non voluntate ab omni necessitate libera,* sed tam necessario creasse, quam necessario amat seipsum : anathema sit. »

3° *Ratione.* Deus, pro libitu suo, potuit creare aut non creare, si, creando, ab omni necessitate sive externa, sive interna fuit immunis, atque ita est; ergo, etc.

Et quidem 1. ab *externa* necessitate fuit immunis. Etenim, ante creationem, extra Deum erat merum nihilum; ergo nulla concipitur causa necessitatis cujuscunque ab extra Deo obvenientis. Aliunde, Deus est impassibilis seu independens ab omni influxu sibi extrinseco, n. 54; ergo immunis est ab omni necessitate externa. Sed etiam

2. *Interna.* Creatio enim est productio alicujus substantiæ e nihilo per virtutem Dei, n. 81; ergo, quando terminus ille producitur, Deus jam in se habet quidquid ad essentialem suiipsius constitutionem requiritur; ac proinde Deus, creando, ab omni interna necessitate fuit immunis.

Et vero, Deus ex essentia sua est summe perfectus ac beatus, ita ut per creationem non sit plus entis, Deoque

nihil addere possit creationis terminus, n. 49, 82; ergo Deus, pro libitu suo potuit creare aut non creare.

130. — *Obj* 1° Libertas imperfectione mixta est; ergo Deo non convenit.

Resp. Dist. ant. Libertas, prout est in homine, imperfectione mixta est, *conc.*; prout est in Deo, *nego*. In homine libertas 1. ad malum flexibilis est; 2. inconstans. mutabilis; 3. suspensionem involvit; 4. plurium successione actuum exercetur. At libertas divina his caret defectibus : Deus enim unico actu, pro semper, ab æterno et ad omnia quæ vult, bona libere determinatur. Et vero, quod ex summa perfectione originem ducit, nonnisi perfectum esse potest : atqui libertas in Deo ex summa ipsius perfectione nascitur, videlicet, ex summa ejus independentia et sufficientia; ergo, etc.

131. — *Obj.* 2° Actualis ex parte Dei communicatio, cum sit bona, in Deo necessario reperiri debet : atqui Deus creando sese communicat; ergo non potest non creare.

Resp. Dist. ant. Est bona respectu creaturæ, *conc.*; respectu Dei, *subdist.*: quatenus confert ad gloriam ipsius externam et accidentalem, qua non indiget, *conc.*; quasi conferat ad gloriam ipsius essentialem, *nego*. Itaque gloria Dei alia est interna seu essentialis, alia vero externa seu accidentalis. Prior infinita est Dei perfectio, testimoniumque quod sibi de sua propria excellentia reddit; posterior consistit in eo quod Deus a creaturis ratione præditis cognoscatur, adoretur et ametur, quodque in operibus suis exprimatur, et sua in eis veluti pingantur attributa : porro ad gloriam Dei essentialem nihil confert creatio; Deus enim, sive ad extra operetur, sive non operetur, perinde felix ac perfectus est; confert tantum ad gloriam Dei accidentalem, qua carere potest; ad ipsam ergo propterea non tenetur.

132. — *Obj.* 3° Deus, utpote agens sapientissimus, sese determinare nequit, nisi juxta id quod sibi melius esse videtur : atqui creatio est quid melius non creatione; ergo non potest non creare.

Resp. Dist. maj. Quod sibi melius videtur pro perfectione sui entis, *conc*; secus, *nego*.

Dist. min. in eodem sensu; nempe creatio est quid melius non-creatione pro ipsismet creaturis, *conc.*; pro Deo, *nego*. Namque entium perfectio consistit in consecutione finis ul-

timi; et ideo magis sapientia dicuntur, si eligant quod ad illum finem magis conducit; minus vero, si eligant quod ab illo fine removet.

Atqui Deus in seipso finis consecutionem suamque perfectionem invenit, n. 48, 49; ergo minime necesse est ut illam obtineat per creationem, quæ ideo relative ad illum est quid plane indifferens.

PUNCTUM II

De modo quo libertas et immutabilitas conciliantur in Deo.

133. — *Status quæstionis.* Deus est immutabilis, seu omnia in ipso ab illius essentia derivantur, nihilque contingentis in se habet, n. 55, 56 : atqui libertas creandi aut non creandi videtur creationis actum contingentem, qui, scilicet, in Deo possit esse aut non esse; ergo, inter Dei immutabilitatem et libertatem, apparens invenitur contradictio, ad quam tollendam variæ excogitatæ sunt solutiones, quæ in systemate Scotistarum et Thomistarum contrahuntur.

134. — I. *Systema Scotistarum.* In Deo duplex distingui debet internæ determinationis species : una qua Dei essentia in suo actu constituitur, quæ ideo necessaria est, nulli mutationi obnoxia, nec ullo modo creationem respiciens; altera vero qua Deus, in suo actu essentiali jam constitutus, creandi volitionem elicit, et quæ, etsi contingens, non tamen Dei immutabilitatem afficit.

Divina enim immutabilitas non in eo consistit, quod nullam omnino mutationem Deus subire possit; sed in eo quod nihil perfectivi acquirat aut amittat : porro actus liber et contingens, quo Deus creat, nec Deum perficit, nec ab eo aliquid detrahit; ergo Deus immutabilis est relative ad actum quo ipse constituitur, et in quo sita est ejus perfectio; liber autem et mutabilis relative ad volitionem creandi aut non creandi.

Nunc vero, juxta Thomistas, illa solutio non plane satisfacit. Etenim 1. ex dictis, n. 56, Deus nihil contingentis in suo actu recipere potest, sed omnis modus sibi intrinsecus est necessarius, haud secus ac ejus essentia : porro Scotistæ

in Deo admittunt volitionem intermediam et contingentem ad creationem; ergo hæc intermedia volitio rejicienda est.

Et vero, melius est esse in actu quam in potentia; ergo illa volitio intermedia est quid perfectius quam nuda facultas, et ideo per illam volitionem Deus aliquid acquirrit.

2. Difficultas solvenda consistit in eo quod non concipitur, quomodo causa *interne* seu ex essentia sua non determinata ad creandum vel non creandum, possit tamen creare aut non creare; Scotistæ autem respondent, quod illa causa libere vult creare aut non creare, quia relative ad creationem interne seu ex essentia sua non est determinata ad volendam aut nolendam creationem : porro hoc melius non concipitur, quam ipsamet difficultas proposita.

3. In præfato systemate, volitio circa creationem ad essentiam divinam non pertinet, sed ab hac essentia seu a voluntate divina tanquam effectus a causa producitur; ergo terminus illius voluntatis intermediæ non est ipsa res creata, sed volitio creandi, ideoque non concipitur quomodo ponatur res externa tanquam effectus seu terminus voluntatis intermediæ, quæ jam pro termino habet suam volitionem. Tota igitur remanet difficultas.

435. — II. *Systema Thomistarum.* Deus est actus purissimus, seu in Deo nihil est in potentia, sed ejus facultas agendi plene, perfecte et necessario ad actum reducitur : melius est enim esse in actu, quam in potentia; ergo libertatis divinæ terminus non est ipsa volitio seu actus internus, sed res Deo extrinseca, quæ ideo potest mutari, aut destrui, quin essentia divina volens ullam patiatur mutationem.

Et vero, in homine voluntas seu *facultas* volendi est *subjectum* libertatis relative ad volitiones suas, quæ sunt illius facultatis *terminus* ; porro in Deo non voluntas, sed ipsa volitio seu essentia divina quatenus in actu puro, est libertatis subjectum, terminus vero est res creata Deo extrinseca; ergo, sicut voluntas nostra non est indifferens ad existendum, sed ad volendum, ita essentia divina non est

indifferens ad actum internum seu ad volendum, sed ad creaturæ externam productionem.

Hoc sic exprimi potest : *Volo creaturam esse; volo creaturam non esse :* atqui *volo* semper idem est ad intra, sive sit creans ad extra, sive non creans; diversitas autem est tantum ex parte termini Deo extrinseci; ergo creatio potest esse vel non esse, quin activitas divina ulli mutationi sit obnoxia.

Equidem status causæ diversus est pro diversitate effectuum ab ipsa productorum, quando hi effectus extra ipsam non egrediuntur, ut, v. g., in homine ; at idem dici nequit pro effectibus causæ extrinsecis, qui immediate a causa sibi identica semper remanente producuntur, ut infertur ex difficultate sententiæ contrariæ.

Itaque 1. juxta Thomistas, relative ad principium internum, nulli in Deo sunt actus liberi ; quidquid enim Deum interne afficit, in ipso necessarium est ; sunt autem in Deo actus liberi, relative ad terminum externum, qui, ut ponatur aut non ponatur, prorsus indifferens est.

2. Libertas in Deo non consistit in eo quod tali vel tali modificatione contingenti interne affici possit, sed in eo quod possit activitatem suam aliquo effectu externo terminare, vel non.

3. Per voluntatem mundum creandi in Deo non intelligitur decretum quoddam a Deo latum ipsique internum, sed respectus activus divinæ voluntatis qua, absque ulla modificatione essentiam Dei afficiente, mundus existere incepit.

Jam vero, in hoc systemate, melius quidem servatur Dei immutabilitas, atque facilius concipitur ejus conciliatio cum Dei libertate relative ad terminum ipsi extrinsecum. At nullo modo explicatur, quomodo eadem prorsus activitas indifferenter possit habere ad extra terminum positivum aut negativum, seu creationem aut non creationem. Huc ergo iterum redit mysterium circa creationis *modum;* atque nobis sufficere debet quod utrumque extremum seu Dei immutabilitas et libertas certo constent : non enim negandum est certum propter incertum.

NUMERUS II

De legibus divinæ voluntatis ad extra, seu de Providentia.

136. — Leges divinæ voluntatis sunt regulæ, juxta quas Deus in sua actione ad extra procedit. Harum legum complexio dicitur *Providentia*, quæ definitur : *ordinatio rerum ad debitum finem, per idonea media.*

Unde ad providentiam duo pertinent, *ratio ordinis*, quæ dicitur *providentia* et *dispositio*; ordinis *exsecutio*, quæ dicitur *gubernatio* : primum spectat intellectum, et est æternum; secundum vero respicit voluntatem, et est temporale; unde de gubernatione præsertim hic agitur.

Gubernationis autem triplex est objectum, scilicet, creaturis præscribere finem; eisdem media ad hunc finem consequendum concedere; hoc tandem fine frui dare creaturis, quæ illa media congruenter adhibuerunt.

Dicemus, in duplici puncto, de existentia Providentiæ in genere, et de ejusdem speciebus.

PUNCTUM PRIMUM

De existentia Providentiæ in genere.

137. — Negarunt providentiæ cujuslibet existentiam 1. Athei. qui, cum mundi creationem sive necessitati, sive casui fortuito tribuant, ab eo proinde ordinis providi ideam omnem excludunt. 2. Stoici, qui omnes effectus ineluctabili necessitati seu fato tribuebant, n. 128. 3. Deistæ perplures, qui Deum præstantiorem sublimioremque esse affirmant, quam ut rebus mundanis provideat. Hæc omnia jam confutata manent, ex dictis circa divinum concursum, et libertatem Dei, n. 105, 129. Hic ergo brevis tantum et directa demonstratio sufficiet.

PROPOSITIO

138. — *Est in Deo providentia generalis, quæ ad omnia omnino etiam infima extenditur.* Certum est.

Prob. 1° *ex Script.* « Deus *attingit a fine usque ad finem fortiter*, et *disponit omnia suaviter*. Non enim est alius Deus quam tu, *cui cura est de omnibus;* » Sap, 8, ℣ 1, 12, 13. — « Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum,

quoniam ipsi cura est de vobis; » I Petr. 5, ℣ 7. — « Considerate lilia agri commodo crescunt; non laborant, neque nent. Si autem fœnum agri, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, *Deus sic vestit, quanto magis vos modicæ fidei?... Unus passer* non cadit super terram *sine Patre vestro*; » S. Matth., 6, ℣ 28; 10, ℣ 29.

Ipsa etiam peccata ad ordinem Providentiæ suo modo pertinent, non quidem ut fiant, sed ut per idonea media vitentur, et ut commissa puniantur, denique ut in bona convertantur; Prov. 1, ℣ 18, 33; 16, ℣ 4; Gen. 50, ℣ 20.

2° *Traditione*. « Constat supplicium magis quam confutationem mereri illum omnem, qui *providentiam esse non putat;* » Clem. Alex. *Strom.* lib. 6. — « *Quis operator negligat operis sui curam?* Quis deseret et destituat quod ipse condendum putavit? Si injuria est regere, nonne est major injuria fecisse, cum aliquid non fecisse nulla injustitia sit, non curare quod feceris, summa inclementia? » S. Ambr. *de Offic.* lib. 1, c. 13. — « Si *Dei providentia* non præsidet rebus humanis, *nihil de religione satagendum;* » S. August. *de Util. credendi,* c. 16.

Assertam thesim sic docet Conc. Vaticanum, n. 1 : « *Universa*, quæ condidit Deus, *providentia sua tuetur atque gubernat*, attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter. »

Idem constat unanimi consensu omnium populorum. Omnes enim populi divinitatem deprecati sunt, ipsam muneribus et sacrificiis placare studuerunt, etc. : porro horum omnium nulla ratio dari potest, nisi supponatur omnes homines semper habuisse Deum ut criminum vindicem, virtutis remuneratorem, rerum omnium moderatorem, uno verbo, ut summe providum ; ergo, etc.

3° *Ratione*. 1. Deus est infinite sapiens, summe bonus, et omnipotens ; ergo et providus : nam, prout est summe sapiens, cognoscit omnium rerum fines debitos, et media his procurandis idonea; quatenus summe bonus, non potest non velle uniuscujusque finem debitum per media apta; et, prout est omnipotens, secundum voluntatem suam efficaciter operatur ; ergo est providus.

2. Deus non potest sibi contradicere : atqui, sublata providentia, sibi contradiceret; nempe, vellet creaturas suas debitum finem assequi, cum ipsas libere creando, ipsis hanc versus finem suum tendentiam ultro concesserit; simul nollet, ipsis nempe negando media, quæ ad finem obtinendum vere sufficientia sunt.

3. Divina relucet providentia in ordine mundi physici, ut constat ex dictis, ubi de physicis existentiæ Dei argumentis; ergo a fortiori non deest in ordine morali. Vide Bossuet, *Politique tirée de l'Ecrit.*, liv. 7, art. 6.

PUNCTUM II

De speciebus Providentiæ.

Duplex esse potest providentia, in ordine naturali, et supernaturali. De utraque sigillatim dicemus.

I

De Providentia in ordine naturali.

139. — Providentia in ordine naturali est *ordinatio rerum ad finem naturæ entium proportionatum, per media ejusdem proportionis.* Quænam autem sint leges voluntatis divinæ relative ad electionem finis naturalis, ad creaturarum productionem, et earumdem deductionem in illum finem, hic indicare tantum possumus.

140. — I. *Leges voluntatis divinæ relative ad electionem finis naturalis.*

Constat, ex dictis n. 138, Deum, in creando, aliquem sibi proposuisse finem : omne enim agens ad aliquem terminum per suum actum tendit.

Quæritur autem 1° *quisnam* sit Dei finis *naturalis* in creatione?

Resp. Non plane consentiebant auctores ante Conc. Vatic. Juxta plures, finis Dei in mundi creatione fuit consecutio *gloriæ externæ*. Videlicet, *gloria* in genere definitur : *clara notitia cum laude;* S. Th., 1. 2, q. 2, a. 3 : id est, æstimatio et amor, quæ perfectionum alicujus entis cognitionem subsequuntur.

Porro duplicis generis gloria sic intellecta agnosci debet, *interna*, et *externa :* prior est cognitio, æstimatio et amor Dei a seipso : hæc igitur gloria Deo essentialiter competit; posterior autem est cognitio, æstimatio et amor Dei a creaturis ; et ideo hæc gloria Deo obvenire nequit, nisi supposita creaturarum intellectualium creatione.

Nunc vero creatio nihil attinet ad internæ gloriæ consecutionem; proinde Deus, creando, nullum alium finem sibi proponere potuit, quam externæ gloriæ consecutionem per attributorum suorum manifestationem, quæ ex mundi creatione oritur.

Dicitur enim : « Universa *propter semetipsum* operatus est *Dominus;* » Prov. 16, ℣ 4. — « Afferte Domino *gloriam* et *honorem*, afferte Domino *gloriam* nomini ejus ; » Ps. 28, ℣ 2. — « *Omnia in gloriam Dei facite ;* » I Cor. 10, ℣ 31. — « Omnia propter vos, ut gratia abundans, per multos in gratiarum actione *abundet in gloriam Dei;* » II Cor. 4, ℣ 15. — « *Gloria* in altissimis Deo; » Luc. 2, ℣ 14. — « Gratias agimus tibi *propter magnam gloriam tuam.* » Ergo finis naturalis est Dei gloria externa.

Juxta vero Thomistas, finis creationis fuit creaturis divinam bonitatem communicare. Namque finis operationis cujuslibet est bonum : porro Deus, cum sit sibi ipsi sufficientissimus, nullum commodum pro seipso percipere potest ex operatione ad extra; ergo in hac operatione solam creaturarum utilitatem potuit intendere.

Atqui tamen Deus alium finem intendere nequit quam seipsum, alioquin Deus ad aliquid sibi extrinsecum, a quo proinde penderet, referretur; ergo ad extra operari non potuit, nisi ut creaturæ ad seipsum per ejus beatudinis aliqualem participationem referrentur. S. Th., *Cont. Gent.* lib. 3, c. 18, 19. Hoc sensu etiam vere dicitur : « *Universa propter semetipsum* operatus est Dominus. » Prov. 16, ℣ 4.

Utraque sententia alteram implicite continet, atque inter se sic conciliantur : creatura non potest Deum glorificare per ipsius cognitionem, æstimationem et amorem, quin eo ipso participet Dei perfectionem, vitam et beatitudinem, quæ pro creatura intellectuali, sicut et pro Deo, est in cog-

nitione, æstimatione et amore entis divini. Similiter, creatura non potest se ad Deum referre, participando bonitatem divinam per Dei cognitionem et amorem, quin eo ipso Deum glorificet, per illam vitæ divinæ imitationem plus minusve perfectam. Ergo Deus ad extra operatur, ut creatura participet divinam bonitatem, atque per hujusmodi participationem Deum glorificet.

Hoc revera sic docet Conc. Vaticanum, n. 1 : « Deus bonitate sua et omnipotente virtute non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed *ad manifestandam perfectionem suam per bona, quæ creaturis impertitur, de nihilo condidit creaturam...* » Idem Concilium rem sic definivit : « Si quis mundum *ad Dei gloriam conditum esse negaverit :* anathema sit; » n. 6.

141. — Hinc, ad finem creationis perfecte consequendum, oportuit esse *aliquas creaturas intelligendi* et *amandi facultate præditas.*

Sine his enim, creaturæ non possunt per se aut per alias seu immediate aut saltem mediate Deum cognoscere, æstimare et amare, nec ideo vitam et beatitudinem divinam participare, nec Deum glorificare, nec tandem ad Deum tanquam ad finem ultimum tendere, et in Deo quiescere. S. Th. *Cont. Gent.*, lib. 2, c. 46.

142. — *Quæritur* 2° an Deus teneatur suam bonitatem creaturis communicare, suamque externam gloriam intendere *in summo gradu?*

Resp. Negative. Etenim 1. in quocunque gradu Deus se communicet et glorificetur, semper ipse est finis objectivus creationis : atqui Deus est finis sufficiens suæ actionis; ergo in quolibet gradu potest bonitatem suam communicare externamque gloriam intendere.

2. Non datur in Deo gradus communicationis et gloriæ externæ, quo major esse non possit; ergo impossibilis est Dei communicatio et externa gloria in summo gradu.

143. — Hinc rejiciendus est *optimismus absolutus.*

Nam optimismi nomine designatur systema, quod tenet

Deum non posse creare mundum nisi perfectissimum. Duplex autem concipi potest mundi perfectio, *absoluta*, vel *relativa* : prior sumitur ex parte finis, atque consistit in eo quod Deus sese creaturis communicandum, et ab eis glorificandum in altissimo et excellentissimo gradu intendere debeat; posterior vero sumitur ex parte mediorum, et in eo reponitur, quod singula entia, ex quibus mundus coalescit, sint *media* aptissima ad finem, cui destinantur, obtinendum, quicunque sit.

Porro, ex jam dictis, n. 142, Deus non tenetur se communicare gloriamque externam intendere in summo gradu, imo talis communicatio et gloria est impossibilis ; ergo rejiciendus est optimismus absolutus. De *relativo* autem optimismo dicetur n. 146.

144. — *Quæritur* 3° an *singula* entia *immediate* vel *mediate* tantum ad ultimum creationis finem ordinentur?

Resp. Alia immediate ordinantur, alia vero mediate tantum. Namque, ex dictis, n. 140, finis ultimus creationis est participatio divinæ bonitatis et externa Dei gloria per ejus cognitionem, æstimationem et amorem a creaturis : porro, inter entia, alia facultate cognoscendi et amandi donata sunt, cætera vero hac facultate penitus carent; ergo priora immediate ordinantur ad finem ultimum.

Posteriora autem mediate tantum, quatenus hæc immediate ordinantur ad entia rationabilia, et, his mediantibus, ad ipsum Deum, juxta illud : « Ista *lex* est divinitatis immobiliter firmata, ut *inferiora reducantur in Deum per superiora* ; S. Dionys. *de Eccl. Hier.* c. 5.

Et vero mineralia sunt propter vegetalia, vegetalia propter animalia, hæc omnia propter hominem ; unde dicitur : *Omnia subjecisti sub pedibus ejus ;* Ps. 8, ℣ 8 ; Homo enim utitur omnium rerum generibus ad sui utilitatem : quibusdam ad esum, quibusdam ad vestitum, quibusdam ad vehiculum.

Et super hoc omnibus sensibilibus utitur ad intellectualis cognitionis perfectionem : siquidem visibilia mundi infinitam Dei virtutem et pulchritudinem, illiusque suavita-

tem nobis in memoriam revocant, ad ea appetenda nos impellunt, suntque nobis quasi specula per quæ divinas perfectiones apprehendimus; ergo quatenus sic hominem adjuvant ad finis ultimi consecutionem, entia irrationabilia, mediante homine, ad generalem mundi finem obtinendum, modo suæ naturæ proportionato, concurrunt. S. Th. *Cont. Gent.* lib. 3, c. 22.

145. — II. *Leges divinæ voluntatis relative ad creaturarum productionem.*

Quæritur 1° an Deus tenetur enti unicuique concedere perfectionis gradum, sine quo illud ens suum finem assequi non posset?

Resp. Affirmative. Qui enim vult finem, consequenter vult et media : atqui perfectionis gradus de quo agitur, est medium necessarium ut quodque ens finem sibi a Deo assignatum consequi valeat; ergo Deus vult eadem voluntate, qua finem intendit, illum perfectionis gradum concedere.

146. — Hinc 1. Deus singula entia ita constituit, ut ipsa sint media ex se perfecte accommodata ad finem, cui destinantur, obtinendum.

Deus enim *perfecte* vult finem unicuique enti a se assignatum; ergo perfecte vult et media, ac proinde media ex se perfecta, juxta illud : *Dei perfecta sunt opera;* Deuter. 32, ℣ 4. Unde admittendus est optimismus *relativus*, qui nihil aliud est quam perfecta accommodatio mediorum ad finem, quicunque sit, n. 143.

147. — Hinc 2. Deus creaturis nihil tenetur præter illum perfectionis gradum, quo perfecte possint suum finem assequi.

Etenim Deus respectu creaturarum ad nihil tenetur, nisi ratione finis, quem ipse libere posuit : porro creaturæ semel ita constitutæ, ut sint media ad suum finem assequendum aptissima, eo ipso habent quidquid in eis ex parte earum finis requiritur; ergo Deus nihil ultra eis conferre tenetur.

148. — *Quæritur* 2° an Deus, illæsis suis attributis, possit *inæqualia* dona creaturis largiri?

Resp. Affirmative. Deus enim, illæsis suis attributis, potest non creare ; ergo a fortiori potest creare in tali vel tali gradu, juxta illud : « Volo autem et huic novissimo dare *sicut et tibi*. Aut *non licet mihi quod volo, facere?* an oculus tuus nequam est, *quia ego bonus sum?* » Matth. 20, ℣ 14, 15. Et vero, inæqualitas et diversitas donorum ad ordinem et pulchritudinem totius orbis maxime conferunt.

149. — *Quæritur* 3° an Deus creare possit entia *malo obnoxia?*

Resp. Affirmative. Etenim malum est privatio quædam, seu absentia boni, n. 107. Hæc privatio existit in creaturis vel independenter ab earum voluntate, ut *ignorantia* et *dolor*, vel dependenter ab hujus facultatis exercitio, ut *error* et *peccatum*.

Porro, quandiu creatura in fine non quiescit per perfectam Dei cognitionem et amorem, ipso defectu alicujus cognitionis, amoris et felicitatis laborat, atque a suo fine sese avertere potest seu in errorem et peccatum delabi ; ergo Deus creare potest entia malo obnoxia, eo ipso quod ea creare potest in via ad ultimum finem.

Revera, occasione illorum malorum, multa producuntur bona, quæ sunt ratio sufficiens, ut Deus illa mala permittere possit : sic non esset vita leonis sine occisione animalium ; nec patientia martyrum sine persecutione tyrannorum ; nec Redemptio et forsan Incarnatio ipsa, sine peccato primi hominis. Unde « Deus omnipotens *nullo modo sineret malum aliquod* esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens et bonus, ut *benefaceret etiam de malo ;* » S. August., *Enchir*. 11 ; S. Th. 1 p., q. 22, a. 2, ad 2. Vide n. 157 ; Tract. *de Eccles.*, n. 236.

150. — III. *Circa leges divinæ voluntatis relative ad deductionem creaturarum in earum finem.*

Quæritur 1° an Deus voluntate *positiva intendat consecutionem finis,* quem ipse creaturis imposuit?

Resp. Affirmative. Deus enim creat entia propter aliquem finem; ergo consequenter vult illius finis consecutionem, alioquin hunc finem vellet simul et non vellet.

Hinc Deus singulis creaturis legem imposuit, qua ad suum finem assequendum adstringerentur. Lex enim hujusmodi est primus effectus voluntatis positivæ circa consecutionem finis unicuique creaturæ impositi.

Illa lex, pro creaturis libertate destitutis, consistit in impossibilitate absoluta ab earum fine recedendi; ideoque non distinguitur a concursu necessitante, n. 108.

Pro creaturis autem libertate præditis, illa lex consistit in obligatione morali, qua nempe creaturæ rationales a suo fine recedere non possunt nisi per peccatum, ratione cujus reatum incurrunt. Unde exsurgit providentia *moralis*, quæ exercetur in individuis, in familia, in societate.

In *individuis* quidem, per præcepta et consilia, promissiones et comminationes, præmia et supplicia, quibus quodcunque ens rationale ad Dei cognitionem et amorem super omnia excitatur, et ab hujusmodi finis aversione removetur, atque, pro sua fidelitate aut infidelitate, per quietem in fine remuneratur, aut finis carentia plectitur.

In *familia* etiam. Etenim Deus voluit hominem et esse et crescere in virum perfectum pro corpore, intellectu et voluntate, per familiam; ergo ipsi familiæ providet per præcepta et consilia consentanea, atque, ex parte sua, semper suppeditat media sufficientia ad filiorum procreationem, sustentationem, informationem secundum leges divinas, et cujusque vocationem. Unde, in Scriptura, justi tot numerant benedictiones, quot filios generant; atque parentes, juxta conscientiam et legem Dei ambulantes, a Deo benedicuntur in tertiam et quartam generationem, juxta illud : *Junior fui, etenim senui : et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.* Ps. 36, ỷ 25.

In *societate* denique. Nam Deus constituit hominem *socialem*, seu voluit ut homo finem suum assequatur non solum per familiam, sed etiam per congregationem familiarum sub una auctoritate, id est, per societatem; quare ipse partitus est terram inter homines, distinguit nationes per reg-

norum diversitatem, quorum initium, progressum et finem determinat; sicque in statu politico et civili unicuique assignat officium atque statum. Hoc sæpissime docet Scriptura : *In unamquamque gentem præposuit rectorem;* Eccl., 17, ♱ 14. — *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt;* Prov. 8, ♱ 15 : « C'est par sa Providence universelle sur le genre humain que Dieu partage la terre aux hommes, et qu'il distingue les nations par la diversité d'empires, de royaumes, de républiques et d'autres États; qu'il en règle et l'étendue et la durée par des événements qui leur donnent leur naissance, leur progrès et leur fin; et que, parmi tous ces changements, il forme et soutient la société civile dans chaque État par les distinctions qu'il fait des personnes, pour remplir tous les emplois et toutes les places, et par les autres manières dont il règle tout. » Domat, *Traité des lois*, c. 9. Quare et ipsæ nationes a Deo rogant auxilia statui politico et civili propria, atque pro hujusmodi beneficiis acceptis Deo gratias agunt. Bossuet, *Politique tirée de l'Écrit.*, liv. 7, art. 6, prop. 7.

151. — *Quæritur* 2° an voluntas, qua Deus intendit finis creaturis impositi consecutionem, debeat esse efficax saltem pro earum aliquibus, aut etiam pro omnibus?

Resp. Debet esse efficax illa voluntas saltem pro aliquibus creaturis. Nam Deus nihil inutile facit : atqui, posito quod ejus voluntas non sit efficax saltem pro aliquibus creaturis, tunc tota creatio de facto fine carebit, ideoque fiet opus inutile; ergo Dei voluntas circa deductionem creaturarum ad finem ultimum, efficax est saltem pro aliquibus ex creaturis rationalibus.

Non vero requiritur quod sit efficax pro omnibus. Nam, ex dictis, n. 149, Deus peccatum potest permittere; ergo nihil impedit quin permittat perseverantiam in peccato seu impœnitentiam finalem, ac proinde quod ejus voluntas sit tantum sufficiens circa finis ultimi consecutionem a creaturis. Quomodo autem, non obstante plurimorum perditione, Deus sui operis finem perfecte obtineat, dicetur in Tract. *de Incarn.*, n. 208.

Cæterum, qui libertate sua abutuntur seseque a fine præstito elongant, aliquod tamen in mundo munus adimplent, tanquam media, vel occasiones, quibus electi magis ad virtutem excitantur, et ita ad suum finem tutius deducuntur, n. 149. Unde ipsimet peccatores fine in mundo omnino carere dici non possunt.

152. — Hinc voluntas Dei de consecutione finis est efficax circa alios, sufficiens tantum pro cæteris, seu Deus aliquos ad beatitudinem prædestinat, cæteros vero vocat, sed non prædestinat.

Quomodo utraque voluntas concipi debeat, dicetur in Tract. *de Gratia,* ubi de *prædestinatione* et *reprobatione* movetur quæstio, n. 391, 399.

II

De Providentia in ordine supernaturali.

153. — Hæc providentia consistit in *dispositione et exsecutione supernaturalium mediorum ad finem supernaturalem.* Porro Revelatio et Theologia tota sunt in proponendo hunc finem supernaturalem, atque media ad eumdem assequendum idonea; hic igitur quasdam tantum leges voluntatis divinæ in ordine supernaturali indicandum habemus. Cætera præstabunt Tractatus subsequentes.

154. — *Quæritur,* scilicet, an providentia in ordine naturali *subordinetur* providentiæ in ordine supernaturali?

Resp. affirmative. Res enim omnes inferiores ad homines sicut ad finem proximum aliquo modo ordinantur n. 144 : atqui homo ipse ad finem supernaturalem ordinatus est; ergo omnes res aliæ cooperari debent ad illum finem consequendum : et ideo quodam altiori modo gubernandæ sunt. Quare dicitur : « *Omnia propter vos*; II Cor., 4, ℣ 15. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei;* I Cor., 3, ℣ 22, 23.

155. — Hinc 1. Deus specialem in ordine supernaturali curam habet de Ecclesia. Nam Ecclesia est medium ordi-

narium, universale et perpetuum a Christo institutum ad ordinem supernaturalem in terris constituendum, atque ad salutem ejusdem ordinis promovendam, ut dictum est in Tract. *de Ecclesia*, n. 9-15. Proinde Christus omnibus diebus et usque ad consummationem seculi auxilium efficax ei largitur, ut sit columna et firmamentum veritatis, nec unquam adversus eam portæ inferi prævaleant; imo sicut sponsam diligit eam, atque ad illam nutriendam semetipsum tradidit, ut per hanc sponsam immaculatam sibi procreet filios in vitam æternam; Eph. 4, ℣ 11-16; 5, ℣ 25-27.

156. — Hinc 2. Deus cætera omnia ita movet et dirigit, ut bono Ecclesiæ inserviant, sive privati, sive principes, sive regna : et ita res ordinis naturalis ad supernaturalem ordinem reipsa ordinantur : « Ainsi, tous les grands empires que nous avons vus sur la terre, ont concouru par divers moyens au bien de la Religion et à la gloire de Dieu, comme Dieu lui-même l'a déclaré par ses prophètes..... Dieu ne déclare pas tous les jours ses volontés par ses prophètes touchant les rois et les monarchies, qu'il élève ou qu'il détruit; mais, l'ayant fait tant de fois dans ces grands empires dont nous venons de parler, il nous montre par ces exemples fameux ce qu'il fait dans tous les autres, etc. » Bossuet, *Disc, sur l'Hist. univers.*, 3ᵉ p., c. 1.

157. — Hinc 3. *justi affliguntur* in hac vita, sæpe sæpius autem *prosperantur impii.*

Etenim « justi in terris exercentur, quia Deus prævidet quod, si quieti ac *liberi* in tranquillitate persisterent, *tentationes ferre* adversarii *non valentes,* mentis prostrati vulneribus, *jacerent :* » S. Gregor., Papa, lib. 3. *Moral.*, c. 29. Unde *castigando et castrando seculo erudimur a Deo,* ait Tertull., et « tanquam in fornace probat justos Dominus, ut inveniat illos dignos se; sicque in paucis vexati, in multis bene disponantur; » Sap. 3, ℣ 5, 6. « Impios autem dimittit Deus secundum desideria cordis eorum : ideo ducunt in bonis dies suos, sed in puncto ad inferna descen-

dunt. » Ps. 80; Job, 21. « Dieu nous introduit dans le monde, où il nous fait paraître un ordre admirable, pour montrer que son ouvrage est conduit avec sagesse; où il laisse de dessein formé quelque désordre apparent, pour montrer qu'il *n'y a pas encore mis la dernière main*. Pourquoi? Pour nous tenir toujours en attente du grand jour de l'éternité, où toutes choses seront démêlées par une décision dernière et irrévocable; où Dieu, séparant encore une fois la lumière d'avec les ténèbres, mettra, par un dernier jugement, la justice et l'impiété dans les places qui leur sont dues; et alors, dit Salomon, ce sera le temps de chaque chose : « *Et tempus omnis rei tunc erit;* » Eccl., 3, ℣ 17. Bossuet, *Serm. sur la Providence*.

Et hæc de Deo sufficiant, quem, utinam! uti jam novimus, sic et amemus, et quidem multo magis; finis enim notitiæ Dei est Charitas.

FINIS TRACTATUS DE DEO.

TRACTATUS

DE SS. TRINITATE

EX SYMBOLO ATHANASIANO

1. — QUICUNQUE vult salvus esse, ante omnia opus est ut teneat catholicam fidem : quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit, absque dubio in æternum peribit.

2. — Fides autem catholica hæc est : ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur; neque confundentes personas, neque substantiam separantes.

3. — Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti.

4. — Sed Patris, et Filii, et Spiritus Sancti una est divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas.

Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus.

Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus Sanctus.

Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus Sanctus.

Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres æterni, sed unus æternus.

Sicut non tres increati, nec tres immensi, sed unus increatus, et unus immensus.

Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres omnipotentes, sed unus omnipotens.

Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres dii, sed unus est Deus.

Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres domini, sed unus est Dominus.

Quia sicut singillatim unamquamque personam, Deum ac

Dominum confiteri christiana veritate compellimur; ita tres deos aut dominos dicere catholica religione prohibemur.

5. — Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus.

6. — Filius a Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus.

7. — Spiritus Sanctus a Patre et Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.

8. — Unus ergo Pater, non tres Patres : unus Filius, non tres Filii : unus Spiritus Sanctus, non tres Spiritus Sancti.

9. — Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus; sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt et coæquales.

Ita ut per omnia, sicut jam supra dictum est, et Unitas in Trinitate, et Trinitas in Unitate veneranda sit.

Qui vult ergo salvus esse, ita de Trinitate sentiat.

OBJECTUM, UTILITAS ET DIVISIO TRACTATUS

10. — 1° Hactenus dictum est de Dei existentia, attributis et operationibus præsertim *ad extra*. Nunc vero de propria Dei *personalitate*, seu operationibus et vita ad *intra* agendum habemus. Porro hæc vita, atque ideo objectum hujusce Tractatus in præfato Symbolo integre contrahitur his verbis : « Fides autem catholica hæc est, ut *unum Deum* in *Trinitate*, et *Trinitatem* in *unitate* veneremur; neque *confundentes personas*, neque *substantiam separantes;* » vel, sicut canit Ecclesia : « Ut in *personis proprietas*, in *essentia unitas*, et in *majestate* adoretur *æqualitas*. »

2° Itaque, « nec *periculosius* alicubi *erratur*, nec *laboriosius* aliquid *quæritur*, nec *fructiosius* aliquid *invenitur*, » ait S. August. *de Trinit.* lib. 1, c. 3. Per hanc enim discussionem, ipsam Dei intimam constitutionem, actionem, vitam et consummatam perfectionem, seu quasi suiipsius secretum scrutari aggredimur.

3° Præterea finis supernaturalis, ad quem de facto destinantur rationales creaturæ, est participatio quædam ipsius

vitæ Dei ad intra, ut dicetur in Tract. *de Gratia*, n. 187, 194-96. Medium autem, per quod de facto illam participationem accipimus, est Incarnatio Verbi divini et per ipsum Redemptio, ut demonstratur in Tract. *de Incarn.*; et ideo præsens Tractatus, dum nos introducit in cognitionem vitæ Dei ad intra et ipsius personæ Verbi divini, eo ipso nobis suppeditat totius dogmatis christiani fundamentum atque consummationem, juxta illud : « *Pater*... hæc est *vita æterna, ut cognoscant te,* solum verum Deum, et quem misisti *Jesum Christum.* » Joan. 17, v. 1, 3. Atque adeo mysterium SS. Trinitatis mysteriorum omnium religionis christianæ gravissimum est, opus Evangelii et substantia Novi Testamenti, ut ait Tertull., *adv. Praxeam*, c. 31. Propterea præ cæteris hujus mysterii exigitur professio, in qua insuper tessera continetur ad distinguendum fideles ab infidelibus.

Tria erunt capita, de notione, de existentia, et de modo essendi SS. Trinitatis [1].

CAPUT PRIMUM

DE NOTIONE SS. TRINITATIS

In triplici articulo dicemus 1° de definitione SS. Trinitatis, 2° de erroribus circa idem fidei dogma, 3° de ejusdem convenientia.

ARTICULUS PRIMUS

De SS. Trinitatis definitione.

11. — Ad definitionem et evolutionem illius dogmatis, necesse est uti verbis ex se non ita perspicuis, quorum igitur præmittenda est accurata expositio, tum ut plenior

1. Circa Tractatum *de SS. Trinitate* consuli possunt S. Athanasii *varia opera contra Arianos*, et *Epist. ad Serapionem, de Spiritu Sancto.* — S. Hilarius, *de Trinitate.* — S. Augustinus, *de Trinitate.* — S. Thomas, 1 p., q. 27 usque ad q. 43. — Suarez, *de Mysterio Trinitatis.* — Petavius, *de Trinitate.* — Witassius, *de SS. Trinitate.* — Bossuet, *Trinité*, passim. — DD. Ginouilhac, *Hist. du Dogme catholique*, 2 vol. in-8°.

sit dicendorum intelligentia, tum ut facilius detegatur, tutiusque vitetur error. *Ex verbis* enim *inordinate prolatis, incurritur hæresis,* ait S. Hieronymus.

Porro vocabula in hoc Tractatu adhibenda, respiciunt vel unitatem *naturæ* divinæ, quæ et tribus personis sunt communia; vel *personas* seorsum sumptas, et illas propietates, quæ *personales* vocantur. Itaque hujusmodi vocabula in primis sunt *essentia, natura, substantia, suppositum, persona, relatio.*

12. — I. *Essentia,* etymologice ab *esse* dicitur, eo quod res in ea et per eam habet actum essendi. Per se exprimit quid simplex, nec definitione propria determinatur, sed explicatur, quatenus, scilicet, est principium alicujus entis constitutivum in determinata specie; id quod primo in re concipitur, et per quod res a cæteris aliis distinguitur; quod est veluti radix et principium intimum proprietatum, quæ in re sunt; quod respondet quæstioni *quid est,* ac sæpe designatur per vocem *quidditatis.* Sic essentia hominis est *animal rationale;* essentia Dei est *asseitas,* aut *intelligere actualissime,* aut *esse simpliciter,* ex dictis in Tract. *de Deo,* n. 36, 37.

13. — II. *Natura,* a verbo nasci, quasi nascitura, dicitur, quia ab ea nascitur operatio; atque est *rei essentia ad operationem ordinata,* seu *principium operationis unicuique enti existenti intrinsecum et permanens.*

Unde natura est radix ipsius facultatis operandi, in aliquo ente vere existente considerata, et hujusce entis vere et proprie constitutiva, atque permanens et immutabilis, sicut et ipsum ens quod constituit; ac proinde designat ipsam *substantiam,* prout *viribus idoneis ad exercendas proprias operationes instruitur;* Card. Zigliara, *Cosmol.,* 20. In hoc discrepat ab essentia, quæ significat *radicem proprietatum,* quæ in re sunt seu rei quidditatem, sive res existat, sive sit mere possibilis. Interdum tamen, sed improprie pro contingentibus, vox natura sumitur pro essentia.

In Deo autem natura prorsus idem est ac essentia. Nam

in Deo esse est necessarium, sub omni respectu actualissime, intrinsece repugnans cuicunque gradui possibilitatis tantum, ita ut in Deo quidditas idem sit ac ens in *actu* simpliciter, seu principium operationis divinæ semper et infinite *actuale*.

Præfatæ significationis *naturæ* usus receptissimus est apud SS. Patres, sive Græcos, sive Latinos, qui considerant operationes et actiones, velut notam et characterem naturæ. Eamdem notionem evolvimus in Tract. *de Gratia*, n. 59-63.

14. — III. *Substantia* dicitur a *substando accidentibus*, atque ordinarie accipitur pro eo, quod jugiter sub successivis modificationibus in entibus contingentibus idem perseverat, illis modificationibus substat, eas sustentat, eorumdem est principium, et cui ideo inhærent; dum ipsum ab alio non sustentatur, nec cuilibet inhæret uti modificatio quædam; et idcirco nuncupatur *subjectum*, *substantia*; dum modificationes, quæ illi accidunt, vocantur *accidentia*.

Cæterum patet subjectum, substantiam, qua talem, esse quid positivum; idem enim perseverare, se sustentare, principium esse accidentium, ea in se recipere, est quid melius quam esse successivum, sustentari ab alio, alteri inhærere, ab eo procedere; et ideo notio substantiæ est positiva.

Substantia considerari potest in se, vel ratione speciei.

In se, substantia est *simplex*, vel *composita*, prout indivisibilis, vel divisibilis est; v. g., Angelus, anima humana, anima brutorum est substantia simplex; corpus autem humanum est substantia composita.

Ratione *speciei* seu naturæ, intrinseci principii operationis, substantia, sive in se simplex, sive composita, est completa, vel incompleta, prout potest, necne, per semetipsam totaliter exercere operationes sibi proprias et specificas, et ideo prout non est, vel est cum alio ad componendam naturam aliquam specificam. Sic, v. g., substantia Angeli per se sola exercet operationes specificas Angeli, nec proinde cum alia componitur ad illas opera-

tiones; et ideo est substantia per se completa ratione speciei angelicæ. Anima vero humana per se non potest totaliter exercere operationes speciei humanæ, sed ad hoc cum corpore componit humanam naturam; et ideo ratione speciei illius substantia animæ est incompleta.

Jam vero 1. in Deo nulla adest modificatio successiva, nec ei quidquam accidit; sed est ens necessarium quoad esse et essendi modum, ideoque immutabile ob infinitam entis plenitudinem; ergo in Deo substantia idem est ac essentia. Quare Conc. Later, IV hæc declarat: « Quælibet personarum divinarum est illa res, videlicet, *substantia, essentia,* sive *natura.* Ad summum in Deo substantia significare posset ipsam essentiam quatenus opponitur ad modos essendi ex se essentialiter *permanentes,* qui tres personas in Deo constituunt, ex subsequentibus.

2. In Deo substantia est ex se omnino simplex, utpote omni compositioni essentialiter repugnans, ex dictis in Tract. *de Deo,* n. 73, 74.

3. Completa est etiam substantia divina ratione speciei, seu totaliter sibi sufficit ad exercendas operationes specificas, nec ad hoc cum alio quolibet componitur, ex dictis contra Pantheistas in Tract. *de Deo,* n. 30. Revera, cum divina substantia sit infinita, evidenter patet ad operationem etiam infinitam per se totaliter sufficere, nec quidquam ad hujusmodi operationem conferre posse finitas substantias.

15. — IV. *Suppositum est substantia completa et sui juris.* Et quidem *completa,* sive simplex, sive composita, quatenus ut modo dictum est, n. 14, per se totaliter exercere potest, et de facto exercet omnes operationes speciei propriæ.

Sed etiam *sui juris,* eo sensu quod illæ operationes, nec ipsa substantia, a qua procedunt, alteri non imputantur, nec ad alterum ultimo referuntur, sed ultimo tribuuntur et imputantur ipsi substantiæ, quæ eas producit, et quæ ideo habet dominium et sui et suarum operationum. Sic, v. g., arbor et suiipsius, et omnium, quæ in ipso perficiuntur, jus seu dominium habet, non vero alter arbor; similiter

Petro tribuuntur ejus anima et corpus, et omnia quæ ab utroque perficiuntur, non vero Paulo.

Hujusmodi substantia hoc modo sui juris, dicitur *suppositum*, quia supponitur omnibus aliis tam accidentibus, tam substantiis universalibus, uti ultimum subjectum prædicationis. Suppositum igitur idem est ac *individuum* seu *individua substantia*; individuum autem est, quod est in se indictinctum, ab aliis vero distinctum; S. Th. 1 p. q. 29, a. 4. Posita enim suppositalitate, substantia non est pars cujusdam individui, sed ipsa individuum constituit.

Ratio qua substantia, sive simplex, sive composita fit perfecte subsistens seu sui juris, abstracte sumpta, dicitur *subsistentia*; ipsamet subsistentia concrete accepta, vocatur *suppositum*.

Nec suppositalitas, qua talis, est mera negativa unionis cum altero, cui tribuatur substantia aliqua, ut existimarunt Scotus, Card. Gerdil. *Ontol.*, q. 1, c. 4, et alii. Equidem negatio unionis cum altero, a quo perficiatur, est conditio suppositalitatis, ut dicetur, in Tract. *de Incarn.*, n. 39; at, posita illa conditione, suppositalitas in se sumpta non est quid mere negativum. Nam esse sui juris, habere dominium sui ac suarum operationum, est quid in se positivum, ut per se patet, atque ex rei natura melius est esse sui juris, ac juris alterius.

Revera, essentiæ si addatur ratio independentiæ a subjecto in existendo, efficitur *substantia* respectu accidentium; si insuper addatur ratio essendi sui juris et non alterius, adest major entitatis explicatio seu suppositum, subsistentia.

« Persona, inquit S. Th., 1 p. q. 29, a. 3, significat id quod est perfectissimum in tota natura, scilicet, subsistens in rationali natura; » et ideo ipsa subsistentia per se est quid perfectionis.

Cæterum, hæc quæstio movetur tantum de contingentibus. In essentia enim divina suppositalitas seu personalitas constituit ipsam intrinsecam Dei vitam per tres personas divinas, ex subsequentibus; ac proinde in Deo suppositalitas est quid infinite positivum.

Duplex est suppositi species, unum sine intellectu, quod

nomine generico *suppositi* designatur; alterum intellectu præditum, quod *persona* nuncupatur.

16. — V. *Persona* est *suppositum intellectu præditum*, S. Th., 1 p., q. 29, a. 1. Unde persona continet quidquid constituit suppositum, sed insuper facultatem, qua quis possit suiipsius habere conscientiam, suamque ideo existentiam, sui ac suarum operationum dominium sibi testificari, atque dicere *ego;* v. g., homo, Angelus. Nec, ut constituatur persona, requiritur actuale exercitium intellectus; alioquin puer ante usum rationis, adultus, dum dormit, eo ipso non esset persona, sed mere suppositum, uti arbor, animal.

Præfatum dominium sui cum facultate intellectuali, dicitur *personalitas*. Ipsa autem substantia individua et intelligens, nuncupatur *hypostasis*, *persona*.

Equidem, in primis Ecclesiæ seculis, verba φυσις, υποστασις, προσωπον, nunc ad naturam, nunc ad substantiam, nunc ad personam exprimendam adhibebantur. Hoc præcisionis defectu abusi sunt hæretici, et ideo Ecclesia definivit illorum verborum theologicum sensum, cui deinceps standum est, nempe φυσις naturam, προσωπον, υποστασις suppositum vel personam designant apud Theologos [1]. Notio personæ fusius evolvitur in Tract. *de Incarn.*, n. 34 et seq.

17. — VI. *Relatio* est *respectus* seu *habitudo, ordo unius ad alterum*. Unde, 1. in relatione adest *distinctio* simul et *unio*: *distinctio* quidem seu pluralitas, cum requiratur subjectum

1. Nomen *persona* traductum est ex his personis (masques de théâtre, qui couvraient toute la tête), quæ in comœdiis tragœdiisque quosdam homines repræsentabant; unde hoc nomen dictum est a *personando*, quia concavitate ipsa major necesse est ut evolvatur sonus. Græci vero has personas προσωπα vocabant, ab eo quod ponuntur in facie, atque ante oculos obtegunt vultum.

Jam vero, quia in comœdiis et tragœdiis repræsentabantur aliqui homines dignitate excellentes, ut reges et magnates, impositum est nomen *persona* ad significandum aliquos dignitatem habentes; unde consueverunt dici *personæ* in Ecclesiis, quæ habent aliquam dignitatem : porro magnæ dignitatis est in rationali natura subsistere; et ideo omne individuum rationalis naturæ dicitur *persona*. S. Th. 1 p., q. 29, a. 3.

respiciens, et objectum respectum; *unio* etiam, cum subjectum respiciens ut sic esse non possit sine objecto respecto. Sic, v. g., pater distinguitur a filio; uniuntur tamen per generationem activam in patre, et passivam in filio.

2. Ex triplici elemento resultat relatio, nempe, ex *subjecto*, *termino* ac *fundamento*. Subjectum est illud quod ad aliud refertur, seu quod est respiciens; terminus est illud, ad quod respicit subjectum; fundamentum est illud, quo subjectum ad terminum ordinem habet, seu quo subjectum respicit terminum; v. g., pater est subjectum, filius est terminus, generatio activa in patre, et passiva in filio, est fundamentum paternitatis et filiationis. Subjectum et terminus sæpe vocantur *termini* vel *extrema* relationis.

3. Proinde distinctio inter illos, est *conditio sine qua non* relationis; unio autem inter illos, relationem proprie constituit. Ad realem igitur relationem constituendam, non requiritur quod distinctio et unio sint inter duas substantias, sed sufficit quod utraque sit realis inter modos ejusdem substantiæ : et tales relationes in divina essentia fide nobis revelantur.

Relatio est *increata* vel *creata* : prior existit in Deo inter divinas personas, et de ea agitur in præsenti Tractatu; posterior existit inter Creatorem et creaturam, vel inter ipsas res creatas. De relatione creata agitur in variis Theologiæ partibus.

18. — *Quæritur* 1° an sit *personalitas* in Deo?

Resp. Affirmative, et fide est. Etenim ex dictis in Tract. *de Deo*, n. 30, contra Pantheistas, Deus in sua propria substantia, individualitate et personalitate a qualibet alia prorsus distincta, existit. Revera, ex modo dictis, substantia divina est completa ratione speciei, quatenus sibi sufficit ad totaliter perficiendas operationes sibi proprias ac specificas seu infinitas.

Insuper eadem substantia seu essentia est sui juris, siquidem repugnat substantiam infinitam alteri seu alicui finito tribui et ad alterum referri.

Demum, eadem substantia est infinito intellectu prædicta,

cum suum esse sit omnimoda perfectio, ex dictis in Tract. *de Deo*, 36, 37. Ergo substantia divina est infinite sui juris cum infinita intelligentia, seu in Deo substantia est infinite subsistens. « Persona, ut ait S. Th., 1 p. q. 29, a. 3, significat id quod est perfectissimum in tota natura, scilicet, subsistens in rationali natura. Unde, cum omne illud, quod est perfectionis, Deo sit attribuendum, eo quod ejus essentia continet in se omnem perfectionem, conveniens est, ut hoc nomen *persona* de Deo dicatur; non tamen eodem modo, quo dicitur de creaturis, sed excellentiori modo, sicut et alia nomina, quæ creaturis a nobis imposita, Deo tribuuntur. »

Nec refert quod nomen *personæ* in Scripturis non inveniatur de Deo dictum; res enim ipsa ubique asseritur, dum Deus passim exhibetur uti Esse simpliciter, omnium creator, Dominus ac finis ultimus, perfectissime intelligens ac proprio nomine vivens et operans. S. Th. *de Potent.*, q. 9, a. 3.

19. — *Quæritur* 2° *quid sit* persona in Deo?

Resp. Persona in Deo est *relatio ut subsistens;* S. Th. 1. p., q. 29, a. 4. Scilicet, in Deo tres sunt personæ, ex infra dicendis : porro, ex una parte, in Deo triplex non potest esse substantia; et ideo necesse est quod tres illæ personæ nihil aliud sint quam modi reales ejusdem substantiæ divinæ; ex altera parte, modi reales in divina substantia non possunt esse nisi operationum divinarum termini ipsi substantiæ divinæ intrinseci, seu relationes quædam immanentes; ergo persona in Deo est relatio ut subsistens, seu divinæ operationis terminus intrinsecus et immanens, in dignitate personæ constitutus.

Unde persona in Deo non eodem modo se habet ac in creaturis; siquidem 1. in creaturis persona nunquam est ipse terminus intrinsecus ipsius operationis creaturæ, nec ideo relatio ut subsistens, sed status independentiæ ipsius substantiæ completæ cum intelligentia; 2. in creatis natura seu substantia completa pro numero personarum multiplicatur; in Deo autem natura non solum est infinita,

sed, dum manet numero una, par est pluribus personis constituendis. Notio personæ in Deo evolvitur per totum præsentis Tractatus decursum.

20. — *Quæritur* 3° *quomodo definiatur* dogma SS. Trinitatis?

Resp. Illud dogma definiri potest : *Deus* seu *essentia divina in tribus personis*, seu in tribus relationibus ut subsistentibus. Unde in duobus positum est illud mysterium : 1. quod tres personæ sint in Deo realiter distinctæ; 2. quod illæ tres personæ unam eamdemque naturam, divinam scilicet, habeant; atque ideo sit personarum Trinitas in unitate essentiæ divinæ, juxta symbolum Athanas., n. 10.

Ad significandum mysterium illud, apte inventa est vox, *Trinitas*, quæ, secundum etymologiam, significat unam essentiam trium porsonarum, seu *trium unitatem;* juxta autem proprietatem vocabuli, significat magis numerum personarum unius essentiæ. S. Th. 1 p., q. 31, a. 1, ad 1. Vocabulum Τριας, *ternio, ternarium* primum invenitur in libris S. Theophili Antiocheni; deinde fuit sæpius usurpatum a Theologis Alexandrinis, ac apud Ecclesiam græcam prævaluit post concilium Alex. an. 317. Formula *Trinitas unius Divinitatis*, *Trinitas unitas*, primum legitur apud Tertullianum, *Adv. Prax.*, c. 2, 3, 12, *Pudic.* 21; et exinde vox *Trinitas* vulgaris facta est in Ecclesia Latina.

Dogmata enim non fuerunt revelata sub forma scientifica, sed historice et sæpe per partes, ita ut, ad complectendum integrum tenorem alicujus mysterii, plura Scripturæ loca et Traditionis monumenta congerere haud raro necessarium sit. Unde factum est ut, quod ab initio docebatur sub verbis ipsius Revelationis, paulatim et cogentibus tum innato nobis generalizandi instinctu, tum ethnicorum et hæreticorum subtilitatibus philosophicis, formas ceperit induere scientificas seu abstractas. Sic initio credebatur simpliciter esse Deum unum, Patrem, Filium et Spiritum Sanctum. Quæ vero essentiæ unitas in tribus personis vocabulo scientifico *Trinitatis* decursu temporum congrue fuit expressa.

ARTICULUS II

De præcipuis erroribus circa dogma SS. Trinitatis.

21. — *Ratio hujus articuli.* Expositione errorum ac proinde authenticarum declarationum, quibus notio et definitio alicujus dogmatis fuit adulterata aut propugnata, melius hæc notio intelligitur, tutius præcavetur error et efficacius refellitur, faciliusque intelliguntur testimonia, quibus illud dogma asseritur atque vindicatur; ergo hic præcipuos errores circa SS. Trinitatis mysterium breviter recensere, non supervacaneum duximus.

Errores autem circa præsens dogma spectant vel *existentiam* trium personarum in Deo, vel harum personarum *modum* essendi.

22. — I. *Errores circa existentiam trium personarum in Deo.* Quadruplex præcipuus error asseri potest circa hoc punctum, scilicet, vel affirmatur unicam tantum personam esse in essentia divina; vel secundam personam non esse divinam, sed meram creaturam; vel tertiam personam non esse divinam, sed creaturam; vel tres personas ad unam et eamdem essentiam non pertinere, sed distinctam, atque ideo tres constituere.

Porro his omnibus modis impugnata fuit existentia trium personarum in Deo, nimirum, ab Unitariis, Arianis, Macedonianis, et Tritheitis.

23. — 1° *Unitarii.* Hoc nomine comprehenduntur illi omnes, qui unicam in Deo admisere personam, tribus nominibus, Patris, Filii et Spiritus Sancti, insignitam, pro diversitate officiorum; ita inter alios judæi, Mahumetani, Modalistæ, Sociniani, Rationalistæ.

1. Judæi, cum rejiciant Jesum Christum esse Filium Dei, negant ipsam in Deo personarum Trinitatem, ex dictis in Tract. *de Revel.*, n. 22, 170.

Mahumetani autem, dum confitentur Jesum Christum fuisse a Deo missum, simul ejus divinitatem non agnoscunt, atque in Deo esse unam tantum personam contendunt; *ibid.*, n. 23.

2. *Modalistæ* Patrem, Filium et Spiritum Sanctum perhibent uti formas, modos essendi ac manifestationes unius et ejusdem personæ divinæ, sicut cogitatio, volitio, verbum sunt varii modi ac manifestationes animæ humanæ. Iidem dicti sunt *patripassiani*, eo quod Patrem incarnatum et passum esse asserebant.

Modalismus originem duxit a Simone mago, quem verbo, sanctitate, miraculis pœnisque confutavit ipse B. Petrus. Eumdem errorem asseruit Praxeas, quem reffellit Tertullianus; Noetus, Sabellius, an. 260, quem impugnavit S. Basilius, Epist. 64; Photinus, Paulus, Samosatenus. De illis plerisque loquitur S. Epiphan.. *de Hæres.*

3. Sociniani, ab eorum duce Lælio Socino nuncupati, errores jam diu obsoletos instauravere, XVI Ecclesiæ seculo, unicam tantum in Deo personam admittendo. Unde, juxta eosdem, Christus est mere Propheta in veteri lege promissus, qui genus humanum suis exemplis informaret; Spiritus Sanctus vero, nihil aliud est quam energia seu virtus et operatio divina. Ita etiam Grotius et inter protestantes non pauci.

4. *Rationalistæ*, quorum errores circa doctrinam Christianam, fusius exponuntur in Tract. *de Incarn.* n. 54, et *de Gratia,* n. 125, unicam solummodo personam in Deo agnoscunt, Trinitatemque ut rationi repugnantem, et ut a platonicis doctrinis exortum commentum respuunt. Attamen, ut ignaris fucum faciant, verba a Theologia catholica usurpata retinent, atque dicunt *Verbum* nihil aliud esse quam ipsum Deum, quatenus per lumen intellectus et conscientiæ omnem hominem illuminat; *Spiritum Sanctum* autem esse ipsum Deum, utpote entibus motum atque vitam spirat.

24. — 2° *Ariani* auctorem habuere Arium, presbyterum Alexandrinum, qui anno 319, blasphemando asserere ausus est, Verbum Dei meram esse creaturam, ante omnia secula e nihilo a Patre eductam, virtute cujus, tanquam causæ instrumentalis, mundus creatus fuit; atque ideo Filium Dei esse natura et dignitate inferiorem Patre, nec Fi-

lium nisi gratia, nec Deum nisi sensu improprie dicto et nomine tenus.

Orta est igitur hæresis Ariana ex illo principio, partim gnostico, partim ethnico, n. 31, quod Deus, præ nimia suæ naturæ excellentia, mundum nequeat producere aut regere, nisi per interventum alicujus mediatoris seu demiurgi, a Deo ipso substantialiter distincti, cæterisque omnibus entibus superioris.

Damnatus est Arius ejusque hæresis in Concilio Nicæno, an. 325, in quo asserta fuit divinitas Verbi, et vox ομοουσιος *consusbstantialis*, Symbolo inserta. Præ cæteris S. Athanasius illud Concilium promovit, atque dogma catholicum disertissima doctrina et invincibili fortitudine vindicavit.

Cæterum, vocis ομοουσιος usus relate ad personas divinas antiquior est concilio Nicæno, ut constat ex epist. Dionys. Alex. ad Dionys. Rom., an 260; vide Petavium, lib. 4, c. 5, Vox hujusmodi ad Deum translata, propter *conditionem subjecti*, unitatem significat *singularitatis*, simulque omnem imperfectionem excludit, quæ in creaturis, quæ consubstantiales dicuntur, reperiri solent. Nec refert quod illa vox in Scripturis non legatur. Nam « quid est contentiosius, inquit S. August., *Epist.* 88, 174, quam ubi de re constat, certare de nomine? Et, si verbum scriptum in lege ipsum non invenitur, res ipsa tamen invenitur. »

Damnati a Concilio Nicæno, Ariani omnes in his tribus inter se consenserunt, scilicet, Concilii auctoritatem elevarunt; ab hujus tamen Symbolo amoverunt saltem vocem ομοουσιος, quæ omnem æquivocationem excludebat; tandem S. Athanasium opprimere omni studio et quacunque via conati sunt.

At simul in duas sectas divisi sunt, in *Arianos* rigidos, et in *Semi-Arianos*. Priores Arii doctrinam absque æquivocatione aut vocis temperamento retinebant, atque asserebant Filium esse Patri ανομοιον, *dissimilem;* unde *Anomei* dicti sunt. Nuncupantur quoque *Aetiani* vel *Eunomiani*, ab Aetio et Eunomio hujus factionis principibus.

Semi-Ariani in duas fractiones iterum scissi sunt : alii quippe confitebantur Filium esse Patri *substantia similem*,

ομοιουσιον, atque adeo non detrectabant ei concedere æternitatem, immutabilitatem, filiationem divinam, imo et divinitatem, modo non adigerentur ad tollendum ab ομοιουσιω unum iota.

Alii vero, ut declinarent consequentias et inconsequentias, Filium dicebant pure et simpliciter Patri *similem* ομοιον, absque ulla mentione substantiæ, nec quærendum esse contendebant in qua sita foret ista similitudo.

25. — 3° *Macedoniani* originem trahunt a Macedonio, qui primum arianus, atque, promoventibus Arianis, ut Archiepiscopus Constantinopolitanus electus, an. 432, paulo post divinitatem Verbi contra Arianos asseruit; contra vero Catholicos contendit Spiritum Sanctum non esse personam divinam, sed tantum creaturam, aliis quidem perfectiorem, sed natura et dignitate longe Deo inferiorem, atque ministrum donorum Dei.

Arianorum et Macedonii placita sequuntur Sociniani et Rationalistæ, dum Filium et Spiritum Sanctum creaturas esse asserunt.

26. — 4° *Tritheitæ*, quórum dux fuit Philoponus, celebris vi Ecclesiæ seculo philosophus, totidem naturas in Deo quot sunt personæ, admittebant, ac proinde tres Deos similes quidem, sed vere distinctos profitebantur.

Eumdem errorem tenuerunt Roscellinus, a S. Anselmo confutatus, *de Fide Trinit.*; duodecimo seculo, Gilbertus Porretus, Joachim, abbas ordinis Cirterciensium. Hic enim in Tractatu contra Petrum Lombardum, *de unitate seu essentia Trinitatis*, contendit Patrem, Filium et Spiritum Sanctum esse unam essentiam, unam substantiam, unam naturam consensione et voluntate tantum, seu unitate collectiva et similitudinaria, quemadmodum multi homines dicuntur unus populus, et multi fideles una Ecclesia. Hujusmodi systema uti hæreticum damnatum est a Conc. Later iv, an. 1215.

Talem errorem nostris diebus proposuit Antonius Gunther, in Germania. Aperte enim docet unitatem divinæ na-

turæ non esse numericam realem, sed tres esse substantias identicas sive personas. Libri Gontheri ab auctoritate Ecclesiastica fuerunt proscripti, signanter a Pio IX, 17 jun. 1857; atque huic judicio humiliter auctor sese subjecit.

27. — II. *Errores circa modum essendi trium personarum in Deo.*

In hac materia errarunt præcipue Harduinus, asserendo Verbum a Patre per veram generationem non procedere, et Photius rejiciendo processionem Spiritus Sancti a Filio. Hæc fusius exponuntur, n. 57, 68.

ARTICULUS III

De convenientia dogmatis SS. Trinitatis.

28. — Convenientia seu possibilitas est positiva vel negativa : prior est convenientia percepta inter duos terminos ; posterior vero consistit in eo quod nulla repugnantia inter duos terminos percipitur.

PROPOSITIO PRIMA

29. — *Nulla repugnantia percipitur in dogmate SS. Trinitatis.* Certum est.

Etenim, ex dictis n. 20, hoc dogma in hac propositione enuntiatur : *Tres sunt personæ in essentia divina ;* id est, eadem et una essentia terminatur triplici *modo* personali, seu triplici modo habet dominium sui cum conscientia : porro, inter unitatem essentiæ et triplicem modum personalem, seu triplex dominium sui cum conscientia, nulla apprehenditur repugnantia ; ergo illud dogma rationi non repugnat

Et vero 1. repugnat quidem tria esse unum sub eodem respectu, seu tria individua esse unum individuum ; non vero repugnat tria esse unum sub diverso respectu, v. g., tres *modos* personales esse in uno et eodem individuo.

Similiter repugnat tria esse eadem uni tertio, quin sint eadem inter se sub eo respectu, quo sunt eadem uni tertio ; at non exinde sequitur quod sint eadem sub alio quocunque respectu : sic, ex eo quod tres modi personales in Deo

sunt iidem ratione essentiæ, quæ his tribus modis communis est, concludi non potest quod sint iidem ratione personalitatis, quæ illos proprie constituit, et ab invicem distinguit. Ergo nulla percipitur repugnantia in dogmate SS. Trinitatis.

2. Dogma Trinitatis a novemdecim seculis creditur in toto mundo, a doctis et rudibus : atqui repugnat dogma evidenter absurdum, præjudiciis et passionibus non favens, tam universaliter et constanter credi ; ergo illud dogma rationi non repugnat.

3. Ex dicendis, dogma SS. Trinitatis fuit a Deo revelatum : porro, quod Deus revelat, non est absurdum ; ergo, etc.

PROPOSITIO II

30. — *Positiva convenientia dogmatis SS. Trinitatis sola ratione et cum certitudine non demonstratur.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* in qua hoc dogma proponitur tanquam omnino abditum, quod sola revelatione cognosci potuit. « *Deum nemo vidit unquam;* Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, *ipse enarravit;* » Joan. 1, ℣ 17, 18; — « Nemo novit Filium nisi Pater, neque patrem quis novit, nisi Filius, et *cui voluerit Filius revelare.* » Matth. 11. ℣ 27; 1 Cor. 2.

2° *Traditione.* Veritatem hanc docent et exaggerant Patres omnes scribentes de hoc dogmate. « Deum esse Trinitatem *credimus*, potiusquam *videmus*, » S. August., *de Trinit.* lib. 15, c. 6. Ita etiam S. Athan. *in Epist., ad Serapion.;* S. Dionys., de *div. Nom.* c. 2 ; — S. Gregor. Naz., *Orationes Theol.* Vide Patrum testimonia apud Thomassin. *de Trinit.*, c. 1. Idem docent omnes Theologi, testibus Suarez, *de Trinit.* lib. 1, c. 11 ; S. Th. 1 p. q. 32, a. 1.

3° *Ratione.* Omnis demonstratio rationalis fit vel ex ipsa rei essentia, vel a priori, seu per causam, vel a posteriori seu per effectum : atqui, in præsenti materia, demonstratio *certa* statui nequit ullo ex illis modis.

Non 1. ex Dei *essentia*, quæ ratione percipitur uti ens a se, vel tanquam intelligere actualissime, vel ut ens simpli-

citer, non vero tanquam exigens trinam relativam subsistentiam, ex dicendis, n. 36.

2. Nec *a priori*. Ad intimam enim Dei constitutionem et vitam, ac proinde ad modos essentiæ divinæ personales nulla requiritur, nec possibilis est causa proprie dicta.

Nec *a posteriori*. Namque nullus est effectus Dei ad extra, qui proprius sit alicui personæ SS. Trinitatis, et ad cognitionem illius nos quasi manu ducere possit; omnis enim effectus ad extra est a Deo præcise ut uno in natura; ergo per rationem naturalem cognosci possunt de Deo ea, quæ pertinent ad unitatem essentiæ, non autem ea quæ pertinent ad distinctionem personarum. — « Virtus creativa Dei est communis toti Trinitati, inquit S. Th., *ibid.*; unde pertinet ad unitatem essentiæ, non ad distinctionem personarum; per rationem igitur naturalem cognosci non possunt de Deo ea, quæ pertinent ad distinctionem personarum. »

Et vero, omnis creatura est a Deo quatenus omnipotente: atqui omnipotentia ad naturam ipsam pertinet, quæ una est, non vero spectat ad personarum distinctionem; unde vulgatum axioma: *opera Trinitatis ad extra indivisa sunt;* ergo nullus est effectus singulis personis SS. Trinitatis proprius, per quem illæ cum certitudine demonstrari queant.

31. — *Quæritur* autem 1° an, absque revelatione, possit ratio saltem excogitare dogma SS. Trinitatis cum aliquo assensu *probabili,* vel opinativo, aut formidoloso?

Resp. negative. Etenim 1° ita sentiunt omnes Theologi ait Suarez. *de Trinit.* lib. 1, c. 11, ut modo dictum est.

2° Constans experientia demonstrat verum illius dogmatis conceptum, non solum acquiri non posse absque revelatione, sed nec etiam ejus revelationem saltem in sua integritate conservari, absque auxilio concomitantis magisterii infallibilis in Ecclesia catholica vigentis. Hoc satis ostendunt errores multiplices et absurdi jam expositi, in quibus impegerunt hæretici, qui vulgarem factam hujus

mysterii notionem, contra mentem Ecclesiæ et proprio marte determinare attentarunt.

3° Nullum est in natura principium, ex quo possimus in tanti mysterii suspicionem, nedum probabilem assensionem pervenire, ex dictis, n. 30.

Nec in contrarium afferri possunt opiniones quorumdam veterum philosophorum illi dogmati plus minusve affines. Etenim objecta systemata sunt Platonis, Philonis et Alexandrinorum.

1. Systema Platonis, quod præcipue in *Timæo* exponitur, ad hæc quatuor reduci potest : scilicet. 1. Deus ab æterno existit omnibus donatus perfectionibus, et simul etiam ab æterno existit materia informis et inordinata; 2. in Deo vel cum Deo est λογος seu ratio; 3. est et Archetypum mundi, quem vocat *animal sempiternum, ideas, imagines Dei intelligentis, unigenitum Dei, Deum secundum*; 4. Deus fecit hunc mundum, cujus pars sumus, applicando materiæ informi Archetypum prædictum cum anima sua, quæ sic facta est anima in totum mundum diffusa et in singulos individuos distributa.

Porro nullibi asserit Plato λογον et animam Archetypi mundo communicandam, esse duas personas a se invicem et a Deo realiter distinctas, et æquales tam inter se, quam cum Deo. Et revera, qualificationes supra relatæ, animal sempiternum, imago Dei intelligentis, unigenitus Dei, Deus secundus, ab illo philosopho non applicantur λογῳ, sed tantum mundo intelligibili, quatenus in sua exsecutione Deum repræsentat, ut opus architecturæ mentem repræsentat, a qua procedit. S. Th., 1 p. q. 32, a. 1, ad 3; vide Tract. *de Deo*, n. 34, III.

Equidem SS. Patres non pauci asserunt Platonem admisisse in Deo divinum Verbum, per quod omnia fecit et ordinavit; vel etiam asseruisse in Deo tres esse personas, a quibus omnia principium habent, ita Euseb. *de Præparat. Evang.*, lib. 11, c. 10; S. August., *Confess.*, lib. 7, c. 9; S. Cyrill. Alex., *Cont. Julian.*, lib. 1, 2; S. Justinus *in Apolog. secunda*.

At iidem Patres et alii plures simul affirmant Platonem

illam doctrinam accepisse vel ex aliqua traditione aut fide humana, orta saltem remote ex divina revelatione; vel probabilius notitiam SS. Trinitatis confusam hausisse in libris Vet. Testamenti et in traditione Hebræorum, cum quibus conversati sunt antiqui philosophi. Ita Eusebius, S. Justinus, S. Cyrillus, S. August., *de Civit.*, lib. 18, c. 27, *de Doct. Christ.*, lib. 2, c. 28; Theodoret, in libris adversus Græcos; Suarez, *de Trinit.*, lib. 1, c. 9, Vide Tract. *de Revelat.*, p. 171, ad *notam*. Ergo, licet Plato aliquid de SS. Trinitate suspicasset, non exinde sequeretur solam rationem posse ad illud dogma cum probabili assensione pervenire. « De subsistentia Spiritus Sancti, inquit Origenes, *de Princip.*, lib. 1, c. 3, ne suspicionem quidem ullam habere quis potuit, præter eos qui in lege et prophetis versati sunt, vel eos qui se Christo credere confitentur. » — « Platonici non ponebant aliquam substantiam separatam, quæ videretur Spiritui Sancto respondere. » S. Th., *ibid.*

2. Juxta Philonem judæum, qui primo seculo vivebat, quatuor sunt in Divino termini, Deus supremus, Verbum seu λόγος, potentia creatrix, et potentia rectrix.

Porro non constat an agnoverit Verbum ut personam omnino distinctam; si vero ita sit, certe illam doctrinam a judaica traditione accepit. Præterea, vel potentia creatrix et potentia rectrix sunt personaliter distinctæ a Deo supremo et a Verbo, vel sunt mera divina attributa : si prius, in Deo erit quaternitas; si posterius, dualitas tantum, nunquam Trinitas.

3. Denique Alexandrinorum systema, cujus evulgatio prima vix præcessit finem seculi tertii, in his contrahitur : supra universa entia, ex quibus coalescit totus mundus, tres exstant hypostases, quæ rebus omnibus dant principium. Prima est *Unitas* simplex et ita absoluta, ut qualibet determinatione destrueretur ejus conceptus; secunda est *Intelligentia* immobilis, continens archetypum totius mundi, in cujus contemplatione figitur; tertia est *Anima* supramundana, seu Demiurgus, ex cujus activitate mundus ipse emanat eadem prorsus necessitate cæca, ac ipsa emanat a secunda hypostasi, et hæc rursus a prima.

Ergo, ex hoc systemate, mundus ipse tam divinus est ac tres priores hypostases, et proinde in Deo est quaternitas. Insuper, ex eodem systemate, quatuor illæ divinæ emanationes de perfectiori ad minus perfectum procedunt; ergo præfatæ hypostases non sunt æquales inter se, nec æque perfectæ ac divinæ, nec ideo in una et eadem essentia subsistuut; ac proinde ne minima quidem detegi potest affinitas inter Trinitatem catholicam et Neoplatonicorum somnia in Enneadibus Plotini contenta, quæ potissimum appellant Rationalistæ in patrocinium suæ hypothesis antichristianæ.

Proinde « Philosophi antiqui non cognoverunt mysterium Trinitatis personarum divinarum per propria, quæ sunt paternitas, filiatio et processio, secundum illud Apost., I Cor. 2 : *Loquimur Dei sapientiam, quam nemo principum hujus seculi cognovit*, id est philosophorum. » S. Th,, 1 p. q. 32, a. 1, ad 1.

Plane igitur absonum est contendere cum Rationalistis, Scriptores sacros et SS. Patres doctrinam de Trinitate mutuasse ex philosophia platonica. Et revera, præterquam quod nullo modo probatur hujusmodi assertio, nec probari potest, e contra hæc quatuor explorata sunt, scilicet : 1. non aliunde veteres hæreses circa hoc mysterium ortas esse, quam ex eo quod voluerint earum auctores ad philosophorum placita revocare simplicitatem fidei; 2. veteres Patres, qui passim platonismi ab adversariis nostris accusantur, summopere abhorruisse in rebus fidei ab illis placitis; 3. eos doctrinam de Trinitate constanter repetere ex traditione divina in sacris litteris fundata; 4. eosdem Patres unanimiter affirmare philosophos Gentiles, posito quod aliquid in scriptis suis de SS. Trinitate adumbraverint, totum a commercio cum Hebræis accepisse, ex dictis, n. 31. Vide Petav. *de Trinit.*, lib. 1, c. 12; Baltus, *Défense des SS. Pères accusés de Platonisme;* DD. Ginoulhiac, lib. 12, c. 9, 10, 11.

Cæterum, si apologetæ religionis Christianæ dogma Trinitatis vel divinitatis Filii invexissent, ipsimet sibi creassent maximam difficultatem adversus religionis fidem,

quam defendendam susceperant : atqui nemo, qui alicui causæ patrocinatur, eamdem sibi difficiliorem efficit ; ergo tuebantur Trinitatem aut divinitatem Christi, quia hanc fidem ab Apostolis acceperant.

32. — *Quæritur* 2° an, supposita Revelatione, dogma SS. Trinitatis sit *intelligibile?*

Resp. affirmative. Etenim illud est intelligibile, quod menti exhibet rei significatæ ideam sufficientem, ut res illa ab aliis omnibus rebus discernatur : atqui hæc res sic enuntiata : *Tres sunt personæ in essentia divina*, sufficienter determinatur et intelligitur, ut a qualibet alia discernatur ; ergo dogma, de quo agitur, est intelligibile.

Et vero, ut res sit intelligibilis, non requiritur quod comprehendatur, seu quod ejus idea complete illam repræsentet ; sed sufficit ut apprehendatur sub aliquo respectu, quo a qualibet alia discrepat : sic intelligibile est infinitum, quia, licet non apprehendamus omnia quæ in se includit, illud tamen distinguimus ab omni finito et indefinito.

33. — *Quæritur* 3° an, supposita Revelatione, dogma SS. Trinitatis possit ratione demonstrari?

Resp. Affirmativam sententiam propugnarunt Abelardus, Richardus Victorinus, apud S. Th., 1 p. q. 32, a. 1, ad 2, Henricus Gandegavensis, Claud. Mamert, Raymund. Lullensis, nostro seculo Mastrofini Romanus, Antonius Gunther in Germania. Contrarium docent communiter Theologi, ob rationes jam allatas n. 30, 31. Attamen, supposita revelatione et fide illius dogmatis, possunt rationes afferri, quæ manuducant aliquo modo intellectum ad illud apprehendendum tanquam credibile ; non vero quæ efforment demonstrationem per se omnino cogentem. « Alio modo inducitur ratio, non quæ sufficienter probet radicem, sed quæ radici jam positæ ostendat *congruere consequentes effectus*... hoc modo se habet ratio, quæ inducitur ad manifestationem Trinitatis, quia, scilicet, Trinitate posita, congruunt hujusmodi rationes ; non tamen ita quod per has rationes suffi-

cienter probetur Trinitas personarum... Et inde est quod August., *in Joan.*, Tract. 27, dicit quod *per fidem venitur ad cognitionem*, et non e converso. » S. Th., *ibid.*, ad 2. « Sans cette révélation, qui oserait porter ses yeux sur cet admirable secret de Dieu? mais après la foi, nous osons non-seulement le contempler, mais croire *en voir en nous une image...* » Bossuet, 4e *Elévat.*, 2e *Sem.*; Suarez, *de Trinit.*, lib. 1, c. 12.

34. — *Quæritur* 4° utrum Judæi, ante Christum, *explicitam* habuerint SS. Trinitatis notitiam?

Resp. 1. Communiter asseritur *vulgo* Judæorum ignotum fuisse illud mysterium. Etenim « Cum in Ægypto diutissime versati essent Judæi, multorumque ibi deorum cultum didicissent, sapientissimus Deus nequaquam illis manifeste *omnia Trinitatis mysteria* tradidit, ne multitudinis deorum occasionem sumerent. » Theodoret, *Serm.* 2. Eamdem plane rationem affert S. Chrysost.

Credebant tamen illud mysterium fide *implicita*, quatenus, scilicet, contentum in fide quam explicite habebant de Messia venturo.

2. Juxta plures autem, Patriarchis, Prophetis et viris sanctitate conspicuis revelatio hujus mysterii concessa fuit; et de Abrahamo innuere videtur Christus ipsi instillatam fuisse Messiæ divinitatem, cum dicit, Joan. 8, ℣ 56; « Abraham pater vester exultavit, ut videret diem *meum; vidit*, et *gavisus est.* » — « Vox *Trinitas* semper *nuntiata creditaque* ab illis est, qui cæteris antecelluerunt, cujusmodi *prophetæ*, atque *eximia sanctitate præditi* homines fuere. » S. Epiph. *advers. Hæres.*, lib. 1, n. 5.

Imo, inter legisperitos, subobscura quædam de SS. Trinitate vigebat traditio. Nam multa veteris Testamenti loca, quæ Messiam pollicentur, ipsius etiam divinitatem significant, præsertim apud Isa. 9, ℣ 6; ergo fieri non potuit, quin doctiores apud Judæos et legisperiti, qui sacris Codicibus totos se dabant, Messiæ divinitatem, et ideo pluralitatem personarum in Deo, saltem obscure cognoscerent. Hoc confirmant commentaria Scripturæ, quæ apud Judæos

auctoritate pollent. Vide Drach, *Harmonie entre l'Eglise et la Synagogue.*

CAPUT II

DE EXISTENTIA SS. TRINITATIS

35. — Illud dogma demonstrandum habemus tum generatim contra Unitarios et Tritheitas, n. 23, 26, statuendo tres esse personas distinctas in una et eadem essentia divina; tum speciatim contra Arianos et Macedonianos, n. 24, 25, divinitatem Filii et Spiritus Sancti vindicando. Unde tres erunt propositiones.

PROPOSITIO PRIMA

36. — *Tres sunt personæ realiter distinctæ in una et eadem essentia divina, Pater scilicet, et Filius, et Spiritus Sanctus.* De fide est.

Prob. 1° *Script.* « *Faciamus* hominem ad imaginem et similitudinem *nostram*... ad imaginem *Dei* creavit illum; » Gen. 1, ℣ 26, 27; 3, ℣ 22 : porro, in hoc textu, indicatur pluralitas personarum, *faciamus*, *nostram*, ac simul unitas essentiæ, *Dei*; ergo in essentia divina plures sunt personæ.

Dicitur etiam : *Filius meus es tu, ego hodie genui te;* Ps. 2, ℣ 7. — Dixit *Dominus Domino meo :* sede a dextris meis; » Ps. 109, ℣ 1; 32, ℣ 6. In his innuitur Pater generans, et Filius genitus; duæ etiam personæ exhibentur supremo dominio pollentes; et ideo in unitate essentiæ divinæ subsistentes. Aliunde pronum est præsumere hanc veritatem ab initio mundi fuisse per revelationem insinuatam hominibus, in quantum ad salutem intererat.

Sed a Novo Testamento thesis clare statuitur his, inter cæteros, præsertim textibus : « Baptizatus *Jesus*, confestim ascendit de aqua : et ecce aperti sunt ei cœli, et vidit *Spiritum Dei* descendentem sicut columbam... et ecce vox de cœlis dicens : *Hic* est *Filius meus* dilectus, *in quo mihi* complacui; » Matth., 3, ℣ 16, 17.

« *Ego* rogabo *Patrem*, et *alium Paracletum* dabit vobis, ut maneat vobiscum *in æternum*... Paracletus autem *Spiri-*

tus Sanctus, quem mittet *Pater in nomine meo*, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis; » Joan., 14, ỳ 16, 26. — « *Tres* sunt qui testimonium dant *in cælo, Pater, Verbum et Spiritus Sanctus*, et *hi tres unum sunt*; I Joan., 5, ỳ 7[1].

« Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos *in nomine Patris*, et *Filii*, et *Spiritus Sancti*; » Matth., 28, ỳ 19.

Porro, in illis textibus, expressa habetur trium divinarum personarum distinctio; non minus expresse affirmatur tres illas personas *unum* esse, scilicet, quoad essentiam, habere unum *nomen*, unam virtutem seu essentiam; denique ex his personis aliam esse Patrem, aliam Filium, aliam Spiritum Sanctum; ergo ex Scriptura thesis constat.

2° *Traditione*. 1. Innumera sunt *scripta* prioribus seculis in lucem edita ad assertam thesim propugnandam. Quædam tantum seligere satis erit.

« Vivit *Deus*, et *Dominus Jesus Christus*, et *Spiritus Sanctus*. » S. Clem., Papa, *Epist. ad Corinth.*, I seculo.

« *Eum* (Patrem), et *Filium*, et *Spiritum* propheticum *colimus* et *adoramus*. » S. Justinus, in 1ª Apolog., II seculo.

« Custodiatur œconomiæ sacramentum, quæ *unitatem in trinitatem disponit*, tres dirigens, *Patrem*, et *Filium*, et *Spiritum Sanctum*. Tres autem *non statu*, sed *gradu*; nec *substantia*, sed *forma*; nec *potestate*, sed *specie* : *unius* autem *substantiæ*, et unius *potestatis*. » Tertull., *cont. Praxeam*, III seculo.

Revera, ut rem summatim contrahamus, SS. Patres perhibent dogma SS. Trinitatis uti, præ cæteris, mysterium fidei, tesseram et speciale objectum fidei christianæ, dogma fundamentale, quo religio christiana distinguitur a paganismo et a judaismo, ac supra utrumque præcellit; cu-

1. Hujusce textus authenticitatem in dubium revocare conati sunt hæretici; sed de ea constat tum ex authenticitate Vulgatæ, in qua reperitur; tum ex consensu utriusque Ecclesiæ Latinæ et Græcæ; tum ex SS. Patribus, qui illum textum allegarunt, inter quos Tertull., *adv. Praxeam*, c. 25; S. Cypr., *de Unit.*; S. Fulgent., *Respons. ad decimam object. Arian.*; 400 Episcopi Africani, an. 484, in professione fidei oblata Hunrico regi; Cassiodorus, *Complexiones in Epist. Apostolorum*.

jus fides est conditio et fundamentum ipsius Ecclesiæ, et salutis cujusque.

Ad ejusdem dogmatis demonstrationem, SS. Patres afferunt textus veteris et Novi Testamenti supra relatos, formam Baptismi, doxologiam, invocationem SS. Trinitatis in omnibus orationibus communiter usurpatis; tandem, dum hoc dogma uti incomprehensibile agnoscunt, simul similitudines proferunt, ut idem magis ac magis credibile fiat. Ita S. Hilar. *in Matth.*, 14, n. 1; *de Trinit.*, lib. 4, c. 16; Tertull., *adv. Praxeam*, c. 12, 30; S. Basilius, *de Spiritu S.*, c. 10, 11, 12, 29; Orig., *cont. Celsum*, lib. 2, c. 9; *in Exod. Homil.* 9, n. 3; S. Athan., *contra Arian.*, *Orat.* 2; S. Gregor. Naz., *Orat.*, 2, 22: S. Gregor. Nyss., *adv. Eunom.*, 11; S, August., *de Trinit.*

Nec minus expresse notant SS. Patres unitatem in Trinitate non esse moralem tantum seu collectivam, sed rigorose numericam. Ita S. Basilius, *de Spiritu S.*, 17; S. Gregor. Nyss., lib. *Quod non tres sint dii;* S. Cyrill., *Trin. dial.*, 3; S. August., *de Trinit.*, lib. 1, c. 6; Dionys. Rom., *Epist. contra Sabell.*

2. Eadem doctrina in omnibus symbolis expresse consignatur ac per totum evolvitur. « Credo in Deum *Patrem*, et in *Jesum* Christum, *Filium ejus unicum*, et in *Spiritum Sanctum.* » Symbol. Apostol.

Idem in Symbolo Nicæno fusius profitemur : « Credo in *Deum Patrem* omnipotentem...; et in *unum* Dominum *Jesum Christum, Filium Dei* unigenitum, et ex Patre natum ante omnia secula, *Deum de Deo...;* et *in Spiritum Sanctum* Dominum et vivificantem, qui *ex Patre procedit; qui cum Patre et Filio simul adoratur.* » Item in Symb. Athan., n. 2.

3. Nec minoris sunt auctoritatis *facta*, ex quibus idem evincitur dogma : scilicet, immemorialis praxis Ecclesiæ baptizandi in nomine trium personarum divinarum et cum trina immersione; decantandi in earumdem honorem doxologias nostræ identicas; e gremio ejiciendi eos qui negabant, aut quocunque modo labefactabant illud dogma.

Sed etiam professiones fidei, decisiones Conciliorum, confessiones Martyrum coram tyrannis.

Demum agendi ratio tum hæreticorum, qui, illud impugnando, ab Ecclesia discedebant aut rejiciebantur; tum Judæorum, qui Christianis exprobabant per Trinitatem tollere Dei unitatem; tum Ethnicorum, qui velut non minus polytheistas quam seipsos, sed absurdius, Christianos irridebant.

4. *Præscriptionis* argumento sic contrahitur illa traditio. Dogma trium in una Dei natura personarum ab Ecclesia Catholica IV seculo tenebatur, ut omnes consentiunt, et probatur evidenter ex definitionibus, quas in Conc. Nicæno adversus Arium, et in Conc. Constantinopolitano adversus Macedonium, edidit : atqui, anterioribus seculis, illud dogma in fidem Ecclesiæ non transiit per mutationem sensibilem, nec insensibilem; ergo semper illud tenuit Ecclesia, ac proinde divinitus revelatum est.

Prob. minor. Et quidem in fidem Ecclesiæ non transiit per mutationem *sensibilem*. Nulla enim sunt hujusmodi mutationis vestigia, nec auctor, nec locus, nec tempus, quo facta fuisset, assignari possunt.

Nec per mutationem *insensibilem*. Nam, in re tanti momenti, et ad Religionis Christianæ fundamentum pertinente, mutatio nulla fieri potuit, quin motus magni excitarentur, quin controversiæ et disputationes moverentur, quin Concilia ex partibus oppositis congregarentur, quin scripta hinc et inde spargerentur : porro hæc omnia mutationem, si qua facta fuisset, obviam et sensibilem effecissent; ergo circa doctrinam trium personarum in Deo insensibilis mutatio facta non est; aliunde nec sensibilis; ac proinde quod ab omnibus de trinitate personarum IV Ecclesiæ seculo credebatur, illud traditum et creditum est ab Apostolis, et consequenter a Deo revelatum.

3° *Ex analogia*. Varias SS. Trinitatis similitudines seu analogias afferunt SS. Patres et Theologi, ut illud dogma magis credibile fiat. Videlicet, Trinitatem personarum assimilant vel radici, arbori et fructui; vel fonti, rivulo et fluvio; vel soli, radio et hujus evolutioni; ita Tertull., *adv. Praxeam*, c. 8. — Vel memoriæ, cognitioni et voluntati; S. August., *de Trinit.* 9, n. 18; 10, n. 19; 14, n. 8,

13; 15, n. 28; Bossuet, *Serm. sur la Trinité.* — Vel enti seu principio, quo res constat, speciei seu formæ, qua discernitur, ordini, quo congruit; Deus enim Pater est principium sine principio; Verbum seu Filius est principiatum seu species, forma, idea substantialis Patris; et Spiritus sanctus est ordo seu motus substantialis, quo ens divinum ordinatur ad seipsum. Ita S. August., *ibid.*, lib. 6, c. 10; *de divers. quæst.*, q. 18; S. Th. 1 p. q. 45, a. 7; vide Tract. *de Deo*, n. 94.

At præcipuæ hujusmodi analogiæ desumuntur ex processione cogitationis et amoris, ex conditionibus activitatis, ex perfecta bonitate et beatitudine.

Et quidem 1. *ex processione cogitationis et amoris*. Adest quippe in anima nostra duplex operatio, cogitationis et amoris, cum tribus terminis, nempe, cogitante, cognitione et amore, ad invicem distinctis, alioquin nihil operaretur, ac simul identificatis in una et eadem animæ substantia.

Similiter, in essentia divina exstat duplex intrinseca operatio cogitationis et amoris, cum tribus terminis, nimirum, cogitante seu Patre, cogitatione seu Verbo, amore seu Spiritu Sancto; ad invicem realiter distinctis, alioquin essentia divina ad intra nihil operaretur; ac simul in eadem essentia immanentes; terminus enim intrinsecæ operationis, non potest esse extrinsecus.

Sed, insuper, termini operationis divinæ, cum sint infiniti, habent omnes perfectiones, quæ cum unoquoque illorum non sunt incompossibiles : atqui subsistentia est per se perfectio quædam, nec cum terminis divinæ operationis est incompossibilis; ergo tres termini intrinseci divinæ operationis sunt subsistentes seu personæ.

« Est quædam imago Trinitatis *ipsa mens* et *notitia* ejus, quæ est proles ejus ac de se ipsa *verbum ejus*, et *amor* tertius, et hæc tria unum atque una substantia; nec minor proles, dum tantum se novit mens, quanta est; nec minor amor, dum tantum se diligit, quantum novit et quanta est. » S. August., *de Trinit.*, 5, n. 6; 9, n. 10; 10, n. 11. Eamdem similitudinem evolvunt S. Anselmus, *Monol.*, c. 67; *opusc. de fide Trinit.*, c. 8; Suarez, *de Trinit.*, lib. 1; Bos-

suet, *Disc. sur l'Hist. univ.*; 4e *Elevat.*, 2e *serm.*; S. Th. 1 p. q. 27. At deinde iste S. Doctor, q. 32, a. 1, ad 2, hæc addit : « Similitudo intellectus nostri non sufficienter probat aliquid de Deo, propter hoc, quod intellectus univoce invenitur in Deo et in nobis. »

2. *Ex conditionibus activitatis perfectæ*. Præcedens argumentum sub hac forma proponit Suarez, *ibid*. Scilicet, ad actum quemlibet requiritur principium quo perficitur actus, finis ad quem tendit actus, medium per quod actus seu principium finem suum assequitur : porro Deus est in actu sub omni respectu; ergo in essentia divina tres sunt reales et distincti termini seu principium, medium et finis.

Hujusmodi termini sunt insuper subsistentes seu personæ, eo quod perfectio subsistentiæ non sit cum illis incompossibilis; ergo in essentia divina distinguitur principium operationis seu persona patris, ejusdem medium seu persona Filii, et etiam finis seu persona Spiritus sancti.

3. *Ex perfecta Dei bonitate et beatudine*. Bonum est communicativum sui; et proinde Deus, cum sit summum bonum, est infinite communicativum : porro infinita communicatio esse nequit nisi in essentia divina; ergo in hac essentia existit infinita et ideo personalis communicatio, juxta illud : « Nunquid ego, qui alios parere facio, *ipse non pariam?* et qui generationem cæteris tribuo, *sterilis ero?* » Isa. 66, ℣ 9.

Insuper, ad perfectam beatitudinem requiritur amicitia et societas : atqui Deus est summe beatus; ergo in essentia divina adest perfecta amicitia et societas, ac proinde personarum pluralitas. Ita S. Bonavent., *Itinerar.*, c. 6.

« Per has rationes non sufficienter probatur Trinitas personarum, ait S. Th. 1 p. q. 32, a. 1, ad 2. Bonitas enim infinita Dei manifestatur etiam in productione creaturæ, quia infinitæ virtutis est ex nihilo producere. Non enim oportet, si infinita bonitate se communicat, quod aliquid infinitum a Deo procedat; sed quod secundum modum suum recipiat divinam bonitatem. »

« Similiter etiam quod dicitur, quod sine consortio non potest esse jucunda possessio alicujus boni, locum habet, quando in una persona non invenitur perfecta bonitas, unde indiget ad plenam jucunditatis bonitatem bono alicujus alterius consociati sibi. »

37. — *Quæritur* an Patres antenicæni circa mysterium Trinitatis erraverint ac plus minusve præluserint arianis?

Resp. Nostris diebus quidam, etiam inter catholicos, non ita cauti, sed aliquali eruditione nimis fidentes, atque protestantium et rationalistarum criticæ historicæ aliquatenus, ut videtur, pedissequi, fidem Patrum antinicænorum de Trinitate, et speciatim de Verbi consubstantialitate, labefactare non hærent. Quos omnes jam confutaverat Bossuet, *Avertissem. aux Protestants;* atque eamdem veritatem historicam nostris diebus vindicarunt Gener, *Theol. dogm. Schol.* t. 2, n. 785, Maranus, *de Divinate Christi*. Hic quædam adnotare tantum possumus. Videlicet,

1° Patres, qui impugnabant Arianos, eos accusant novitatis, et provocant ad *traditionem* et fidem *majorum* : porro hoc plane impossibile fuisset, si Patres antenicæni, saltem quoad majorem et præstantiorem partem, non fuissent anti-ariani. « En igitur, inquit, S. Athan., *de Decret. Nic.*, n. 27, nos quidem demonstravimus istiusmodi sententiam *a patribus ad patres quasi per manus esse traditam*. Vos autem, o novi Judæi et Caïphæ discipuli, quos demum assertionum vestrarum patres ostendere valetis? *Ne unum quidem e prudentibus et cordatis nominare potestis? Cuncti vos aversantur*, præter unum, diabolum, qui solus hujus definitionis vobis auctor fuit »[1].

1. « *Omnes*, quos legere potui, qui *ante me* scripserunt *de Trinitate*, quæ Deus est, divinorum librorum veterum et novorum tractatores, hoc intenderunt secundum Scripturas docere, quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus unius ejusdemque substantiæ inseparabili æqualitate divinam insinuant unitatem, ideoque non sunt tres dii, sed unus Deus, quamvis Pater non sit, qui Filius est, Spiritus Sanctus nec Pater sit, nec Filius, sed tantum Patris et Filii Spiritus Sanctus. Hæc est fides mea, quando hæc est *catholica* fides. » S. August., *de Trinit.*. lib. 1, n. 7.

« Si umbram haberet testimonii, quo Unigenitus *factura* diceretur, nonne

2° Ariani, ut suam occultarent hæresim ac fideles deciperent, multis usi sunt fraudibus ac scriptorum adulterationibus, teste S. Athan. *Epist. ad Episc. Aeg.*, n. 18.

3° Patrum antenicænorum fides haud difficile tuetur vel ii excusantur, si sedulo distinguatur inter ipsum *dogma* et *modum*, quo dogma enuntiatur; inter illius *substantiam* ejusque *scientificam expositionem* et illustrationem; inter *doctrinam*, quæ ex summa testimoniorum colligitur, et *effata*, quæ extra contextum considerantur. « Errores illi ac labes opinionum privatarum, inquit, Petavius, *de Trinit.*, c. 6, § 1, vel magis in loquendi modo, quam in re ipsa consistunt, ut sæpe dixi; vel ad ipsam communis dogmatis substantiam non pertinent, sed ad quædam capita illius et consequentia decreta; vel denique versantur in sola interpretandi ratione : cum mysterii ipsiusque fidei summam, in qua omnes invicem congruunt, alius aliter edisserit. »

4° Patres illi quandoque triplicem Verbi generationem nativitatemque distinguunt : primam, qua Verbum ab æterno a Patre procedit ut persona distincta, sed adhuc in visceribus et corde tanquam consiliarius latens; alteram, qua conditum veluti fuit initium viarum Domini; nempe, in manifestatione Verbi per creationem, quatenus dicitur quod omnia per Verbum facta sunt; tertiam denique, qua Verbum caro factum est. Porro locutiones illorum Patrum recte intelliguntur, prout ad unam ex illis generationibus referuntur.

5° Idem Patres dicunt Filium Patri *præcipienti ministrasse*, ac similes alias locutiones adhibent, tum contra gnosticos, asserentes mundum conditum fuisse virtute

jam aures nostræ his clamoribus circumsonantes obsurduissent? » S. Basil., *contra Eunom.*, lib. 2, n. 5.

« Et quomodo, inquies (Rufinus), in libris eorum (patres antenicæni) vitiosa nonnulla sunt? Si me causas vitiorum nescire respondero, non statim illos hæreticos judicabo. Fieri enim potest, ut vel simpliciter erraverint, vel alio sensu scripserint, vel a librariis imperitis eorum paulatim scripta corrupta sint; vel certe antequam in Alexandria quasi dæmonium meridianum Arius nasceretur, innocenter quædam et minus caute locuti sunt, et quæ non possunt perversorum hominum calumniam declinare. » S. Hieron. *Apolog. adv. Rufin.*, lib. 2, n. 17.

abscissa a Patre; tum contra sabellianos, qui distinctionem personarum negabant. Porro hujusmodi locutiones contra utrosque opportunæ sunt, præsertim cum Patres ea soleant adjungere, quibus omnis æquivocatio tollitur et excluditur imperfectio. Quare eædem formulæ inveniuntur etiam apud Patres, qui post Nicænum concilium floruerunt, quique acerrimi erant hostes hæresis arianæ. Unde ejusmodi locutiones explicari debent, ut Deum decent: « Quod dicitur *mandatum*, ne sermonem imperiosum per vocalia organa prolatum intelligamus, Filio veluti subdito præscribentem, quid facere debeat; sed prout Deum decet, cogitemus voluntatis communicationem, veluti formæ cujusdam irradiationem in speculo a Patre in Filium æternaliter dimanantem. Pater enim diligit Filium, et omnia illi ostendit. » S. Basil., *de Spiritu S.*, n. 20. Propterea Filius *mandatum natum* vocatur a S. August., *Serm.* 140, n. 6.

6° Tandem, quando Patres affirmant Patrem *voluntate* genuisse Filium, non loquuntur de voluntate *libera*, sed de *concomitanti* et *naturali*, quæ opponitur coactioni vel necessitati fati, de ea, qua etiam vult esse Deus. Nec dicunt Patrem esse invisibilem, nisi quatenus decuerit ut Filius appareret, cujus character proprius est manifestare Patrem, utpote ejus splendor, imago, speculum sine macula et Verbum substantiale, n. 60, Hebr. 1, ℣ 3; Sap. 7, ℣ 26, Coloss. 1, ℣ 15.

38. — *Obj.* 1° Verba, *Faciamus* hominem ad similitudinem *nostram*, non probant trinitatem personarum in Deo. Etenim 1. forte Deus ibi loquitur more hominum, qui se ad aliquid magnum accingunt: *Liberemus*, inquit Annibal venenum hausturus, *liberemus diuturna cura populum romanum*. 2. Forte etiam majestatis causa pluraliter de se loquitur Deus, ut Reges facere solent, *Volumus, Imperamus*, etc. 3. Denique, dici potest Deus Angelos compellare, quorum ministerio imprimi in creatione usus est.

Resp. 1. Nugatoria est Rationalistarum objectio, et Deo prorsus indigna, sicut probat S. Basilius, *Homil.* 9 in *Hexaemeron*: « Quis faber, inquit, solus ipse quidem, nec alio quoquam sibi cooperante stipatus, sibi ipsi admurmurat, dicens: *Faciamus gladium.* » Atqui, etiamsi apud homines, qui ope-

rum magnitudine deterreri possunt, hoc valeret, in Deo certo certius obtinere non potest, *qui*, prosequitur S. Doctor, *neque indeterminatus est, neque rerum faciendarum magnitudine retardari potest...* »

2. Plane insolitum est apud Hebræos, ut prima persona de se plurali numero loquatur; et certe, si Deus ibi propter majestatem et auctoritatem pluralem numerum usurparet, ita loqui debuisset vel semper, vel ut plurimum, præsertim cum lege in Sina daret, quod tamen non fecit[1].

3. Falsa omnino est hæc evasio, quia Deus hac loquendi formula Angelos sibi æquiparare videtur. Deinde, in primo textu sermo dirigitur ad eos ad quorum imaginem, et a quibus homo factus est; ergo, etc.

39. — *Obj.* 2° Ex textu Matth. 28, v. 19, minime conficitur Spiritum Sanctum esse personam; nomen enim *Spiritus*, in allato textu, significat tantum qualitatem seu efficaciam et virtutem Dei. Ex eodem testimonio confici non potest Patrem et Filium, et Spiritum Sanctum tres esse personas in una natura; istud enim, *in nomine*, Filio et Spiritui Sancto, sicut Patri applicatum, non probat nomen seu naturam his tribus esse communem.

Resp. ad 1um Nego ant. In textu allato, voces Patris et Filii duas personas certo certius indicant; sic, v. g., in humanis, cum de patre et filio loquimur, duas personas significare intendimus. Idem sentiendum est de Spiritu Sancto, in formula Baptismi appellato. Vel enim nomem *Spiritus* ibi significat personam, vel qualitatem, seu efficaciam et virtutem Dei, ut placet Rationalistis: atqui posterius dici nequit. Nam Baptismus in nomine Spiritus Sancti dandus enuntiatur: atqui insulse nimis diceretur Baptismum dari in nomine qualitatis alicujus seu efficaciæ; ergo Spiritus Sanctus in textu Matth. personam, non autem meram virtutem et efficaciam significat. Deinde, in formula Baptismi, Spiritus Sanctus ex æquo recensetur cum Patre et Filio, qui sunt personæ; ergo tam

1. « C'est une chose inouie dans tout le langage de l'Ecriture, qu'un autre que Dieu ait parlé de lui-même en nombre pluriel, *faisons*. Dieu lui-même, dans l'Ecriture, ne parle ainsi que deux ou trois fois, et ce langage extraordinaire commence à paraître, lorsqu'il s'agit de créer l'homme... La Trinité commence à se déclarer, en faisant la créature raisonnable, dont les opérations intellectuelles sont une image imparfaite de ces éternelles opérations, par lesquelles Dieu est fécond en lui-même. » Bossuet, *Disc. sur l'Hist. univ.*

Spiritus ille peculiaris esse debet persona ab utroque distincta.

Resp. ad 2um Nego ant. propter rationem allatam. Hinc Faustinus, *de Trinit. adversus Arianos*, c. 7 : « Bene, inquit, *nomen unum posuit*, dicens in *nomine Patris*, etc., ut *una* principalis *auctoritas* crederetur *indivisibilis* et *perfectæ Trinitatis*. Et vero, inquiunt Theologi, S. Paul., I Cor. 1, ℣ 13, manifeste supponit non in nullius creaturæ nomine baptizari posse : *Nunquid... in nomine Pauli*, ait, *baptizati estis ?* Igitur, cum ex textu S. Matth., Baptismus conferri debeat in nomine Patris, etc., manifeste sequitur personam Filii et Spiritus Sancti esse Deum, cujus natura una est.

40. — *Obj.* 3° Semina varia hujus dogmatis, quæ in sacris libris reperiuntur, explicari debent ex pio quodam in magistrum reverentiæ sensu, quo imbuti sacri Scriptores exornarunt et amplificarunt ipsius Jesu sententias de messiana sua dignitate. Quare, quo prosperiore successu ætas recensior philosophiæ et philologiæ studiis operam dedit, eo difficilius sibi persuadere potuit de veritate dogmatis Trinitatis.

Resp. Blasphema est et summe injuriosa sacrorum scriptorum veracitati assertio, qua contenditur ipsos voluisse omnes in gravissimum errorem et idololatriam inducere, ob pium suum affectum erga Christi personam; et ideo talem idololatriam et suo sanguine consecrasse, et tot tantisque miraculis confirmasse. Aliunde, alibi probatum est illos non fuisse deceptos, nec deceptores.

Non studium historiæ, philosophiæ ac philologiæ in recentiori ætate plures ad incredulitatem circa hoc mysterium deduxit, sed abusus hujusmodi studii, et mala fides eorum, qui historiam consectati sunt. Hi siquidem erraverunt, eo quod ab auctoritate Ecclesiæ deflecti, solius rationis commenta sunt secuti.

PROPOSITIO II

41. — *Filius seu Verbum est vere Deus, seu Patri consubstantialis.* De fide est.

Hoc jam probatum manet in thesi præcedenti. Siquidem, ibi dictum est tres esse personas in una et eadem essentia divina, ac proinde unamquamque illarum personarum esse Deum, seu duobus aliis consubstantialem. Hic tamen directe confirmanda est divinitas Filii seu Verbi, contra Arianos, n, 24. Itaque thesis.

Prob. 1° *Script.* Ille vere Deus est, qui in plurimis Scripturæ locis dicitur proprie Deus, cui in eadem Scriptura constanter tribuuntur attributa Deo maxime propria, divinæ operationes, et supremus cultus latriæ : atqui ita est de Verbo ; ergo, etc.

Et quidem 1, Verbum seu Filius dicitur proprie *Deus.* « Parvulus natus est nobis..., et vocabitur nomen ejus *Admirabilis, Deus, fortis, pater futuri seculi, princeps pacis.* » Isa. 9, ℣ 6.

« In principio erat *Verbum,* et Verbum erat *apud Deum,* et *Deus erat Verbum ;* » Joan. 1.

« Ex quibus (Israelitis) est *Christus* secundum carnem, qui est *super omnia Deus benedictus in secula.* » Rom. 9, v. 5.

Ego et Pater unum sumus, Joan. 10, ℣ 30. Porro Judæi arreptis lapidibus voluerunt lapidare Christum, quia per illa verba *faceret seipsum Deum*, v. 33 ; nec Christus illam interpretationem corrigit, ut debuisset, si falsa fuisset, sed e contra Judæos in eadem confirmat, dum instanter Deum *Patrem* suum appellat, se ejus *Filium* dicit, se *Patris* opera facere, se *in Patre esse*, ut *Pater in ipso* est, testatur, v. 37 ; ergo, etc. « Ecce Judæi intellexerunt, quod non intelligunt ariani. Ideo enim irati sunt, quoniam senserunt, non posse dici : *Ego et Pater unum sumus, Ego et Deus unum sumus,* nisi ubi æqualitas est Patris... Quis ferat, si quantuscunque homo ac quælibet adeo creatura dicat : *Ego et Deus unum sumus ?* S. August., *in Joan.*, Tract. 48, n. 7 ; lib. *Cont. Arian.* n. 7.

2. *Attributa* Deo propria et divinæ *operationes* Verbo etiam tribuuntur. Scilicet :

Supremum dominium : Rex regum, et Dominus dominantium. Apoc. 19, ℣ 16.

Æternitas : Et egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis ; Mich. 5, ℣ 2. — *Jesus Christus heri et hodie, ipse et in secula,* Hebr. 13, ℣ 8. — « Ego sum *alpha* et *omega, principium* et *finis,* dicit Dominus Deus, qui *est,* et qui *erat,* et qui *venturus est.* » Apoc. 1, ℣ 8.

Omnipotentia et *creatio : « Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est ;* Joan. 1, ℣ 3.

— Christus *portans omnia verbo virtutis suæ;* Hebr. 1, ℣ 3. — *In ipso condita sunt universa in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia... Omnia per ipsum et in ipso creata sunt.* » Coloss. 1, ℣ 16.

3. *Supremus cultus latriæ* : « Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut *in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium* et *infernorum;* » Philipp. 2, ℣ 9, 10. — « Cum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit : Et *adorent* eum *omnes Angeli* Dei. » Hebr. 1, ℣ 6.

2° *Traditione.* 1. Innumeris *factis* constat dogma divinitatis Verbi fuisse creditum ab Ecclesia priorum seculorum. Nam Martyres ob ipsam divinitatis Verbi confessionem passi sunt. Contra Arium illud dogma negantem insurrexit orbis christianus. Tandem ubique terrarum ante Concilium Nicænum exstabant altaria et templa in honorem Christi utpote consubstantialis Deo Patri erecta; ergo traditione practica et monumentali constat illud dogma fuisse omni tempore creditum, ac proinde a *Deo* revelatum.

2. *Scripta* et *orali* traditione idem non minus demonstratur. « Ita sentire nos oportet de *de J. C. tanquam de Deo.* » S. Clemens Papa, *in Epist. ad Corinth.*

« Jesus Christus *unus* et *solus proprie filius a Deo genitus* est, non per abscissionem, tanquam dispertita esset Patris essentia... Cum Verbum *primogenitus* Dei sit, *Deus etiam est.* » S. Just., *in Apolog.* 2ª.

« Ecclesia per universum orbem usque ad fines terræ seminata, et ab Apostolis accepit eam fidem, quæ est in unum Deum, *Patrem* omnipotentem, et in *Jesum Christum Filium* Dei, et in *Spiritum Sanctum,* » S. Iren., *adv. Hæres.* c. 10.

« Unum sunt Pater et Filius *natura*, honore, virtute, nec *natura eadem potest velle diversa.* » S. Hilar., *de Trinit.*, lib. 8, n. 19.

« Si eadem est virtus, manifestum est quod *eadem* et *natura.* Si minor Filius esset, temerarium esset dictum : *Ego et Pater unum sumus.* » S. Chrysost. *in Joan. Homil.*, 60, n. 2.

Hanc priorum seculorum Traditionem confirmavit Concilium Nicænum, generale I, in quo definitum est unanimi consensu credendum esse « in *unum Dominum Jesum Christum, filium Dei, ex Patre natum, unigenitum; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; natum*, non factum, *consubstantialem Patri*, per quem *omnia facta sunt*.

3. *Præscriptionis* argumento constat eadem fides catholica. Etenim, tempore Nicænæ Synodi, ubique vigebat fides de Verbi divinitate: atqui hæc doctrina non invecta fuit a Patribus Apostolorum immediate successoribus, ut vult ipse Socinus, nec a Patribus Nicænis, ut contendunt alii Rationalistæ; ergo ab Apostolis fuit traditum illud dogma, et ideo a Deo revelatum.

Prob. minor. Et quidem repugnat mutationem hujusce dogmatis invectam fuisse a Patribus immediatis Apostolorum successoribus. Siquidem, ne admittatur talis hypothesis, plurima obstant: 1. natura ipsius dogmatis, totius Religionis Christianæ fundamenti, quod sane ab Apostolorum successoribus ignorari non potuit, et multo minus ab ipsis ex industria mutari, quin reclamaverint Christiani, avitæ fidei, præsertim ab Ecclesiæ incunabulis, tenacissimi. Et vero, hujus mutationis nec tempus, nec locum, nec auctorem assignare possunt adversarii.

2. Obstant monumenta tunc temporis, ex quibus compertum est, jam a temporibus Apostolorum, quam plures exstitisse pseudochristianos Christi divinitatem impugnantes, qui ut hæretici et impii damnati fuerunt.

3. Obstant consectaria hujusce mutationis. Namque si, ut supponunt adversarii, a fide in Christum merum hominem, quam prius profitebantur Christiani, ad fidem Christi-Dei et Patri consubstantialis transiissent, ergo ab ipsis primævis temporibus semper Ecclesia idololatriam, veluti dogma Christianæ Religionis fundamentale, docuisset, Christo mero homini honores divinos tranferendo. Quis autem Christianus hæc admittere velit? Ergo repugnat talem mutationem a Patribus Apostolorum immediatis successoribus invectam fuisse.

Nec minus repugnat in hujusce dogmatis mutationem

conspirasse Nicænos Patres. Nam circa dogma hujusmodi non potuerunt decipi, nec decipere voluerunt, nec potuissent, etiamsi voluissent. 1. Decipi non potuerunt, cum, ut historia constat, Patres Nicæni erant docti et ex diversis regionibus congregati. 2. Decipere noluerunt; erant enim fere omnes pietate insignes, et ex iis non pauci Christi divinitatem inter acerbiora supplicia, etiam cum membrorum dispendio, confessi fuerant. 3. Nec potuissent decipere, etiamsi voluissent; vigebat enim tunc temporis fides universalis de Christi divinitate, quam docuerant Patres secundi et tertii seculi, ut jam probavimus. Præterea, ex disputationibus quæ, ante Concilii Nicæni congregationem, Catholicos inter et Arianos ortæ fuerant, notior erat priorum Patrum doctrina; ad illorum scripta indesinenter Arianos provocabant Catholici, quin tamen reclamarent Ariani. Imo, cum deinceps voluerit Theodosius ut inter imperii sectas concordia iniretur, Ariani et alii Hæretici eo adduci minime potuerunt, ut lis dirimeretur juxta doctrinam Patrum, qui prioribus seculis floruerant, ut patet ex monumentis historicis. Ergo ab Apostolis fuit tradita Verbi divinitas, ac proinde a Deo revelata.

3° *Ratione*. 1. Ex dicendis n. 60, Verbum est essentia divina quatenus suiipsius *imago substantialis*, *vivens* et *infinita*; ergo Verbum est proprie Deus, atque consubstantiale Patri.

2. Qui se dicit Deum, et juxta hanc persuasionem semper agit, si reipsa non sit Deus, eo ipso est vel summe impius, vel summe stultus, ut patet : porro, ex una parte, Christus omni modo et occasione declarat se Deum esse, atque juxta hanc persuasionem semper agit, ut dicetur in Tract. *de Incarn.*, n. 83; ex altera vero, juxta ipsos Rationalistas, Christus non solum stultus non est, nec impius, sed inter famosissimos sapientes primum locum sine dubio obtinet, doctrina, sapientia, sanctitate omnibusque virtutibus; ergo Christus seu Verbum vere Deus est.

3. Apostoli prædicaverunt divinitatem Verbi incarnati, et in hujus dogmatis fide Religio Christiana per totum orbem fundata est, atque regnat jam a novemdecim seculis; ergo, si Verbum non est Deus, genus humanum, id est,

quicunque ingenio, fortitudine et virtute a novemdecim seculis inter cæteros præstant, in idololatria miserabiliter jacent, ac proinde jam nullum veritatis et virtutis superest criterium.

Ut facilius dignoscatur sensus quarumdam locutionum, quæ in scripturis et SS. Patrum scriptis interdum usurpantur, hæc notanda sunt. 1. Christus considerari potest ut *Deus*, ut *homo*, et ut *caput corporis mystici* seu Ecclesiæ : porro multa de Christo dicuntur, quæ intelligenda sunt de Christo ut homine, vel de ejus corpore mystico, juxta illud S. August., *Serm.* 137, n. 1 : « Cum ergo sit ille caput Ecclesiæ, et sit corpus ejus Ecclesia, *totus Christus* et caput et corpus ejus est. »

2. Filius est quidem Deus, sed *Deus de Deo*, seu Deus genitus; ergo Filius, cum omnia sua in Patrem refert, divinitatem sibi non negat, sed genitum se et Filium profitetur. Unde, ut ait S. Cyrill. Alex., *in Joan.*, lib. 2, c. 9, « sæpe Filius operum suorum potestatem tribuit Patri, quatenus ad unius operationem deitatis omnia refert. »

3. In veteri Testamento unitas Dei inculcatur; in novo autem Testamento professio unitatis Dei aucta est professione magis explicita Trinitatis personarum. Quare, ne hæc illam impediat, nomen Dei in Scripturis plerumque tribuitur Patri, qui est Filii, et cum Filio Spiritus Sancti principium; Filio autem et Spiritui Sancto rarius tribuitur, si simul cum Patre nominantur; sed ejus loco alia adhibentur nomina, quæ divinitatem quidem significant, sed personarum simul distinctionem tuentur. Tale est præsertim nomen *Domini*, quod in primis Filio tribuitur. « Apostolum, I Cor. 8, ℣ 6. sequar, ait Tertull., *adv. Praxeam*, c. 13, ut si pariter nominandi fuerint Pater et Filius, *Deum* Patrem appellem, et Jesum Christum *Dominum* nominem. Solum autem Christum potero *Deum* dicere, sicut idem Apostolus : *Ex quibus est Christus*, inquit, *Deus super omnia benedictus in ævum omne.* »

4. Tandem, cum in Scriptura aliqua prærogativa divina, nempe, absoluta et naturam divinam consequens, Deo vel

Patri vindicatur, excluduntur quidem ab illius consortio personæ creatæ, quæ alterius sunt naturæ, non vero Filius, qui ejusdem cum Patre est naturæ, et in natura divina omnia habet, quæ Patris sunt. « Multa dicuntur inesse *soli Patri*, tametsi Filius iis omnibus non careat; omnia enim quæ Patri insunt naturaliter et necessario, ea pariter communicantur Verbo ab illo procedenti. » S. Cyrill. Alex., *ibid*. Vide Petavium, *de Trinit*., lib. 3, c. 1; Hurter, *de Trinit*., n. 178 et seq.

42. — *Obj.* 1° In pluribus Scripturæ locis nomen *Dei* creaturis tribuitur, Exod. 21, v. 6; 22, v. 28; Ps. 81, v. 6; ergo hujusmodi denominatio non probat Verbi divinitatem.

Resp. Nego conseq. Etenim 1. vox hebræa *Elohim*, quæ creaturis aliquando tribuitur, potentiam et auctoritatem sonans, applicatur aliquando iis, qui in potentia constituuntur; non ita de nomine *Deus* in singulari, quod proprium est, et tamen Christo tribuitur. 2. In veteri Testamento, Dei nomen creaturis nonnisi plurali numero et cum restrictione aliqua datur; sic Psal. 81, v. 6 : « Ego dixi : *dii* estis... vos autem *sicut homines moriemini.* » 3. In novo Testamento, nusquam in singulari numero Dei nomen creaturis transfertur : attamen Christus sæpissime in novo Testamento Deus dicitur; ergo vere Deus est.

43. — *Obj.* 2° Proverb. 8, v. 22, de Sapientia seu Verbo dicitur juxta LXX Interpretes : *Dominus creavit me initio viarum suarum;* ergo Verbum non est æternum, ac proinde non est Deus.

Resp. Nego cons. Fateor in versione græca LXX Interpretum, hanc legi vocem. *creavit*, sed textus hebræus, cujus major est auctoritas, versioni vulgatæ concinit. Nam in textu primigenio non reperitur vocabulum *bara*, *creavit*, sed *canah*, *possedit*, ita ut merito cum vulgata nostra legendum sit : *Dominus possedit me*. Porro verbum, *possedit*, de generatione in Scripturis accipitur : sic enim Eva, Cain, cum peperisset, exclamavit : *Possedi hominem per Deum*. Et vero alii, præter septuaginta Interpretes, Græci verterunt : *Dominus possedit me*, non autem *creavit me*, ut animadvertunt S. Basil. lib. 2. *contra Eunomium*, et Greg. Nyss. lib 1, *contra eumdem*.

Cæterum, vox illa, *creavit*, de Sapientia æterna potuit enuntiari, absque ullo dispendio suæ æternitatis et improductio-

nis ex nihilo; et revera legimus in Vulgata, Eccl. 24, v. 14, quod Sapientia *ab initio et ante secula creata* sit. Nam, ut loquitur Jansenius, commentario suo in lib. Prov. c. 8, « *æternitas* adjuncta *creationi*, satis indicat non proprie dictam *creatione ex nihilo*, quam impossibile est esse antequam quidquam faceret Deus, sed *generationem* et *productionem* esse intelligendam, assumendo nimirum ex verbo *creavit* nobis usitato, id quod divinæ generationi consonat, abjectis imperfectionibus, sicut hoc fieri solet in aliis bene multis locutionibus ad Deum translatis. »

44. — *Obj.* 3° Joan. 14, v. 28 : *Pater major me est*, inquit Dominus Christus; ergo Christus non est Deus.

Resp. Dist. ant. Christus secundum naturam ex Maria Virgine ductam minor est Patre, *conc.*; secundum naturam ipsi a Patre communicatam, *nego* : seu Christus, uti filius est hominis, minor est Patre, *conc.* ut filius Dei unigenitus *nego*. Itaque, juxta fidem catholicam, Chistus est simul Deus et homo; *Verbum enim caro factum est*; propterea Christus Dominus de seipso verba faciens, suam modo divinam, modo humanam respicit naturam. De se, prout est Deus, dixit : *Ego et Pater unum sumus*. Ad suam vero humanam respexit naturam, cum ista quæ nobis objiciuntur, verba protulit : *Pater major me est*.

Fuerunt tamen ex veteribus non pauci, qui hanc Christi locutionem, *Pater major me est*, de Christo ut æterno Patris Filio interpretati sunt, quia Pater Filii principium est, eoque major idcirco vocari aliquatenus potest.

Eadem distinctione solvi possunt quædem alia Scripturæ testimonia, juxta quæ Christus dicitur *factus obediens*, *Deum habere caput*, *Deum precari* : hæc enim omnia de Christo ut homine prædicantur.

45. — *Obj.* 4° Marc. 10, v. 18, cum adolescens quidam Christum appellasset *bonum*, dixit ei Jesus : *Quid me dicis bonum? nemo bonus, nisi unus Deus*; ergo bonitas essentialis Deo propria, Christo non convenit, cum juvenem boni titulum ipsi tribuentem redarguat.

Resp. Nego cons. Non enim ita hunc juvenem allocutus est Christus, ut sibi bonitatem essentialem Deo vero propriam detraheret, sed e contra, ut prædictum adolescentem ad suæ divinitatis confessionem attolleret. Enim vero cum juvenis ille ad Christum accessisset, ipsumque ut magistrum cæteris

Doctoribus legis similem compellasset, eum tamen vocando bonum, hanc nactus occasionem Christus, ita propriis cum verbis cogere voluit ad suam divinitatem confitendam, quasi nimirum dixisset : Si me purum hominem existimas, noli me bonum appellare; nemo enim bonus nisi unus Deus : aut si me agnoscis bonum, quidni me pariter Deum agnoscis?

46. — *Obj.* 5° *Sedere ad dexteram meam,* inquit Christus *vel sinistram, non est meum dare nobis, sed quibus paratum est a Patre meo*; Matth. 20, v. 23; ergo Filius minorem quam Pater habet auctoritatem, ac proinde non est Deus.

Resp. Nego conseq. Ex illo textu Christus non negat suum esse largiri, ut aliquis sedeat ad dexteram et sinistram, suam, sed tantum negat suum esse hanc largiri gratiam duobus Zebedæi filiis, qui jure propinquitatis hanc postulaverant, ita ut verborum Christi sensus iste sit : Sedere ad dexteram vel sinistram non est meum, » id est, non debeo *dare vobis* propterea quod cognati mei estis, *sed quibus paratum est a Patre meo*, id est, merentibus. Hanc solutionem exemplo familiari confirmant S. Chrysostomus, Theophylactus et alii : Si rex, inquiunt, coronam proposuisset ei, qui cæteros currendo vinceret, ad ipsum vero qui coronam ab eo postulans accederet, cursu non expleto, profecto responderet ei : non est meum tibi dare, sed cui parata est, id est, victori.

47. — *Obj.* 6° Joan, 1, v. 14 : « Vidimus gloriam ejus, gloriam *quasi* unigeniti a Patre; » ergo Christus vere ac proprie ex Deo non est genitus.

Resp. Nego consequent. Nam particula, *quasi*, vim determinativam et non imminutivam retinet in textu proposito, ut constat ex allatis supra Scripturæ testimoniis, juxta quæ Christus dicitur filius Dei verus et proprius. Et vero, particula, *quasi*, in textu græco verti potest in istam, *ut*, vel, *sicut* : porro, si legamus : « Vidimus gloriam ejus, gloriam *ut*, vel *sicut*, unigeniti a Patre, » nulla amplius erit difficultas; nec magis ex illa versione sequitur Verbum, proprie loquendo, non esse unigenitum, quam eo quod Matth. v. 5, c. 14, turbæ Joannem *sicut* Prophetam habuerint, sequitur ipsas ut Prophetam verum non habuisse.

PROPOSITIO III

48. — *Spiritus Sanctus est vere Deus, seu Patri et Filio consubstantialis.* De fide est.

Hæc assertio jam constat ex prima propositione, n. 36, ubi probatum est tres esse in unitate divinæ essentiæ personas, quæ ideo sibi invicem sunt consubstantiales. Hic tamen directe confirmanda est Spiritus Sancti divinitas contra Macedonianos, n. 25. Itaque thesis

Prob. 1° *Script.* Ille certe Deus est, cui Scriptura tribuit Dei nomen, attributa, operationes et cultum : atqui ita est de Spiritu Sancto.

Et quidem in Scriptura tribuitur Spiritui Sancto 1. Dei *nomen*. « Cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te *Spiritui Sancto?*... Non es mentitus hominibus, sed *Deo*. » Act. 5, ỷ 3, 4; Matth. 22, ỷ 32; Luc. 12, ỷ 10.

« Divisiones operationum sunt, idem vero *Deus*, qui operatur omnia in omnibus... Hæc autem operatur *unus* et *idem Spiritus*, dividens singulis, prout vult. » I Cor. 12, ỷ 6, 11.

2. *Attributa* Dei, nempe *immensitas* et ubique præsentia : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*. Sap. 1, ỷ 7.

Omnipotentia. « Verbo Domini cœli firmati sunt, et *Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*. » Ps. 32, ỷ 6.

Omniscientia, « *Spiritus omnia scrutatur*, etiam profunda *Dei :* » I Cor. 2, ỷ 10. — « Cum venerit ille *Spiritus veritatis*, docebit vos *omnem* veritatem. » Joan. 16, ỷ 13.

3. *Operationes* Dei, scilicet, *creatio*, *conservatio*, *Incarnatio :* » Emittes *Spiritum tuum* et *creabuntur*, et *renovabis faciem terræ*. » Ps. 103, ỷ 30; Gen. 1, ỷ 2; Luc. 1, ỷ 35.

Resurrectio. « Quod si *Spiritus ejus*, *qui suscitavit Jesum* a mortuis, habitat in vobis, qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, *vivificabit* et *mortalia corpora vestra*. » Rom. 8, ỷ 11.

Justificatio. « Abluti estis..., sanctificati estis..., justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et *in Spiritu Dei nostri*. » I Cor. 5, ỷ 11. — « Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris *per Spiritum Sanctum*, qui *datus est nobis*. » Rom. 5, ỷ 5.

4. *Cultus* latriæ : « Membra vestra *templum* sunt *Spiritus Sancti*... Glorificate et portate *Deum* in corpore vestro. » I Cor. 6, ỷ 19, 20.

2° *Traditione.* 1. *Ex SS. Patribus.* « *Filium* et *Spiritum propheticum* una cum Patre *colimus*, et *Deum solum adoramus.* » S. Just. *Apolog.* 1, n. 6. — « Credimus *in Spiritum Sanctum*, qui non est alienus a Patre et Filio, sed *consubstantialis Patri et Filio, increatus, perfectus;* » S. Athan., *in Exposit. symboli.* — « *Spiritum Sanctum* una cum Patre et Filio *glorificamus*, eo quod persuasum sit nobis *illum a natura divina non esse alienum;* » S. Basil., *Epist.* 387, vel 159, n. 2; *de Spiritu S.*, c. 12. — « Non impune foret is, qui adversus *Spiritum Sanctum blasphemus* est; *Spiritus* autem est *Deus.* » S. Dionys. Alex. *ad Paul. Samosat.* — « Duos quidem definimus Patrem et Filium, et jam *tres* cum *Spiritu Sancto* : duos tamen deos nunquam ex ore nostro proferemus; non quasi non et *Pater Deus*, et *Filius Deus*, et *Spiritus Sanctus Deus*, et *Deus unusquisque.* » Tertull. *adv. Praxeam*, c. 13.

2. *Ex Symbolis.* Nicænum Concilium profitetur se *credere in Spiritum Sanctum.* Concilium Constantinop. I, generale II, anno 381 : « *Credimus* in Spiritum Dominum et vivificantem ; et *ex Patre procedentem, et cum Patre et Filio* adorandum et conglorificandum, *qui locutus est per Prophetas.* » Et in Epistola synodica ad Episcopos Occidentis, centum et quinquaginta Patres Græci, inter quos S. Gregorius Nazianzenus : « Fides... nos docet credere in nomine Patris, et Filii, et *Spiritus Sancti*, hoc est, in *divinitatem*, potentiam et *substantiam unam Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, etc... »

3. *Praxi* Ecclesiæ, nimirum, ex usu constanti Ecclesiæ baptizandi *in nomine Patris*, *et Filii*, et *Spiritus Sancti*, quod argumentum contra Hæreticos imprimis urgebant SS. PP.; ex precibus Ecclesiæ, quæ Deo per Filium in unitate Spiritus Sancti semper orationes obtulit; ex illa antiquissima doxologia : *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto :* si enim Spiritui Sancto sicut et Patri et Filio ita danda est gloria, inde manifestum est ipsum una cum Patre et Filio verum esse Deum.

3° *Ratione.* Ex dicendis, n. 73, Spiritus Sanctus est ipsa essentia divina quatenus *substantialis, vivens* et *infinita mo-*

tio in seipsam, ut seipsa infinite fruatur; ergo illa infinita et substantialis spiratio seu Spiritus Sanctus Deus est, ac proinde consubstantialis Patri et Filio.

49. — *Obj.* 1° Joan. 16, ỳ 13 : « Spiritus veritatis *non loquetur a semetipso,* sed quæcunque audiet, loquetur; » ergo Spiritus ille non est Deus.

Resp. Nego cons. Textus ille de Spiritu Sancto, intelligendus est, sicut est, apud Joan. 7, ỳ 16 : *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me* : atqui textus iste posterior non significat Christum velut discipulum a Patre Deo sumere doctrinam; sed unice demonstrat Christum omnia sua et proinde doctrinam a Patre suo essentialiter ducere, quatenus ab illo generatur; ergo similiter a seipso non loquitur Spiritus, seu in quantum a semetipso est, sed quatenus a Patre et Filio procedit.

50. — *Obj.* 2° Rom. 8, ỳ 26 : *Spiritus postulat pro nobis ;* et Ephes., c. 4, ỳ 30 ; *Nolite contristare Spiritum Sanctum :* atqui Deus nec orationis, nec tristitiæ capax est; ergo, etc.

Resp. ad 1um : Spiritus Sanctus postulat pro nobis, id est, per gratiam suam facit ut postulemus.

Resp. ad 2um : Contristari dicitur Spiritus Sanctus, quia facit ea quæ homines contristati facere solent; itaque verbum, *contristare*, metaphorice intelligendum est in hoc textu, ob imperfectionem ipsi annexam, et in Spiritu Sancto vero impossibilem, sicut verbum *pœnitere*, cum Deo in Scriptura applicatur.

51. — *Obj.* 3° Nec Concilium Nicænum, nec ipsum Constantinopolitanum, quod contra Macedonianos congregatum fuit, expressis vocibus Spiritum Sanctum esse Deum unquam affirmavit; ergo divinitas Spiritus Sancti nondum fidelibus proposita fuerat, ac proinde, etc.

Resp. Nego cons. In Concilio Nicæno, ut nemo noscit, de sola Verbi divinitate actum est, quæ sola tunc temporis impugnabatur ab Ario et ejus asseclis, nondum edita hæresi Macedonianorum. Quid proinde mirum videri possit, si divinitas Spiritus Sancti non expresse definita ibi fuerit? Nihilominus fidem suam satis manifestam facit S. Synodus, cum profitetur se *credere in Spiritum Sanctum*, eodem prorsus modo quo paulo ante declaravit credendum esse in Deum Patrem et in Verbum, Filium ejus consubstantialem.

Quod spectat Concilium Constantinop., revera nullibi vox *Deus*, expresse de Spiritu Sancto asserta legitur, sive quia vox illa æquivoca et insufficiens fuerit, propter Hæreticorum fraudes, sive ob aliam quæ latet rationem. At profecto æquivalenter omnino exprimitur Spiritus Sancti divinitas, ut nemo bona fide negaverit, cum in Symbolo dicatur una cum Patre et Filio *adorandus* et *conglorificandus;* et insuper in Epistola Synodica unam agnoscatur habere cum Patre et Filio *divinitatem* et *substantiam*. Quodnam clarius et expressius desiderari possit testimonium?

COROLLARIUM PRIMUM

52. — *Tres personæ divinæ sunt sibi coæquales.* De fide est.

Hoc sic profitemur in symbolo Athanasiano : « Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus; sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt et coæquales. » Id nominatim de Filio docet S. Paulus, Philip. 2, ✝ 6 : « Qui, cum in *forma Dei* esset, non rapinam arbitratus est *esse se æqualem Deo.* » Imo juxta S. August.. *de Trinit.*, lib. 7, c. 8, « tantus est vel solus Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus Sanctus, quantus est simul Pater, Filius et Spiritus Sanctus. »

Hoc sequitur ex ipsa personarum divinarnm consubstantialitate, Hac enim posita, unaquæque persona habet eamdem essentiam, naturam, substantiam divinam, et ideo eamdem infinitam perfectionem.

Revera, æquale dicitur per negationem majoris et minoris, atque ideo inæqualium non potest esse una quantitas numero : atqui in Deo quantitas non est aliud quam ejus essentia, quæ, ex dictis, una est in tribus personis; ergo tres personæ divinæ sunt sibi coæquales. S. Th. 1 p. q. 42, a. 1.

Nec obsunt *proprietates personales*, quibus personæ realiter ab invicem distinguuntur. Alii quippe negant illas, quatenus ab essentia virtute distinguntur, veram perfectionis rationem habere, eo quod tota perfectio, quæ personis divinis inest, sit formaliter ab essentia, non vero a relationibus; vide Petavium, de *Trinit.*, lib. 6, 7, Becanum,

c. 2, q. 6. Alii vero censent, ipsis personis perfectionem competere, sed tamen eas inæquales non reddere, cum sint ejusdem conditionis et dignitatis : scilicet, singulæ personæ perfectionem relativam, qua constituuntur, habent formaliter; perfectiones vero relativas aliarum personarum non habent formaliter seu ut constituentes, sed per immanentiam seu correlative.

Hoc sic exprimit S. Th. 1 p. q. 42, a. 4, ad. 2 : « Paternitas est dignitas Patris, sicut et essentia Patris. Nam dignitas est absoluta, et ad essentiam pertinet. Sicut igitur eadem essentia, quæ in Patre est paternitas, in Filio est filiatio; ita eadem dignitas, quæ in Patre est paternitas, in Filio est filiatio. Vere ergo dicitur, quod quidquid dignitatis habet Pater, habet Filius. Nec sequitur : paternitatem habet Filius. Mutatur enim *quid* in *ad aliquid*. Eadem enim est essentia et dignitas Patris et Filii, sed in Patre est secundum dantis, in Filio secundum relationem accipientis. » Vide Billuart, *de Trinit.*, dissert. 3, a. 5.

COROLLARIUM II

53. — *Admittenda est divinarum personarum circuminsessio*. De fide est.

Etenim circuminsessio unius in alterum immeatione, illapsu, penetratione continetur; atque ideo in Deo est mutua personarum divinarum in invicem coexistentia, ita ut Pater sit in Filio, Filius in Patre, uterque in Spiritu Sancto, et Spiritus Sanctus in utroque. Unde, ad circuminsessionem, requiritur, ex una parte, personarum distinctio, et, ex altera parte, unitas naturæ quacum identificentur illæ personæ ad invicem distinctæ.

Porro, ex supradictis, tres sunt in Deo personæ ad invicem distinctæ, et simul consubstantiales seu in una et eadem essentia, natura, substantia identificæ; ergo in Deo una persona est in alia et e converso, seu adest in divinis personis circuminsessio, juxta illud : Non creditis, quia *ego in Patre, et pater in me est?*... Pater autem *in me manens* ipse facit opera; » Joan. 10, ỳ 38; 14, ỳ 10; 17 ỳ 21.

« Uniuntur non ita, ut confundantur, sed ut invicem hæ-

reant, ac mutuam in se commucationem habeant sine ulla confusione et commixtione. » S. Damasc., *de Fide orth.*, lib. 1, c. 8.

« In Patre et Filio tria est considerare, scilicet, essentiam, relationem et originem ; et secundum quodlibet illorum Filius est in Patre, et e converso. Secundum essentiam enim, Pater est in Filio et Filius in Patre, quia Pater est sua essentia, et communicat eam Filio, non per aliquam suam transmutationem. Secundum etiam relationes, unum oppositorum relative est in altero secundum intellectum. Tandem secundum originem, processio verbi intelligibilis non est aliquid extra, sed manet in dicente; id etiam quod verbo dicitur, in verbo continetur. » S. Th. 1 p. q. 42, a 5.

COROLLARIUM III

54. — *Una eademque est trium divinarum personarum operatio ad extra.* De fide est.

Hoc sic profitemur in symbolo Athanasiano : « Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus : et tamen non tres omnipotentes, sed *unus omnipotens.* »

Ex supradictis enim, tres personæ divinæ sunt in una et eadem natura : atqui natura est principium et physica operationum origo, nec operatio aliud est quam naturæ motio et explicatio; ergo pro tribus personis divinis identitas est operationis, sicut et naturæ. « In SS. Trinitate illa naturalis unitatis ratio unam prosus in omnibus operibus motionem ostendit. » S. Cyrill. Alex., *adv. Nestor.* lib. 4, c. 2.

Idem clare docet Scriptura, cum eadem opera nunc Patri, nunc Filio, nunc Spiritui Sancto adscribit : « Pater meus usque modo *operatur*, et *ego operor*... *Omnia per ipsum facta sunt*... Quæcumque ille *fecerit*, hæc et *Filius similiter facit.* » Joan., 5, ℣ 17, 19; 1, ℣ 3; Coloss. 1, ℣ 16. « Si enim, inquit S, August., *de Trinit.*, lib. 1, n. 12, alia per Patrem, alia per Filium, jam non omnia per Patrem, nec omnia per Filium. » Et addit, de *Doctrina Christ.*, c. 1 : « Quoniam in Deo omnia unum sunt, *ubi non obviat rela-*

tionis oppositio, una est *voluntas* et *operatio*, qua Trinitas sacrosancta extra se *condidit, disponit* et *gubernat*. Neque enim personæ divinæ *extra se* secundum originis relationes, quibus distinguuntur, sed *secundum* quod sunt *unum* et *singulare principium, operantur.* »

Equidem actiones sunt suppositorum, eo sensu quod tribuuntur et imputantur supposito, sed a natura perficiuntur; atque ideo natura est principium *quo* seu cujus viribus perficitur actio; suppositum vero est principium *quod* agit vi naturæ, seu in cujus nomine fit operatio per naturam. Unde in Deo operatio per divinam naturam perficitur, et ad tres personas pertinet seu fit trium personarum nomine.

CAPUT III

DE MODO ESSENDI TRIUM PERSONARUM IN ESSENTIA DIVINA

Quales sint divinæ personæ sive ad invicem, sive in seipsis, dicendum superest : porro, ut jam innuimus, personæ in Deo sunt termini operationum essentiæ divinæ ; illas igitur operationes scrutari necesse est, ad dignoscendum modum essendi terminorum. Triplex erit articulus de personarum divinarum processionibus, missionibus, et nominibus.

ARTICULUS PRIMUS

De personarum divinarum Processionibus.

55. — *Quæritur quid sit processio, et quotuplex?*

Resp. Processio in divinis definitur : *Origo unius personæ divinæ ab altera vel a duabus aliis simul.*

Duplex a Theologis distinguitur processio, alia *transiens*, alia *immanens*. *Transiens* dicitur, quando effectus processionis ponitur extra causam, a qua procedit : sic, inter homines, filius ponitur extra patrem ; *immanens* vero est processio, quando terminus productus seu effectus processionis, intra principium est, et in ipso manet : sic cogitatio remanet in mente, a qua producitur.

Processio rursus dividitur in *perfectam* et *imperfectam*.

Perfecta est, si productus terminus eamdem habeat numerice naturam cum suo principio; *imperfecta* autem, si diversam habeat saltem numerice naturam.

Jam vero nulla est persona, a qua procedere possit prima persona in divinis, seu Pater; propterea dicitur *innascibilis, improcessa,* juxta illud : *Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus*, n. 5. Unde quæstio esse potest tantum de processione secundæ personæ seu Filii, et tertiæ seu Spiritus Sancti.

§ I

De Processione secundæ Personæ seu Filii.

Secunda persona in essentia divina a prima persona procedit per veram generationem. Unde

56. — *Quæritur* quid sit *generatio?*

Resp. generatio est *origo viventis a vivente principio conjuncto, in similitudinem naturæ.*

Dicitur 1° : *origo*, id est, emanatio qua productus accipit esse, non de nihilo per creationem, sed de alterius substantia.

Dicitur 2° *viventis a vivente,* quia non est veri nominis generatio, nisi utrumque, gignens videlicet et genitum, vita præditum sit; sic metalla, calculi, eo quod vita proprie dicta careant, non dicuntur generata; sic Adam e luto fictus quidem, sed non genitus affirmatur.

Dicitur 3° *principio conjuncto,* quibus duo significantur : 1. illud, unde procedit terminus genitus, esse *principium* proprie dictum seu *activum* illius termini; propterea Eva ex Adami costa elaborata, ipsius filia dici non potest : in eo enim opere Adam passive solum se habuit. 2. Idem principium *conjungi* termino genito per communicationem suæ substantiæ, cujus pars fit huic termino propria; unde Angeli, homines dici nequeunt ex Deo geniti : nihil enim in se habent divinæ substantiæ.

Dicitur 4° : *in similitudinem naturæ;* quibus duo pariter indicantur; 1. ad generationem requiri ejusdem naturæ saltem specifice communionem, juxta axioma : *omne gene-*

rans generat sibi simile; quare vermes a corpore humano erumpentes, non dicuntur ab homine generati. 2. Actionem, quæ *generatio* nuncupatur, in hanc similitudinem naturæ per se seu natura sua tendere. S. Th. 1 p. q. 27, a. 2.

Porro generationis nomen, ex usu communi et creatarum rerum similitudine, ita in Deum transferri debet ut, illi omne quod inest crassum et cum materiæ fece concretum, detrahatur, cum ad divina applicatur, ut ex dicendis constabit.

57. — Circa æternam Verbi generationem erravit Harduinus, vir singularitate opinionum percelebris; docuit enim Verbum ratione sui non esse proprie filium, et consequenter ipsum ex Deo quidem ab æterno, sed non per veram generationem procedere. His addidit humanitatem Christi, ob suam cum divina Verbi persona unionem hypostaticam, factum fuisse Dei verum naturalem et unigenitum Filium; ita ut actio transiens et libera, per quam Deus sanctissimam Christi humanitatem primo suæ conceptionis instanti cum Verbo hypostatice junxit, veri nominis sit generatio. In hoc posteriore erroris capite Harduinum secutus est Berruyerius, propter ea et alia damnatus; n. 27.

PROPOSITIO

58. — ***In essentia divina, secunda persona a prima procedit per veram generationem, ita ut prima persona vere sit Pater, et secunda vere sit Filius.*** De fide est.

Prob. 1° *Script.* Etenim 1. in Scriptura Filius Dei dicitur *simpliciter* Filius, Filius *verus*, non adoptivus, sed e contra *adoptionis auctor*, Filius *proprius, unigenitus;* atque hæc veritas Jesum Christum *esse Filium Dei,* exhibetur velut princeps quoddam objectum fidei nostræ, ob cujus confessionem beatus prædicatur Petrus, eaque ex paterna tantum revelatione oborta sistitur. Videlicet : « Ego et *Pater* unum sumus... *Pater* diligit *Filium*, et omnia dedit in manu ejus... Qui credit in *Filium,* habet vitam æternam... Non potest *Filius* a se facere quidquam... Si vos *Filius* ***libe-***

raverit, vere liberi eritis... Quotquot autem receperunt eum, *dedit eis potestatem filios Dei fieri*... Christus vero tanquam *Filius* in *domo sua*... Qui etiam *proprio* Filio non pepercit... quasi *Unigenitus* a Patre... *Unigenitus, qui est in sinu Patris*... Hæc scripta sunt ut credatis, quia Jesus est Christus *Filius Dei*.,. Tu es Christus *Filius Dei vivi*. Joan., 10, ỳ 30; 14, ỳ 16; 3, ỳ 35, 36; 5, ỳ 19; 8, ỳ 36; 1, ỳ 12; Galat., 3, ỳ 36; Eph., 1, ỳ 5; Hebr., 3, ỳ 5; Rom., 8, ỳ 32; Joan., 1, ỳ 18; 3, ỳ 16; 20, ỳ 17, 31; 11, ỳ 27; Matth., 3, ỳ 17; 17, ỳ 5; 21, ỳ 37; 16, ỳ 17.

Porro, de ratione filii simpliciter, veri, non adoptivi, cum sit omnis adoptionis auctor, proprii, unigeniti, cujus filiationis fides præstat inter articulos a Deo revelatos et a nobis credendos, est profecto ut sit genitus generatione propria, naturali, communicatione naturæ paternæ, non vero impropria et metaphorica, cujusmodi est productio, vel adoptio; ergo secunda persona in Deo est Filius Dei ratione prorsus singulari, nulli communi, seu per veram, propriam ac naturalem generationem.

2. Idem magnificis verbis confirmatur in Epist. ad Hebr. 1. Namque ibi Filius confertur prophetis et angelis, atque cum speciali emphasi perhibetur uti nomen *Filii* præ cæteris hæreditasse : « Tanto melior Angelis effectus, quanto *differentius* præ illis *nomen hæreditavit*. Cui enim dixit aliquando Angelorum : *Filius meus es tu : Ego hodie genui te?* Et rursum : Ego ero illi in *Patrem ;* et ipse erit mihi in *Filium*. » Ergo « Dominus dixit *ad me*, non ad alios, sed ad me proprie, singulariter, eo modo, quo nusquam dixit cuiquam Angelorum *: Filius meus es tu*, tu inquam, et non alii; ergo unicus, unigenitus, singularis. *Ego hodie genui te ;* non ergo adscitus, non adoptatus, sed genitus; nec gratia, quod Angeli, quod homines, sed natura Filius. » Bossuet, *in Ps*. 2. ỳ 7.

Revera, ratione illius generationis, ille Filius statim ibidem præfertur Prophetis, Angelis, imo creaturarum albo eximitur, ac declaratur omnium conditor, conservator, absolutus Dominus, generis humani reconciliator, cui et ipsi Angeli cultum latriæ exhibere tenentur.

Sed insuper, respectu Patris, idem Filius dicitur *splendor gloriæ et figura* (χαρακτηρ, expressa imago) *substantiæ* Patris ; et ideo a Patre exhibetur distinctus, sed non ab eo avulsus, cum sit ejus manifestatio et ejusdem substantiæ.

Tandem, ratione ejusdem generationis, idem Filius ibidem prædicatur *immutabilis, æternus, verus Deus,* ✝ 8, 10. Ergo in Scriptura naturalis generatio Filii verbis clarioribus declarari non potuit.

2° *Traditione.* Seculo quarto tota concertatio cum Arianis circa hoc verbum versabatur, utrum Filius Dei sit creatura, an vere genitus generatione naturali, qua ei Pater communicaverit in solidum totam divinam substantiam ; et ideo hujusmodi generatio naturalis asserta fuit ab omnibus Conciliis et Patribus orthodoxis, qui seculo quarto contra arianos propugnarunt.

Nec minus unanimes fuere Patres antenicæni de eadem generatione naturali, præsertim quando explicant Ps. 2, ✝ 7 ; Ps. 109, ✝ 3 ; Isa., 53, ✝ 8 ; atque adeo Patrizi testatur ex 65 Patribus a se consultis, 53 illa verba de divina generatione intelligere ; n. 36, 37, 41.

Cujusmodi traditio sic consignatur in symbolo Nicæno : « Credo in Deum *Patrem*... et in Jesum Christum, *Filium* Dei *unigenitum*, *natum ante omnia secula.* »

Et in Symbolo Athanasiano : « Est ergo fides recta, ut credamus, quia Dominus noster Jesus Christus, *Dei Filius*, Deus et homo est : Deus est ex *substantia Patris ante secula genitus*... Non factus, nec creatus, sed *genitus.* »

3° *Ratione.* Pater gignit Filium intelligendo : porro hujusmodi actus est vera generatio ; ergo secunda persona in Deo est vere Filius. Duæ præmissæ constabunt ex evolvendis in subsequentibus. Scilicet,

39. — *Quæritur* 1° an in divinis Filium gignet Pater *intelligendo?*

Resp. affirmative, et certum est, ait Suarez, *de Trinit.*, lib. 1, c. 5. Etenim 1. in Scriptura, Joan. 1, Filius sæpe vocatur *Verbum* ὁ λογος, ita ut Filius ad Patrem se habeat, sicut ad intellectum verbum, ait S. Gregor. Naz., *Orat.* 36 ;

vel dicitur *Sapientia ex ore Altissimi*, seu ex intellectu Dei, prodita, primogenita ante omnem creaturam, Eccli., 24, ✝ 5.

2. Idem sentiunt communiter SS. Patres, ut videre est apud Petavium, *de Trinit.*, lib. 6, c. 1; Thomassin., c. 16; S. Anselm,, *Monolog.*, c. 29. « Tanquam *se ipsum dicens* Pater *genuit Verbum* sibi æquale per omnia... hoc Verbum immutabiliter sic se habet, ut se habet, de quo est; » S. August., *de Trinit.*. lib. 15, c. 14.

3. Ratione confirmatur. Etenim, quicunque intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid intra seipsum, quod est conceptio rei intellectæ, ex vi intellectiva proveniens, et ex ejus notitia procedens, *verbum cordis* aut mentis nuncupata, per quod cogitans sibi enarrat objectum cogitatum, et quod significatur verbo vocis.

Hujusmodi conceptio est proprie terminus intellectus; discrepat ab intellectu ut sic, et ab objecto intellecto in se sumpto; et nihilominus manet in intelligente, alioquin non esset conceptio ejus, nec terminus intellectus; atque eo est intelligenti magis intima, quo quid magis intelligitur, ita ut intellectus secundum hoc quod actu intelligit, fit magis unum cum intellecto. S. Th., 1 p., q. 27, a. 1.

Porro, ex una parte, processiones in divinis accipi non possunt nisi secundum actiones, et quidem proprias seu accommodatas naturæ divinæ; ex altera vero parte, natura divina est pure seu infinite intellectualis, ejusque ideo operatio est intelligere et velle seipsam; ergo in Deo prima processio fit intelligendo, id est secundum emanationem intelligibilem, utpote verbi intelligibilis a dicente, quod manet in ipso, et quo essentia divina sibi enarrat quidquid ipsa est. Intelligere autem divinum est summe perfectum, seu est ipsum esse divinum; ergo Verbum divinum est substantiale, Verbum simpliciter, et omnino unum cum eo, a quo procedit, absque omni diversitate, S. Th., *ibid.*, a. 1, 51.

1. « Penser, c'est concevoir. Toute pensée est *conception* et *expression* de quelque chose : toute pensée est l'expression, et par là une conception de celui qui pense, si celui qui pense, pense à lui-même; et c'en serait une conception et expression parfaite, éternelle, *substantielle*, si celui qui pense, était parfait, éter-

Revera, ut addit idem S. Doctor, cum Deus sit super omnia, ea quæ in Deo dicuntur, sunt intelligenda secundum similitudinem supremarum creaturarum, quæ sunt intellectuales substantiæ, a quibus etiam similitudo accepta deficit a repræsentatione divinorum. Catechis. Rom., p. 1, a. 1, n. 15.

60. — *Quæritur* 2° an Verbi processio per emanationem intelligibilem sit vera generatio?

Resp. Affirmative. Nam ex dictis n. 56, generatio proprie dicta est origo viventis a vivente principio conjuncto in similitudinem naturæ : porro talis est in divinis processio Verbi. Et quidem 1. *origo* seu emanatio intelligibilis, ex modo dictis. — 2. *Viventis a vivente*, quia procedit per modum actionis intelligibilis, quæ est operatio vitæ, juxta illud : « Sicut Pater habet *vitam* in semetipso, sic dedit et *Filio habere vitam* in semetipso; » Joan., 5, ℣ 26. — 3. A vivente *conjuncto;* nam, ex modo dictis, Verbum est distinctum quoad personam, sed quoad naturam perfecte unum cum eo, a quo procedit, in quo summe immanet, juxta illud : *Ego et Pater unum sumus...*, *Verbum erat apud Deum;* Joan., 1, ℣ 1; 10, ℣ 30. Exinde excluditur imperfectio, qua inter homines existentia patris distinguitur a filii existentia, ita ut filius non immaneat in patre. — 4. *In similitudinem naturæ;* conceptio enim intellectus est similitudo rei intellectæ, et in eadem natura existens : porro Deus seipsum intelligit, et ita suiipsius intelligentis simili-

nel, et s'il était *par sa nature toute substance*, sans avoir rien d'*accidentel* en lui-même, ni rien qui puisse être surajouté à sa pure et inaltérable substance.

« Dieu donc, qui pense *substantiellement*, parfaitement, éternellement, et qui ne pense, ni ne peut penser qu'à lui-même, en pensant, connaît quelque chose de *substantiel*, de parfait et d'éternel comme lui : c'est là son enfantement, son éternelle et parfaite génération. C'est donc ainsi que Dieu est Père; c'est donc ainsi qu'il donne la naissance à un Fils, qui lui est égal.

« Son nom est *le Verbe*, la Parole : non une parole étrangère et accidentelle : Dieu ne connaît rien de semblable; mais une parole qui est en lui une personne subsistante, coopératrice, concréatrice, *composant et arrangeant toutes choses...* C'est la parole, la parole, dis-je, par laquelle un Dieu éternel et parfait se dit lui-même à lui-même tout ce qu'il est, et conçoit, et engendre, et enfante tout ce qu'il dit. » Bossuet, 4e *Elévat.*, 2e *Sem.*

tudinem concipit, et quidem substantialem, quia in Deo non est accidens, sed intelligere in eo idem est ac esse; ergo Verbum est ipsius divinæ naturæ intelligentis seu Patris imago, speculum, figura substantialis, vivens et infinita, juxta illud : « Qui est *imago Dei invisibilis, splendor gloriæ, figura* (character) *substantiæ ejus,* Coloss., 1, ℣ 15; Hebr., 1, ℣ 3 : « *Candor* est *lucis æternæ*, et *speculum* sine macula *Dei majestatis,* et *imago bonitatis illius;* » Sap., 7, ℣ 36. Ergo processio Verbi per emanationem intelligibilem est vera generatio, atque ipsum Verbum procedens merito dicitur *Filius,* ac principium a quo sic procedit, vere *Pater* denominatur.

Equidem in mente humana idea seu conceptio proprie et complete *generationis* nomen non sortitur, eo quod illa conceptio non est quid in se substantiale ac vivens, sed quid mere accidentale pro mente humana, in qua intelligere non est, sicut in Deo, idem ac esse.

Insuper, mens humana sui cognitionem non acquirit nisi concipiendo. Porro dici nequit Patrem tantum generando acquirere cognitionem sui, ut asseruit Gunther. Nam, ut notatum est, in Deo intelligere idem est ac esse. Sed etiam Pater, ab æterno Filium generando, suam substantiam ei dat omniaque attributa; ac proinde sapientiam et perfectam sui cognitionem dici non potest Patrem generando accepisse, quam ut Filio communicare posset, jam habebat. Unde iterum analogiæ ad illustrandum quidem aliquatenus, non vero ad explicandum Trinitatis mysterium, valent.

61. — Hinc 1° prima et secunda persona in Deo constituuntur per relationem *paternitatis* et *filiationis* ad intra.

Prima enim persona est essentia divina quatenus principium conceptionis seu imaginis substantialis suiipsius; secunda autem persona est hæc vivens, substantialis imago essentiæ divinæ, ab hac quatenus intelligente procedens; ergo persona Patris et persona Filii sunt relationes paternitatis et filiationis ut subsistentes in essentia divina, n. 19.

Unde relatio paternitatis, filiationis, constituit personam

divinam non in se, uti abstracta ab essentia, sed quatenus ut *forma* essentiam divinam tanquam subjectam *materiam afficit*. Scilicet, eadem essentia est Pater, et, sub hac formali ratione ut Pater, generat Filium: eadem est Filius, et, sub hac formali ratione ut Filius, generatur a Patre; eadem est Spiritus Sanctus, et, sub hac formali ratione ut Spiritus Sanctus, procedit a Patre et Filio, ut infra, n. 75. Quare dici nequit : *Essentia generat, generatur,* sed dicendum est : *Pater generat, Filius generatur;* quia actiones tribuuntur non naturæ, qua tali, sed suppositis.

In creaturis autem persona non constituitur per relationem quamlibet etiam naturalem; sic, v. g., pater non constituitur ut persona per relationem paternitatis; nec filius fit persona per filiationis relationem. Quare, ut ait S. August., *Serm.* 38, nullus modus processionis alicujus creaturæ perfecte repræsentat divinam generationem; sed oportet ex multis modis colligere similitudinem, ut quod deest ex uno, aliqualiter suppleatur ex altero. Inter omnia tamen expressius repræsentat processio verbi ab intellectu. S. Th. 1 p. q. 42, a. 2, ad 1.

62. — Hinc 2° *intelligere* potest esse tribus personis commune, et nihilominus solum Patrem intelligendo gignere Filium, et non singulas personas gignere Verbum.

Scilicet, in Deo intelligere non distinguitur ab esse, quia in Deo non est accidens, sed solummodo essentia seu substantia. Porro esse, et ideo intelligere divinum, considerari potest vel absolute seu uti *essentia* divina, et ideo uti commune tribus personis, vel uti afficitur triplici charactere paternitatis, filiationis, spirationis passivæ seu processionis : si prius, esse et intelligere neque gignit, neque est genitum, neque processum, nec ideo Verbi productivum. Si posterius, esse et intelligere est in Patre gignando et in Filio nascendo, ait S. August. *de Trinit.* lib. 15, c. 12; seu, ut addit S. Th., *Cont. Gent.* lib. 4, c. 13, « Pater habet ad generare generativam potentiam, Filius autem ad generari : quæ sola relatione differt. » Unde concludit Suarez, lib. 1, c. 7, « in Filio et in Spiritu Sancto jam non

habet intellectus illam veluti virtutem generandi, quia jam habuit actum sibi adæquatum, qui multiplicari non potest. »

63. — Hinc 3° omni modo perfecta est generatio, qua secunda persona a prima procedit.

Perfectio enim generationis in ejus termini perfectione consistit, aut ex hac colligitur : atqui omni modo perfectus est divinæ generationis terminus, cum sit suo principio consubstantialis, similis infinite, immanens, essentialis, æternus, metaphysicus.

Et quidem 1. suo principio *consubstantialis*, non vero quid in eo accidentale; per hujusmodi enim generationem communicatur ipsa essentia divina, n. 41.

2. Infinite *similis*; nam secunda persona est Patris imago, substantialis, vivens et infinita, n. 60.

3. *Immanens*, eo quod Filius in una ac eadem substantia est ac Pater, n. 59.

4. *Essentialis*, non contingens ; siquidem operatio Dei ad intra et hujus operationis terminus, non minus est essentialis, ac ipsamet essentia divina, quam terminat.

5. *Æternus*, non temporaneus, cum, ex jam dictis, non minus sit essentialis ac divina essentia, juxta illud : *Egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis ;* Micheæ 5, ℣ 2.

6. *Metaphysicus*, id est, pura emanatio, absque ulla mutatione ex parte subjecti aut termini ; absque ulla prioritate temporis aut naturæ in una persona ; absque ulla dependentia, divisione, partitione aut separatione substantiæ, uno verbo, absque ulla imperfectionis umbra, quæ in essentia divina, quocunque sumatur respectu, absolute repugnat.

64. — Hinc 4° in divinis inter primam et secundam personam, nullus alius existit ordo, nisi *originis* seu naturæ.

Etenim ordo dicitur per comparationem ad aliquod principium, v. g., sive situs, sive demonstrationis, sive causalitatis, sive principii quoad principiatum : porro, cum

essentia divina sit tribus personis communis et una, inter eas non potest esse prioritas proprie dicta, sed ordo tantum originis seu naturæ, ita ut alter non sit prior altero quocunque modo, sed alter sit *ex altero*.

Nec hic dicitur ordo *naturæ*, eo sensu quod ipsa natura ordinetur, sed quod ordo in divinis personis attenditur secundum *naturalem* originem.

Tandem vox *natura* quodammodo importat notionem operationis, et ideo principii, non autem vox *essentia;* ac proinde ordo originis melius nominatur ordo naturæ, quam essentiæ. S. Th. 1 p. q. 42, a. 3.

65. — *Obj.* 1° Deus est ens a se; ergo Verbum, quod est Deus, a Patre non procedit.

Resp. Nego consequent. Deus enim ens a se dicitur hoc sensu, quod vi essentiæ suæ atque independenter a causa extrinseca existat; Verbum autem procedere dicitur, quatenus a Patre tanquam a principio intrinseco originem ducit : atqui ex hac notione entis a se et procedentis ab alio, patet nullam inter utrumque dari veram incompatibilitatem; ergo, quamvis Deus sit a se, minime sequitur Verbum, quod est Deus, ab alio suam non ducere originem.

66. — *Obj.* 2° Si Verbum a Patre gigneretur, jam Pater Verbo prior esset : atqui Verbo, quod Deus est, nihil prius esse potest; ergo, etc.

Resp. Dist maj. Si Verbum a Patre gigneretur, jam Pater Verbo prior esset prioritate originis, *conc.*; prioritate dignitatis vel temporis, *nego*. Itaque Filius cum ex Patre sit, certe juxta originem posterior est illo; at ejusdem est cum Patre suo dignitatis et antiquitatis : ipsius enim naturæ communicat.

67. — *Obj.* 3° Generatio imperfectionem sonat; ergo illam Verbo, quod perfectum est, tribuere non licet.

Resp. Dist. ant. Imperfectionem sonat in creatis, *conc.*; in divinis, *nego*. Itaque generationis humanæ defectus in divinam transferri non debent, nec ex nominis identitate hinc et illinc perfecta conjicienda est similitudo. Certe multa in Deum alia conferuntur ex creaturarum similitudine, quæ diverso ab eis modo præstantissimæ illi naturæ conveniunt.

68. — *Inst.* Loca Scripturæ, quibus nituntur Theologi ad

probandum processionem Verbi esse veram generationem, metaphorice intelligi debent, v. g., istud Ps. 106 : *Ex utero ante luciferum genui te.*

Resp. Dist. ant. Metaphorice intelligi debent, id est, de generatione spirituum propria, *conc.;* de figurata generatione, *nego.* « *Ineffabilis illa generatio*, inquit Aug. lib. 1 *contra Maximinum,* c. 7, etiamsi ex utero Patris accipiatur, hoc significatum est, quia *de se ipso*, hoc est, de substantia sua *Deus Deum genuit.* »

69. — *Obj.* 4° Loca Scripturæ, in quibus Christus vocatur filius Dei, unigenitus Patris, et filius Dei proprius, intelligi possunt de Christo secundum humanitatem, quatenus scilicet ista, operante Spiritu Sancto, in utero beatæ Virginis formata est; ergo. etc.

Resp. Nego ant. 1. Quia, si ob causam in objectione datam, Christus esset filius Dei unigenitus et proprius, jam Spiritus Sancti filius apellaretur, cum formatio corporis ejus in utero Virginis Spiritui Sancto tribui soleat : atqui tamen nunquam in Scriptura aut Traditione filius Spiritus Sancti vocatur; ergo, etc. 2. Hac de causa Christus non potest dici filius Dei, si actio divina corporis Christi productiva non sit vera generatio : atqui res ita est; nam generatio definitur : *Origo viventis a principio vivente conjuncto, in similitudinem naturæ :* atqui evidens est istam generationis definitionem nullatenus convenire actioni, per quam corpus Christi a Spiritu Sancto in utero Virginis formatum est; ergo, etc.

70. — *Inst.* Luc. 1, ℣ 35, sic legitur : Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, *ideoque* et *quod nascetur ex te* Sanctum, vocabitur *Filius Dei :* » atqui in hoc textu particula causalis, *ideo* manifeste significat actionem Spiritus Sancti productivam corporis Christi in utero Virginis, esse rationem ob quam Christus ibi vocatur Filius Dei, et proinde actionem illam Spiritus Sancti esse veri nominis generationem.

Resp. Nego min. Tota enim Patrum Traditio hunc textum S. Lucæ intellexit de æterna Christi filiatione : porro nefas est ab illis in expositione Scripturæ recedere; ergo, etc. Nec contrarium evincit particula causalis, *ideo*, sed potius confirmat; ipsa enim hic indicat concursum specialem Patris ad constitutionem Christi, ita ut textus S. Lucæ propositus sit reddi possit : *Spiritus Sanctus superveniet in te*, ad formandum, scilicet,

ex te naturam humanam Christi, *et virtus Altissimi*, id est, Pater, *obumbrabit tibi*, seu in sponsam te accipiet, præbendo Filii sui personam, ut in illa natura humana per te genita subsistat, *ideoque, quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.*

Juxta alios, verba, *virtus Altissimi obumbrabit tibi*, intelligenda sunt de Verbo, quod in Scriptura dicitur *Virtus Dei;* unde sensus verborum Evangelii talis est : « Spiritus Sanctus superveniet in te, o Maria, et virtus, id est, Filius Altissimi obumbrabit tibi, hoc est, descendet in te, humanitatem sibi hypostatice juncturus, ideoque fructus ventris tui Filius Dei erit ac vocabitur. Utraque interpretatio particulæ causalis, *ideo*, eum, quem ipsi tribuunt adversarii, sensum conservat, et tamen difficultatem penitus dissolvit.

§ II

De Processione tertiæ personæ seu Spiritus Sancti.

71. — *Expositio historica.* Quod Spiritus Sanctus a Patre procedat, negarunt Eunomiani, ex S. Basilio, lib. 2 adversus Eunomium, n. 24; sed error ille adeo claris Scripturæ textibus refellitur, ut altas radices agere non potuerit. Non ita est de altero errore, juxta quem dicitur Spiritum Sanctum ex Patre, et non ex Filio suam originem ducere; jamdudum enim in Oriente natus, hodiedum apud Græcos perseverat, ipsosque ab Ecclesia Catholico-Romana disjungit.

Photius, pseudo-patriarcha Constantantinopolitanus, IX Ecclesiæ seculo, in odium Ecclesiæ Romanæ, a qua juste fuerat depositus, dogma processionis Spiritus Sancti ex Patre simul et Filio impugnavit, et Latinos assertores hujus velut hæreticos traduxit, n. 27. Exinde, et hac plurimum de causa, graves et variæ Græcos inter et Latinos exortæ sunt contentiones, pace non semel inita, sed fere statim a Græcis rupta. XI Ecclesiæ seculo, instaurata est inter utramque Latinam et Græcam Ecclesiam pugna, et consummatum schisma, promovente Michaele Cærulario, Patriarcha Constant. Quamobrem varia subinde Concilia ad pacem ineundam habita sunt, præsertim Lateranense IV, anno 1215 : et Lugdunense II, anno 1274; et Florentinum, anno 1439. In his omnibus Conciliis vere œcumenicis pax

inter utramque Ecclesiam sancita, et dogma processionis Spiritus Sancti a Patre et Filio stabilitum est. At pro innata Græcis inconstantia, ad errorem reversi sunt. Vide Tract. *de Eccl.*, n, 253. Itaque

PROPOSITIO

72. — *Spiritus Sanctus a Patre et Filio vere procedit.* De fide est.

Et quidem 1° *a Patre*, ut constat tum Scriptura « Mittam vobis *a Patre Spiritum* veritatis, *qui a Patre procedit;* » Joan. 15, ỷ 26; tum ex SS. Patribus statim citandis; tum ex Synodo Constantin., generali II, quæ processionem Spiritus Sancti a Patre solemniter definivit contra Eunomianos.

2° *A Filioque. Prob. Script.* Etenim 1. in Scriptura Spiritus Sanctus dicitur Spiritus *Filii*, vel *Christi*, vel *Jesu*, sicut in aliis locis dicitur Spiritus *Dei*, vel *Patris :* «... Et non permisit *Spiritus Jesu*... Misit Deus *Spiritum Filii* sui; » Galat. 4, v. 6; Philip. 1, v. 19: I Petr. 1, v. 11 : atqui Spiritus Sanctus dicitur Patris, quia a Patre procedit; ergo similiter Spiritus Sanctus a Filio quoque procedit, eo quod dicitur Spiritus Filii. Aliunde in divinis non est alia relatio quam originis; ergo Spiritus Sanctus non potest esse Filii, nisi quia procedit a Filio.

2. Præterea in Scriptura Spiritus Sanctus sæpe dicitur missus non solum a Patre, sed etiam a Filio : « Si abiero, *mittam eum* (Spiritum Sanctum) *ad vos*... Cum venerit Paracletus, *quem ego mittam* vobis a Patre... Insufflavit et dixit eis : *Accipite Spiritum Sanctum.* » Joan. 15, v. 26; 16, v. 7; 20, v. 22; Luc. 24, v. 49. Porro missio in divinis involvit processionem personæ missæ a mittente, ex dicendis infra; ergo Spiritus Sanctus procedit quoque a Filio.

3. Tandem in Scripturis diserte dicitur Spiritum Sanctum accipere a Filio, atque Filius testatur se omnia habere, quæ Patris sunt, excepta paternitate : « Ille (Spiritus Sanctus) me clarificabit, quia *de meo accipiet*, et annuntiabit vobis. *Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt. Prop-*

terea dixi : *quia de meo accipiet* et annuntiabit mihi ; » Joan. 16, v. 13 et seq. : porro in divinis nulla alia est ratio accipiendi quam per processionem ; atque Filius, cum habeat omnia quæ sunt Patris, habet ideo virtutem spirandi, quæ est in Patre ; ergo Spiritus Sanctus a Filio quoque procedit, et ab eo, sicut a Patre, spiratur.

2. *Traditione.* In hoc enim consentiunt omnes SS. Patres, ex quibus Græci præ cæteris referendi sunt. « Quæcunque habet Spiritus, *hæc habet a Verbo... Ex Verbo* Spiritus Sanctus *effulget,* et ab *eo mittitur et datur.* » S. Athan. *Orat.* 4 *cont. Arianos, Epist.* 9 *ad Serap.*

« Ut Patri conjunctus est Filius, et cum *ex illo esse habeat,* non tamen posterius existit ; sic etiam *Spiritus Sanctus proxime hæret Filio,* qui sola cogitatione secundum rationem principii prius consideratur. » S. Gregor. Nyss. *cont. Eunom.* lib. 1.

« Non est aliquid in rebus *quod Filio insit,* et a *Patre alienum sit ; omnia* enim, inquit, *mea, tua sunt, et tua, mea.* Quomodo igitur Eunomius *Spiritus causam* Unigenito *soli attribuit ?* » S. Basil. *cont. Eunom.* lib. 2.

Spiritus Sanctus profunditur a Filio non minus quam ex Deo Patre. S. Cyril. Alex. *Epist. ad Nestor.*, n. 10.

« Non alienus est Patre et Filio Spiritus Sanctus, sed ex eadem divinitate, ex Patre *et Filio,* cum Patre et Filio subsistens semper Spiritus Sanctus. » S. Epiph. *Hæres.* 62, n. 4.

Idem definitum est a Conciliis ; scilicet, a Conc. Lateran. IV : « *Pater a nullo, Filius autem a solo Patre, ac Spiritus Sanctus ab utroque pariter.* »

A Conc. Lugdun. II, Græcis assentientibus : « Fatemur quod *Spiritus Sanctus* æternaliter *ex Patre et Filio,* non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam *ex uno principio,* non duabus spirationibus, sed *unica spiratione procedit.* »

Eugenius IV Papa Conc. Florentini, cui adhæserunt Græci doctrinam sic expressit : « Sacro universali approbante Florentino Concilio, definimus ut hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur et suscipiatur, quod *Spiritus*

Sanctus ex Patre et Filio... æternaliter tanquam ab *uno principio* et *unica spiratione procedit.* »

3° *Ex analogia.* In divinis non est processio nisi secundum actionem intellectus et voluntatis, qua res intellecta manet in intelligente, et res amata in amante. Porro, ex dictis n. 59, Filius in Deo procedit secundum actionem intellectus ; ergo Spiritus Sanctus procedere nequit nisi per voluntatis actionem.

Atqui de ratione voluntatis et intellectus est, quod processiones, quæ sunt secundum actionem utriusque, se habeant secundum quemdam ordinem, quatenus nihil potest voluntate amari, nisi sit intellectu conceptum ; ergo similiter in divinis processio amoris seu Spiritus Sancti a processione Verbi habet ordinis distinctionem[1].

Revera, licet in divinis sit eadem substantia intellectus et conceptio intellectus, tamen adest ordo Verbi ad principium a quo procedit ; ergo, licet in Deo sit idem voluntas et intellectus, nihilominus processio amoris ordine distinguitur a processione Verbi. S. Th. 1 p. q. 27, a. 3.

73. — Hinc 1° sub multiplici respectu generatio Filii differt a processione Spiritus Sancti.

Equidem, ut ait S. August. *contra Maximin.*, lib. 3, c. 13. « distinguere inter illam generationem et hanc processionem nescio, non valeo, non sufficio. » Attamen aliquod discrimen introspicere possumus cum Doctoribus. Scilicet, 1. Filius procedit per actionem intelligibilem, secundum

1. « Dieu n'aime-t-il pas ce Fils, et n'en est-il pas aimé? Cet amour n'est ni imparfait, ni *accidentel* à Dieu ; l'*amour* de Dieu est *substantiel comme sa pensée* : et le Saint-Esprit, qui *sort du Père et du Fils*, comme *leur amour mutuel*, est de même substance que l'un et l'autre, un troisième *consubstantiel*, et avec eux un seul et même Dieu.

« ... O Dieu Saint-Esprit ! vous n'êtes pas le Fils, puisque vous êtes *l'amour éternel* et *subsistant du Père et du Fils* : qui *supposez* par conséquent *le Fils engendré*, et engendré comme Fils unique, à cause qu'il est parfait. Vous êtes parfait aussi, et *unique en votre genre et en votre ordre*. Vous n'êtes pas *étranger au Père et au Fils*, puisque vous en êtes l'*amour et l'union éternelle*, vous procédez nécessairement de l'un et de l'autre, puisque vous êtes *leur amour mutuel*. Qui voudrait vous séparer d'eux, *les séparerait eux-mêmes entre eux, et diviserait leur règne éternel.* » Bossuet, 5e *Elév.*, 2e *sem.*

quam res intellecta est in intelligente; Spiritus Sanctus autem procedit per actionem voluntatis, secundum quam amatum est in amante; et propterea prior concipitur processio Verbi, quam processio Spiritus Sancti. 2. Proinde Filius procedit a solo Patre, sicut res intellecta ab intelligente; Spiritus Sanctus procedit a Patre et Filio, sicut amor procedit a cognitione et ab intelligente. 3. Filius gignitur, quia, vi suæ processionis per intellectum, est similis suo principio intelligenti; Spiritus Sanctus non gignitur, quia, vi suæ processionis per voluntatem, non est similis suo principio volenti; res enim volita non est in voluntate secundum suam similitudinem, sed secundum aliquam motionem in rem volitam; et ideo Spiritus Sanctus non procedit per generationem, sed per *spirationem*, unde *Spiritus* nuncupatur. Quo nomine designatur quædam vitalis motio et impulsio, prout aliquis ex amore dicitur movere vel impelli ad aliquid faciendum. S. Th. *ibid.*, a. 4. Proinde. 4. Filius est Verbum, lumen, imago vivens, substantialis, infinita Patris; Sanctus autem Spiritus est amor vivens, substantialis et infinitus Patris et Filii.

Equidem Spiritus Sanctus Patri et Filio similis est, in quantum habet *eamdem* naturam, non vero quatenus est proprie Spiritus seu ratione *modi*, quo essentia divina ei communicatur. Sed etiam similitudo est de ratione non solum verbi, sed et amoris, juxta illud : *Omne animal amat sibi simile*. At hujusmodi similitudo aliter pertinet ad verbum, et aliter ad amorem. Nam ad verbum pertinet, in quantum ipsum est quædam similitudo rei intellectæ; et ad amorem, non quod ipse sit similitudo, sed in quantum similitudo est principium amandi; ac proinde amor non est genitus, sed genitus est amoris principium. S. Th. *ibid.*, ad 2.

Tandem in creaturis communicatio naturæ non fit nisi per generationem; et ideo deficit nomen speciale ex creaturis desumptum ad designandam communicationem naturæ divinæ per processionem amoris, quæ ideo designatur nomine communi *spirationis*. S. Th. *ibid.*, ad 3.

74. — Hinc 2° Spiritus Sanctus procedit a Patre et Filio tanquam ex *unico principio*, *unica spiratione*, et *uno spiratore*, non vero duabus spirationibus, licet sint duo spirantes. De fide est.

Hoc expresse declaratur a Conc. Lugdun. II, et ab Eugenio IV, ut supra, n. 72. « Sicut Pater et Filius unus Deus, et ad creaturam relatus unus creator et unus Dominus, sic relative ad Spiritum Sanctum *unum principium*, » ait S. August. *de Trinit.*, lib. 5, c. 14. Revera, eadem est essentia Patris et Filii : atque virtus spirandi et ipsa spiratio activa procedit ab essentia divina ; ergo Spiritus Sanctus a Patre et Filio simul immediate procedit, non vero a Patre mediante Filio, juxta axioma S. Anselmi ab Eugenio IV receptum in decreto pro Jacobitis : *Omnia in divinis sunt idem* seu communia, *ubi non obviat relationis oppositio.*

Attamen, quatenus Filius a Patre una cum essentia spirationem accipit, dici potest Spiritum a Patre per Filium procedere. Quare S. August., *de Trinit.* lib. 15, c. 17, ait Spiritum Sanctum *principaliter* de Patre procedere, eo sensu quod Pater virtutem spirandi non habet ab alio, sicut Filius, sed est principium sine principio.

75. — Hinc 3° tertia persona in divinis constituitur per relationem *spiratoris* et *spirati* ad intra.

Nam, ex modo dictis, spirator seu principium tertiæ personæ est divina essentia quatenus Pater et Filius, qui uti unicum principium in essentia divina, spirant Spiritum Sanctum ; Spiratus autem est Spiritus Sanctus, qui, ut talis, respicit Patrem et Filium tanquam sui unicam spirationem. Unde in divinis tertia persona est relatio spirationis passivæ seu processionis ut res subsistens, n. 19.

Nec, ut monuimus, n. 61, constitutio personæ divinæ ita concipienda est, ac si in sola relatione paternitatis, aut generationis passivæ, aut passivæ spirationis constituatur, quin simul concipiatur essentia ; sed constituit personam relatio, quatenus ut *forma essentiam* tanquam *subjectam materiam officit*. Unde dici nequit : *essentia divina spirat, spiratur ;* sed dicendum est : *Pater* et *Filius spirant, Spiri-*

tus Sanctus spiratur, id est, essentia divina quatenus Pater et Filius spirat, vel essentia divina quatenus Spiritus Sanctus spiratur. Actiones enim perficiuntur natura, sed tribuuntur personis.

76. — Hinc 4° *velle* potest esse tribus personis commune, et nihilominus Patrem et Filium tantum, volendo, spirare Spiritum Sanctum, et non singulas personas spirare Spiritum Sanctum, ut infertur ex dictis n. 62. De amore enim vera sunt, quæ ibi absolvimus de intellectu.

77. — Hinc 5° omni modo perfecta est spiratio, qua tertia persona procedit a Patre Filioque. Constat ex simili probatione jam allata pro Verbi generatione, n. 63.

78. — Hinc 6° in divinis inter duas primas personas et tertiam nullus alius existit ordo nisi originis, ut jam probatum est de Patre et Filio ad invicem, n. 64.

79. — *Quæritur* autem 1° an particula *Filioque* merito addita sit Symbolo?

Resp. affirmative, contra Græcos qui contendunt, tametsi Spiritus Sanctus procederet ex Filio, licitum tamen non fuisse Latinis hunc articulum Symbolo addere. Contrarium autem sic declaravit Conc. Florent., consentientibus Græcis et Latinis : *Definimus explicationem verborum illorum,* Filioque, *veritatis declarandæ gratia et imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam.*

Et vero hæc additio legitima est, quæ gravi de causa per idoneam auctoritatem facta est : atqui particula, *Filioque*, Symbolo addita fuit, 1. gravi de causa, scilicet, ob exortam de processione Spiritus Sancti hæresim, ne tunc temporis imperiti legentes in Symbolo Spiritum ex Patre procedere, nulla Filii mentione facta, errandi occasionem sumerent. 2. Per idoneam auctoritatem, Ecclesiæ scilicet; quamvis enim additio præfata nonnisi a particularibus Ecclesiis, Hispana nimirum et Gallica, primum invecta fuerit, brevi tamen in Romana, imo in tota passim obtinuit Ecclesia.

Aliunde, si licuit Ecclesiæ in Concilio Nicæno congregatæ, vocem *Consubstantialis* addere Symbolo Apostolorum; si eidem in Concilio Constantin., generali II, Symbolo Nicæno quædam, puta Spiritus Sancti ex Patre processionem adjicere licitum fuit; nonne manifestum est Ecclesiam pari jure, ob novam de processione Spiritus Sancti exortam hæresim, particulam *Filioque* Symbolo Constantinopolitano adjicere potuisse? Et certe, minor non est Ecclesiæ noni vel decimi, quam Ecclesiæ quarti vel quinti seculi auctoritas.

80. — *Quæritur* 2° *quonam tempore* particula, *Filioque*, Symbolo addita fuerit.

Resp. De tempore, necnon de primo auctore ipsius apud eruditos non constat; hæc dixisse sufficiat :

1. Certum est particulam istam in Symbolo Ecclesiæ Hispanæ contineri, sexto labente seculo : hanc enim legere est in Concilio Toletano III, anno 589, in quo rex Recaredus hanc formulam fidei recitavit : *Credimus et in Spiritum Sanctum..... ex Patre Filioque procedentem.*

2. Apud Gallos et Germanos saltem octavo seculo recepta est, ut patet ex actis Concilii Francofordiensis et Forojuliensis, ubi declarant Patres, *propter Hæreticos, qui susurrant Spiritum Sanctum solius esse Patris, et a solo Patre procedere, additum* esse Symbolo Nicæno : *Qui ex Patre Filioque procedit.*

3. In Ecclesia Romana additio probabatur seculo nono, quippe Photius, circa annum 858, Latinis exprobrabat quod *Symbolo falsare aggressi essent*. Quam criminationem Ratramnus, Corbeiensis monachus, diluere suscipiens, factum non negat, sed solummodo defendit.

81. — *Obj.* 1° Synodus Constantinop., generalis II, loquens de processione Spiritus Sancti, dixit ipsum procedere ex Patre, nulla Filii mentione facta; ergo censuit Spiritum non procedere ex Filio.

Resp. Nego consequent. Si enim Patres asserere voluissent Spiritum a Filio non procedere, tunc in sua definitione posuissent : Credo in Spiritum Sanctum, qui ex *solo* Patre pro-

cedit. Itaque ratio propter quam, agentes de processione Spiritus Sancti, nullam Filii mentionem fecere, ista est, quod nulla quæstio vel dubium tunc temporis moveretur de processione Spiritus Sancti ex Filio, sed tantum ex Patre, contra Eunomianos. Hæc est enim Conciliorum praxis, ut nihil definiant, ac multo magis ut in Symbolum nihil inferant, nisi hæresis alicujus confutandæ necessitas postulet.

82. — *Obj.* 2° Conc. generale Ephesinum prohibuit, sub pœna depositionis et anathematis, prolationem, scripturam vel compositionem alterius a Nicæna fide : atqui particula, *Filioque*, Symbolo addita, est prolatio alterius a Nicæna fide; ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Prohibuit alteram a Nicæna, id est, contrariam, Nicænæ proferri vel scribi fidem, *conc.*; alteram fidei Nicænæ non contrariam, ejusque tantum explicativam, *subdist.* Prohibuit istud a privatis fieri, *conc.*; ab Ecclesia, *nego*. In hac igitur Concilii Ephesini prohibitione, mens ejus ac intentio fuit, ut nihil fidei Nicænæ contrarium induceretur, non autem ut nihil ipsi, etiam ab Ecclesia per modum expositionis, adjiceretur.

Constat 1. ex occasione hujus prohibitionis; facta est enim occasione Symboli Nestoriani, cujus subscriptionem exigebat Nestorius ab iis, qui Ecclesiæ Catholicæ nomen dare vellent : porro istud Symbolum Nicænæ fidei contrarium erat. 2. Ex ipsa Patrum Ephesinorum agendi ratione : definierunt enim beatam Mariam Virginem esse Deiparam, quem titulum Nicæni Patres Mariæ non tribuerant. 3. Ex praxi Conciliorum generalium, quæ Synodum Ephesinam præcessere ac subsecuta sunt; nempe Concilium generale Constantin. I Symbolo Nicæno adjecit processionem Spiritus Sancti ex Patre. Quæ vero subsecuta sunt Ephesinum Concilia, pro data occasione, contra novas hæreses novas edidere professiones. 4. Ex ipsa rei natura et conditione; cum enim Ecclesia eadem semper sit, parique semper auctoritate polleat, si aliquo tempore Symbolo jam facto quædam addere potuit, subinde alia adjicere potuit : atqui revera Patres Nicæni Symbolo Apostolorum, *Consubstantialis* nomen adjecerunt; ergo, qui post ipsos veram rexerunt Ecclesiam, ab aliqua additione Symbolo Nicæno facienda prohiberi non potuerunt.

Si quis autem pertinaciter contendat prohibitionem Ephesinæ Synodi non solum de contraria formula fidei Nicænæ in-

telligendam esse, sed etiam de quavis altera ipsi etiam consentanea, tunc dicendum est prohibitionem illam ad privatos spectare, non ad Ecclesiam, cujus auctoritas in hac parte ligari non potest, ut modo dicebamus.

83. — *Obj.* 3° Leo III Papa, consultus a Carolo Magno de additione, *Filioque*, Symbolo facta, et in Galliis jam decantari solita, illam improbavit, et ut amplius non decantaretur auctor fuit; ergo, etc.

Resp. Nego consequent. Leo III enim hanc additionem improbavit, non definiendo, sed disputando, non quasi existimaret eam nec ad Ecclesia fieri posse, sed quod ipsi videretur hujus additionis faciendæ nondum sat gravem necessitatem, aut ad eam minorem adhuc accessisse auctoritatem. Nunc autem, quia, urgente magis necessitate, omnis Ecclesia in hac additione conspiravit, manifeste liquet rationes, quibus olim ad dissentiendum movebatur Leo III, nullius jam esse ponderis.

Ex dictis circa modum essendi trium personarum divinarum in essentia divina, quædam fluunt consectaria hic breviter exponenda.

COROLLARIUM PRIMUM

84. — *In Deo sunt duæ processiones, et duæ tantum.* Certum est.

Et quidem 1° in Deo sunt *duæ processiones*. Etenim processiones in divinis accipi non possunt nisi secundum actiones quæ in agente manent, n. 55 : porro in natura intellectuali et divina duæ sunt hujusmodi actiones, nempe, intelligere et velle; ergo duæ sunt in Deo processiones.

Aliunde, unaquæque ex illis processionibus est adæquata suo actui, et exhaurit divinam facultatem, atque ideo intra suam rationem formalem non multiplicatur; sed nulla ex illis est adæquata utrique facultati naturæ divinæ, intellectui scilicet et voluntati; ergo duæ requiruntur in Deo processiones.

Et 2° *nonnisi duæ*, tum quia in natura intellectuali et divina non sunt nisi duæ actiones, nempe, intelligere et velle; tum quia unaquæque ex illis actionibus et processionibus

exhaurit divinam facultatem, ut modo dictum est. Et, profecto, qui uno actu omnia infinite cognoscit, et alio actu omnia infinite vult et possidet, nihil ei ultra appetendum et operandum superest. S. Th., q. 27, a. 5.

COROLLARIUM II

85. — *In Deo sunt quatuor relationes, et tres tantum personæ.*

Namque Pater et Filius constituuntur relationibus paternitatis et filiationis; Spiritus Sanctus autem constituitur relationibus spirationis activæ et passivæ; ergo quatuor sunt in Deo relationes.

At spiratio activa est Pater et Filius quatenus sunt unicum principium spirationis passivæ seu Spiritus sancti; ergo tres sunt tantum in Deo personæ.

Insuper in omnibus textibus Scripturæ et traditionis, pluralitatem personarum in Deo spectantibus, agitur tantum de tribus personis in unitate divinæ essentiæ : porro, ut advertunt Patres et Theologi, si essent plures, aliæ non omitterentur; atque hujusmodi constanter præcisa enumeratio habet vim exclusivam.

Nec minus exinde logice infertur terminos illarum operationum divinarum ad intra esse personas. Etenim hujusmodi termini seu processiones sunt vel substantia, vel accidens, vel subsistentia : atqui non sunt, quatenus præcise termini, substantia, alioquin in Deo tres essent substantiæ distinctæ ; nec *accidens ;* in Deo enim nihil est accidentale. sed esse necessarium ; ergo tres illi termini in natura intellectuali sunt subsistentiæ seu personæ.

Revera, subsistentia per se est perfectio et dignitas, nec ullomodo incompossibilis cum unoquoque ex illis tribus terminis; ergo tales terminæ sunt tot personæ. Et in hoc apparet divinæ naturæ opulentia et perfectio, quæ tanta est, ut Pater possit eam personis pluribus citra sui detrimentum communicare, eaque par sit pluribus constituendis suppositis.

Et hinc iterum discernitur discrimen inter personam divinam et humanam. Differunt quippe non in elemento

formali, id est, in substantia individua, sed in elemento veluti materiali, in natura. Siquidem hæc in creatis pro numero personarum multiplicatur; in Deo autem natura non solum est infinita sed, dum manet numero una, par est pluribus personis constituendis.

Quare persona in Deo recte definita fuit : *relatio ut subsistens*, n. 19. Nam, ut ait S. Th., 1 p. q. 29, a. 4, persona in quacumque natura significat id quod est distinctum in natura illa... Distinctio autem in divinis non fit nisi per relationem originis... Relatio vero in divinis non est sicut accidens inhærens subjecto; sed est ipsa divina essentia; unde est subsistens, sicut essentia divina subsistit. Sicut ergo deitas est Deus, ita paternitas divina est Deus pater, qui est persona divina; persona igitur divina significat relationem ut subsistentem. »

COROLLARIUM III

86. — *In Deo admittendæ sunt notiones.*

Notiones divinæ sunt *notæ* seu *characteres proprii*, quibus personæ ad invicem distinguuntur et nobis innotescunt.

Porro nullus est qui neget quasdam ejusmodi esse notiones. Etenim, juxta fidem catholicam, tres sunt personæ in Deo realiter distinctæ : atqui, ex eo quod tres sint, manifeste sequitur singulis earum aliquid inesse proprium et speciale, quo distinguuntur et nobis innotescunt, in quo notionis natura posita est.

Jam vero notiones illæ sunt *paternitas*, *filiatio*, *spiratio activa* et *spiratio passiva*, quibus permulti, post S. Thomam, *innascibilitatem* adjungunt, ut significent Patrem esse principium absque principio; sicque non augetur personarum divinarum numerus.

ARTICULUS II

De divinarum personarum Missionibus.

Dicemus de missionis 1° notione in divinis, 2° subjecto, 3° speciebus.

§ I

De notione Missionis in divinis personis.

87. — *Quæritur* 1° quid sit missio in genere, et quotuplex?

Resp. Missio, in genere, est motio seu processio, egressus quidam missi a mittente ad aliquem terminum seu effectum : et ideo missio duplicem respectum seu relationem importat, nempe, respectum missi ad eum, a quo mittitur, et ejusdem missi respectum ad terminum, ad quem mittitur.

Triplex est missionis species, scilicet, physica, moralis, substantialis seu originis. *Physica* est motio seu processio, egressus per impetum, sicut emittitur lapis, sagitta; *moralis* est motio seu egressus per consilium aut imperium, sicut consiliarius mittit regem ad bellandum, vel sicut dominus mittit servum ; substantialis seu *originis* est motio seu egressus per emanationem, sicut flos emittitur ab arbore, filius a patre.

Illæ missiones in creaturis plures mixtas habent imperfectiones, siquidem implicant, v. g., mutationem missi, et sæpe etiam mittentis, separationem missi a mittente quoad locum aut substantiam. Cujusmodi imperfectiones in missione inter personas divinas non inveniuntur, ut satim dicetur.

Dupliciter persona divina dici potest missa, scilicet, vel *in se*, sicut Pater mittit ipsum Verbum ad unionem hypostasticam cum natura humana, n. 98; vel *ratione istius naturæ assumptæ*, sicut Verbum sic unitum seu Christus dicitur a Spiritu Sancto missus quatenus homo ad prædicandum, juxta illud : « Nunc Dominus Deus *misit me*, et *Spiritus ejus;* Isa. 48, v. 16 ; S. Th. 1 p., q. 43, a. 8. De priore tantum hic agitur, seu de missione personæ divinæ in se sumptæ. Unde

88. — *Quæritur* 2° quid sit missio in personis divinis?

Resp. In divinis personis missio est *unius personæ divinæ*

ab alia vel a duabus aliis simul processio æterna, cum respectu temporalis effectus.

Dicitur 1 : *unius personæ divinæ ab alia vel a duabus aliis simul processio æterna.* In his indicatur primum missionis elementum seu respectus missi ad eum, a quo mittitur. Siquidem, ex dictis n. 87, missio per se importat motionem seu egressum, processionem quamdam missi e mittente, vel physicam, vel moralem, vel substantialem seu originis : atqui, inter divinas personas, non est egressus unius ab alia nisi secundum originem seu processionem substantialem, n. 64, 78; ergo primaria conditio missionis in divinis personis est unius personæ ab alia vel a duabus aliis simul æterna processio, juxta illud : « Mittitur Filius, non quia minor, sed quia est *emanatio* quædam claritatis Dei sincera; » August., *de Trinit.*, lib. 4. c. 20.

Dicitur 2 : *cum respectu temporalis effectus ;* quibus significatur secundum missionis elementum seu respectus missi ad terminum, ad quem mittitur. Missio enim, ex dictis n. 87, non dicit tantum exitum e mittente, sed insuper perventionem ad aliquem terminum seu effectum ; porro in divinis personis missio est temporalis, juxta illud : « Postquam venit plenitudo *temporis, misit Deus Filium suum;* Galat. 4, v. 4; et cum non sit temporalis ex parte processionis, quæ est æterna, debet esse temporalis ex parte termini, ad quem mittitur persona divina. Revera, non mittitur persona divina, nisi ut in creatura sit novo existendi modo, n. 89 : hoc autem temporale est; S. Th. 1 p., q. 43, a. 2. « Non eo ipso quod de Patre *natus* est, *missus* dicitur *Filius*, sed eo ipso quod *apparuit huic mundo*, Verbum *caro factum.* » S. August. *ibid.*

Itaque missio in divinis personis coalescit processione æterna et temporali effectu; atque duplicem relationem importat, unam *realem* missi ad mittentem, quæ eadem est ac proprietas ipsius personæ divinæ constitutiva, id est, æterna generatio Filii, et æterna spiratio Spiritus sancti; alteram vero missi ad creaturam : et hæc relatio realis est quidem in creatura, in qua producitur effectus temporalis, sed est *rationis* tantum in divina persona missa, quæ nul-

lomodo in se mutatur, ut patet in Verbo, dum unitur hypostatice naturæ humanæ; et in Spiritu Sancto, dum in animabus nostris producit gratiam sanctificantem. Vide Tract. *de Incarn.*, n. 77, 78.

Utrumque egregie declaratur ex verbis Christi, Joan. 16, v. 28 : *Exivi a Patre, et veni in mundum.* Ille exitus per æternam generationem fuit ut exponunt S. August., *in Joan.* Tract. 102, et S. Hilarius, *de Trinit.* lib. 9 ; sed talis æternus exitus non habuit rationem missionis, donec in tempore Filius venit in mundum.

Revera, semota æterna processione personæ missæ, missio nihil aliud est quam operatio alicujus effectus temporalis ; ac proinde nulla persona divina proprie mittitur, sed ipse effectus productus potius dicendus est missus ; nullus est egressus missi e mittente, quem verbum *mittendi* importat ; imo, cum ille effectus a tota Trinitate simul producatur, tres personæ essent simul mittentes et missæ ; et tamen Pater mitti non potest, n. 90. Ergo ad missionem divinæ personæ omnino requiritur ejus *exitus* seu processio æterna ab alia vel a duabus aliis simul personis.

Semoto autem effectu temporali, eo ipso sola remanet processio æterna, quæ dicitur *generatio* Verbi, aut *Spiratio* Spiritus Sancti, nunquam vero missio, quia hæc non concipitur absque termino seu effectu temporali. Ergo, ad veram missionem in divinis, requiritur et processio seu exitus æternus, et terminus temporalis.

Jam vero, missio illa dicitur absolute *temporalis.* Licet enim includat processionem seu exitum æternum, tamen ejus terminus in tempore fit, et ideo illa missio proprie temporalis est. Vide S. Th., 1 p., q. 43, a. 2 ; Suarez, *de Trinit.*, lib. 12, c. 1.

Tandem, sedulo distinguendum est inter principium ipsius personæ, quæ mittitur, et principium ipsius effectus temporalis, ad quem mittitur persona divina. Siquidem principium personæ quæ mittitur, est Pater pro Filio, Pater et Filius pro Spiritu Sancto, et hujusmodi principium solum est mittens personam, quæ mittitur. Principium autem ipsius effectus temporalis, ad quem mittitur persona divina, est divina virtus tribus personis communis,

ac proinde tota Trinitas uti unicum operationis ad extra principium; et sub hoc ultimo respectu tota Trinitas, licet improprie, dici potest et mittens et missa a seipsa. S. Th., *ibid.*, a. 8; Tract. *de Incarn.*. n. 79.

89. — *Quæritur* 3° in quonam consistere possit temporalis effectus, qui est terminus missionis personæ divinæ?

Resp. Effectus ille consistit in eo, quod persona missa incipiat esse in creatura *modo* aliquo et quidem *novo*. Etenim alicujus personæ missio est vel ad creandam substantiam aliquam, vel ad modificandam substantiam jam creatam: atqui substantiæ creatio est operatio ad extra tribus divinis personis communis, ex dictis in Tract. *de Deo,* n. 78; ergo temporalis effectus seu terminus missionis alicujus personæ divinæ non potest esse creatio alicujus substantiæ, sed aliquis modus.

Insuper, nulla substantia creatur absque modo aliquo, qui ideo etiam tribuendus est toti Trinitati, haud secus ac ipsa substantia creata; ergo aliqua persona divina mitti nequit, nisi ut in creatura incipiat esse *novo* aliquo modo. Novus autem ille modus *realis* esse nequit ex parte ipsius divinæ personæ, quæ omni mutationi et novitati se subtrahit; et ideo ille modus producitur in sola creatura, ut jam notatum est, n. 88.

De facto persona Verbi a Patre missa est, ut sit in natura humana per modum plane novum unionis hypostaticæ seu per Incarnationem; persona autem Spiritus Sancti a Patre et Filio mittitur, ut sit in animabus nostris per modum haud minus novum gratiæ sanctificantis. Aliæ vero missiones alicujus personæ divinæ ad alterutram duarum illarum missionum de facto se referunt. Hæc in subsequentibus statuuntur.

§ II

De personis divinis, quibus mitti et mittere convenit.

PROPOSITIO PRIMA

90. — *Pater mitti non potest, Filius autem et Spiritus Sanctus mitti possunt.* Certum est.

1° *Pater mitti non potest.* « De Patre enim nunquam legitur in Scripturis quod mittatur, » ait S. August., *de Trinit.*, lib. 2, c. 5. Et vero, missio in divinis prærequirit processionem per originem ab alio, ut conditionem sine qua non, n. 88 : atqui Pater ab alio non procedit; ergo ab alio mitti nequit.

Attamen Pater dicitur *venire*, juxta illud : « Ad eum *veniemus*, et *mansionem* apud eum *faciemus ;* » Joan. 14, ℣ 23 ; potest enim quis a seipso venire, non autem a seipso mitti. Eadem ratione Pater dici potest *dari*, quatenus ipse dat seipsum.

2° *Filius et Spiritus Sanctus mitti possunt.* Dicitur enim: *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere ;* Galat. 4, ℣ 4. « Paracletus *Spiritus Sanctus*, quem *mittet Pater in nomine meo ;* » Joan. 14, ℣ 26. Et vero, utraque istarum personarum ab alia, vel a duabus aliis simul per originem procedit; ergo in utraque potest esse verus respectus missi ad mittentem.

Insuper, ut quis ab alio mittatur, necesse est ut ab illo, a quo mittitur, accipiat *potestatem*, et etiam aliquo modo *voluntatem* seu impulsum eundi : porro utrumque invenitur in divinis personis procedentibus.

Etenim 1., per processionem, persona procedens accipit omnipotentiam, et ideo *potestatem* ad extra operandi, sicque sese constituendi *novo* aliquo modo in creatura. 2. Omnes quidem personæ divinæ simul et quasi uno impulsu sese determinant ad aliquem effectum temporalem ; attamen, propter ordinem originis, persona procedens habet a producente illum actum seu impulsum, quo libere fertur ad aliquem effectum temporalem ; et illum impulsum accipit cum tali concordia ad personam producentem, ut necessario volitura sit, quidquid producens voluerit; ergo personæ procedentes voluntatem seu impulsum eundi ad aliquem effectum temporalem aliquo modo accipiunt a producente, et ideo mitti possunt.

PROPOSITIO II

91. — *Pater mittere potest Filium, Pater autem et Filius*

mittere possunt Spiritum Sanctum, sed Spiritus Sanctus mittere nequit. Certum est.

Etenim dicitur de Filio : « *Misit Deus Filium* suum, *factum ex muliere ;* » Galat. 4, ỷ 4. — *Qui misit me Pater ;* Joan. 8, ỷ 16. De Spiritu Sancto dicitur : « *Spiritus Sanctus,* quem *mittet Pater in nomine meo... quem mittam ad* vos ; » Joan. 14, ỷ 26 ; 16, ỷ 7 ; ergo Pater mittit Filium, Pater autem et Filius, tanquam unicum principium, mittunt Spiritum Sanctum ; sed de Spiritu Sancto in Scriptura nunquam legitur quod aliquam personam mittat.

Et vero, ut jam dictum est, n. 88, missio in divinis prærequirit processionem per originem : atqui Pater et quidem solus producit Filium ; ergo Pater et quidem solus Filium mittere potest ad effectum temporalem : Pater autem et Filius tanquam unicum principium producunt Spiritum Sanctum ; ergo et illum mittere possunt : denique Spiritus Sanctus nullam aliam personam producit ; ergo nullum mittere potest.

Hinc *homines non dant, nec mittunt Spiritum Sanctum.* Nullus enim hominum est principium Spiritus Sancti. Et revera, minister sacramenti applicat tantum instrumentum ad efficiendam gratiam, per quam Deus, vi promissionis suæ, venit in animam ; et ideo minister sacramenti non magis mittit Deum, quam qui præsentat alicui chirographum, quo promisit aliquo ire, illum propterea mittit. Unde potius ipse Sacerdos mittitur a Spiritu Sancto, ut suum adventum in anima disponat.

§ III

De speciebus Missionis in divinis personis.

Ex parte modi, missio est *invisibilis*, vel *visibilis :* prior fit interno et spirituali modo : posterior autem ad sensibilem terminum fit, aut per aliquod sensibile signum manifestatur. De utroque missionis modo sigillatim dicendum superest.

NUMERUS PRIMUS

De Missione invisibili divinarum personarum.

PROPOSITIO

92. — *Ad missionem invisibilem, requiritur gratia sanctificans, cujus interventu datur et ideo mittitur Spiritus Sanctus.* Ita communiter.

Et quidem 1° *requiritur gratia sanctificans.* Etenim Spiritus Sanctus proprie dicitur mitti, quando nobis datur, ut in nobis sit et inhabitet, juxta illud : « Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum *dabit* vobis, ut *maneat* vobiscum in æternum; » Joan., 14, ℣ 16 : atqui Spiritus Sanctus non inhabitat, nisi in justis et sanctificatis per gratiam, juxta illud : « In *malevolam* animam non *introibit* (Sapientia), nec *inhabitabit* in corpore *subdito peccatis;* » Sap. 1, ℣ 4. — *Si quis diligit* me, *veniemus ad eum,* » etc., Joan., 14, ℣ 23. — « Qui manet in *charitate,* in Deo manet, et *Deus in eo;* » I Joan., 4, ℣ 16 : ergo propria inhabitatio in anima, et ideo invisibilis missio Spiritus Sancti non fit sine charitate seu sine gratia sanctificante.

Et revera, tres personæ divinæ sunt æqualiter præsentes omnibus entibus per creationem et providentiam naturalem; ergo, ut aliqua divina persona sit *novo* modo in anima, requiritur temporalis effectus, qui superet ordinem et debitum naturæ, et proinde effectus ille fieri debet per gratiam. Atqui gratia non est perfecta, nisi per gratiam sanctificantem ; ergo hæc gratia requiritur ad propriam et perfectam missionem invisibilem. « Nullus alius effectus, ait S. Th., potest esse ratio, quod divina persona sit *novo modo* in rationali creatura, nisi *gratia gratum faciens.* Unde secundum *solam* gratiam gratum facientem *mittitur* et *procedit temporaliter* persona divina ; » 1 p., q. 43, a. 3.

2° *Gratiæ sanctificantis interventu, invisibiliter datur et mittitur Spiritus Sanctus;* id est, per illam gratiam, non solum *dona creata,* sed ipsæmet divinæ personæ homini *dantur,* et in anima ejus specialiter *inhabitare incipiunt.*

Etenim 1. in Scriptura dicitur tres personas divinas *venire* ad eum, et *mansionem* facere *apud eum,* qui Christum

diligit; charitatem seu gratiam sanctificantem diffusam esse in cordibus nostris *per Spiritum Sanctum, qui datus* est *nobis*, quem *habemus* a Deo, qui *in nobis est*, et *in nobis manet*, cujus *nos templum* sumus; Joan., 14, ỷ 23; Rom., 5, ỷ 5; I Cor., 6, ỷ 19 : porro illæ et similes locutiones frequenter in Scriptura repetitæ, verificari non possunt per solam infusionem gratiæ creatæ, tum quia de ipsis personis divinis, et præsertim de persona Spiritus Sancti sermo est; tum quia ex illis locutionibus solent SS. Patres Spiritus Sancti divinitatem probare; tum denique quia, ut ait S. Th., « illum solum *habere* dicimur, quo *libere* possumus *uti* vel *frui*, » *ibid.;* ergo, interventu gratiæ sanctificantis, ipsamet divina persona speciali modo creaturæ rationali datur, ac ideo mittitur.

2. Ita communiter sentiunt SS. Patres et Theologi. « Per donum gratiæ gratum facientis, ait S. Th., perficitur creatura rationalis ad hoc, quod *libere* non solum utatur ipso *dono creato*, sed ut *ipsa divina persona fruatur;* et ideo missio invisibilis fit secundum donum gratiæ gratum facientis; » et idem S. Doctor *errorem* appellat sententiam dicentium non *dari Spiritum Sanctum*, sed ejus *dona;* 1 p., q. 43, a. 3. Vide Tract. *de Gratia*, n. 194, 196.

93. — *Quæritur* autem 1° *quisnam* sit *modus* ille, quo persona divina *dari* dicitur?

Resp. Hoc sic explicari potest. Scilicet, per gratiam et charitatem, perfectissima quædam amicitia inter Deum et hominem constituitur, juxta omnes : porro amicitia perfectissima, maxime spiritualis ac divina, ex se petit unionem inter amicos, non solum per conformitatem affectuum, sed etiam per inseparabilem præsentiam et perfectissimam conjunctionem; ergo gratia sanctificans hujusmodi intimam Spiritus Sancti in homine justo præsentiam ex se et suo jure ac debito postulat; et proinde, si Deus per essentiam jam non esset animæ præsens, illa gratia sufficeret ad illam specialem conjunctionem constituendam.

Jam vero hæc unio ita est amicitiæ, ut tamen non sit omnino inter æquales, sed cum debita proportione; ergo,

ex vi illius, Deus manet in homine ut protector et rector ejus, cujus Deus curam gerit, non solum titulo generali providentiæ suæ, sed peculiari titulo amicitiæ. Scilicet, sicut anima corpus vivificat, et ad ampliorem dignitatem evehit, ita Spiritus Sanctus, substantialiter inhabitando in anima, hujus est principium vitæ supernaturalis et divinæ, sicque illam elevat ad statum gratiæ, qui omnem ordinem naturalem transcendit.

Insuper, in hac amicitia, semper habenda est ratio divinæ majestatis; ergo, ex vi illius, Spiritus Sanctus manet in homine sicut amicus summa reverentia et veneratione colendus : ideoque manet etiam ibi præsens tanquam in templo vivo, quod ipse sibi ornat et præparat per dona creata, ut in illo et ab illo adoretur. Hunc certe præsentiæ et inhabitationis modum indicat Scriptura in locis citatis, et ejusdem natura evolvitur in Tract. *de Gratia*, n. 188, 189, 194, 195, 196.

94. — *Quæritur* 2° an *detur* et ideo *mittatur* persona Spiritus Sancti per dona divina, quæ non includunt gratiam sanctificantem?

Resp. Negative, uti communiter sentiunt auctores, contra quosdam. Namque, ex dictis, Spiritus Sanctus invisibiliter non datur nec mittitur, nisi interventu gratiæ sanctificantis. Aliunde sine hac gratia, non contrahitur vera et realis amicitia inter Deum et hominem; nec proinde concipitur ille specialis præsentiæ modus, quo Spiritus Sanctus vere nobis datur, atque ipso fruimur.

Unde, per donum fidei, aut per inspirationes divinas, quæ tempore antecedunt gratiam sanctificantem, aut per gratias gratis datas, Spiritus Sanctus non vere datur, nec invisibiliter mittitur. In illis enim modis non datur peculiari modo ipsa persona Spiritus Sancti, sed tantum aliquod speciale donum ejus.

95. — *Quæritur* 3° an, in missione invisibili, aliquando mittatur *una persona sine alia*, ex his quæ mitti possunt?

Resp. Negative. Etenim, ex dictis, per gratiam sanctifi-

cantem, tota Trinitas mentem inhabitat, juxta illud : *Ad eum veniemus,* etc. Joan., 14, ỳ 23 : porro mitti personam, significat novum modum habitandi illius personæ, et simul illius originem ab alia; ergo, cum utrumque conveniat Filio et Spiritui Sancto, hæ duæ personæ in missione invisibili simul mittuntur.

Et vero, Filius est Verbum, non qualecunque, sed spirans amorem ; ergo mittitur secundum divinam intellectus illuminationem, qua anima prorumpit in charitatem. Sanctus autem Spiritus est amor; ergo secundum dona charitatis mittitur. Porro gratia sanctificans consistit in divina intellectus illuminatione simul et in charitate cordis; ergo Filius et Spiritus mittuntur interventu gratiæ sanctificantis, ita ut Verbum invisibiliter non mittatur sine Spiritu Sancto, nec Spiritus Sanctus sine Verbo. Vide Tract. *de Gratia*, n. 194, 195.

Attamen Spiritus Sanctus est amor divinus : porro charitas divinam intellectus illuminationem seu fidem præsupponit et includit, atque in charitate principaliter consistit gratia sanctificans; ergo hæc gratia et ideo invisibilis missio per appropriationem merito tribuitur Spiritui Sancto.

96. — *Quæritur* 4° utrum Spiritus Sanctus proprie mittatur, cum gratia sanctificans, jam in anima diffusa per *novum gradum augetur ?*

Resp. Probabilius videtur tunc etiam adesse veram missionem. Sicut enim homo novum accipit gratiæ gradum, ita persona divina accepit esse novo modo magis perfecto.

Cæterum, juxta omnes, adest vere missio invisibilis, quando quis jam sanctus proficit in aliquem *novum actum*, vel *novum statum* gratiæ; v. g., cum quis proficit in gratiam miraculorum aut prophetiæ, vel ex fervore charitatis exponit se martyrio, aut renuntiat his quæ possidet, aut quodcunque opus arduum aggreditur. Sic etiam fit missio invisibilis per Sacramenta, quæ sanctificant hominem in ordine ad peculiares actus, dando simul specialia auxilia et gratias sacramentales. S. Thom., 1 p., q. 43. a. 6, ad 2; Suarez, etc.

NUMERUS II

De visibili Missione divinarum personarum.

97. — *Quæritur* 1° quid sit missio *visibilis* in personis divinis?

Resp. Missio visibilis consistit, in eo quod divina persona procedens novo modo *sensibili* incipiat esse in creatura, *cum aliquo respectu ad sanctificationem* creaturæ rationalis.

Dicitur : 1. novus modus *sensibilis*, alioquin missio non esset visibilis. Persona enim missa ex se invisibilis est; ergo missio non potest esse visibilis, nisi ex parte novi modi essendi in creatura.

Dicitur 2 : *cum aliquo respectu ad sanctificationem*. Ex dictis enim, non est missio sine novo modo essendi in creatura, qui superet ordinem et debitum naturæ : atqui solus essendi modus in creatura per gratiam sanctificantem, illam conditionom adimplet, n. 92; ergo non est missio visibilis sine aliquo respectu ad sanctificationem creaturæ rationalis.

98. — *Quæritur* 2° quotuplex sit missio visibilis in personis divinis?

Resp. Duplex est, alia est Filii ad *subsistendum visibiliter in natura humana* per Incarnationem, juxta illud : *Verbum caro factum est,* Joan. 1, ỳ 14, de qua dicetur in Tract. *de Incarn.*, n. 83. Alia vero, præter effectum aliquem, includit peculiarem *repræsentationem* personæ missæ : et hæc tribuitur per antonomasiam Spiritui Sancto, eo quod signum in tali missione adhibitum, potius Spiritus Sancti personam repræsentat eique magis appropriatur, licet effectus signi illius sit toti Trinitati communis.

In priori missione, Filius missus est tanquam sanctificationis auctor; in posteriori vero, Spiritus Sanctus missus est tanquam sanctificationis indicium, sicut et in missione invisibili mittitur ut sanctificationis operator.

Hinc intelligitur cur Ecclesia ordinarie oret Patrem *per* Filium, *in* Spiritu Sancto. Et quidem primum orat Patrem tanquam cujusvis boni principium; *per* Filium, qui, per

ncarnationem, factus est Redemptor noster ac mediator; In Spiritu Sancto, qui, per gratiam sanctificantem, Deo animas conjungit, atque in eis inspirat actus adorationis, spei et amoris, ex quibus oratio fit efficax.

99. — *Quæritur* 3° quotuplex sit visibilis missio Spiritus Sancti?

Resp. Duplex est, vel *mere repræsentiva* seu notificativa missionis invisibilis jam factæ; et hoc modo fuit in Baptismo Christi descensus Spiritus Sancti sub specie columbæ, qui demonstravit missionem invisibilem, non tunc, sed in principio conceptionis ad Christum factam; Christus enim a die conceptionis suæ fuit plenus omni sapientia et gratia.

Vel est non solum repræsentiva, sed etiam *effectiva* internæ sanctificationis, aut saltem ita illam repræsentat, ut tunc fieri indicet; talis *fuit insufflatio* Christi in discipulos, dicendo : *Accipite Spiritum Sanctum*, Joan. 20, ℣ 22, et etiam descensus Spiritus Sancti in die Pentecostes sub signis soni, spiritus vehementis et linguarum ignitarum.

100. — Hinc 1., ad missionem visibilem, necesse est ut visibile signum in hujusmodi missione adhibitum, non *præexistat* sub ea forma et modo, quo apparet, sed ut peculiari providentia ad illam missionem formatum sit, et consequenter etiam non duret, nisi dum significat; ita S. Aug. *de Trinit.* lib. 2. c. 6; S. Th. 1 p., q. 43, a. 7, ad 2.

101. — Hinc 2. non factæ sunt, nec fiunt *visibiles missiones* sub *signis sacramentalibus*, quia in eis res quædam *præexistentes* assumuntur ad aliquid significandum.

Sed præterea sacramenta veteris legis prænuntiabant tantum futuram gratiam, et ideo non significabant missionem Spiritus Sancti, quæ *tunc fieret*. Sacramenta autem novæ legis non dant gratiam nisi sub conditione sufficientis dispositionis in recipiente, et intentionis in ministro : porro signum sensibile visibilis missionis tale esse debet, ut certo et infallibiliter ostendat Spiritus Sancti inhabitationem vel descensum.

102. — Hinc 3. ad Patres veteris Testamenti *missio visibilis Spiritus Sancti* fieri non debuit, quia prius debuit perfici missio visibilis Filii, quam Spiritus Sancti, cum Spiritus Sanctus manifestet Filium, sicut Filius Patrem. Fuerunt tamen factæ visibiles apparitiones divinarum personarum Patribus veteris Testamenti. Quæ quidem *visibiles missiones* dici non possunt, quia non fuerunt factæ ad designandam inhabitationem divinæ personæ per gratiam, sed ad aliquid aliud manifestandum. Ita S. August. *de Trinit.*, lib. 2, c. 17; S. Th. 1 p. q. 43, a. 7, ad 6.

103. — Hinc 4. invisibiles missiones factæ fuerunt sive in Angelis, sive in hominibus, in omni lege et tempore, atque fient in hominibus usque ad finem mundi. Visibiles autem in solis hominibus factæ sunt, et quidem in parvo numero, atque in adventu Christi inceperunt, nec constat an iterum fient. Cum enim ordinatæ fuerint ad fidei declarationem et confirmationem, postquam fides sufficienter manifestata est, cessarunt. Suarez, *de Trinit.*, lib. 12, c. 7.

ARTICULUS III

De personarum divinarum Nominibus.

Inter varia nomina, quibus unaquæque ex personis divinis designari solet, quædam ipsi proprie et exclusive conveniunt, scilicet, quæcunque relationem originis exprimunt; alia vero ipsi tanquam per appropriationem, ut aiunt, conveniunt; hujusmodi sunt appellationes, quæ attributum aliquod Deo essentiale exprimunt, ac proinde tribus personis commune, quod tamen uni personæ præ aliis tribuitur, ob quamdam specialem rationem. Hoc prænotato.

104. — *Quæritur* 1° quænam sint nomina *primæ* personæ, sive propria, sive appropriata?

Resp. primæ personæ tria sunt nomina propria. 1. Etenim dicitur *Primum Principium, et fons totius divinitatis*, eo quod essentiam suam a nullo accipiat, e contra Filio et

Spiritui Sancto communicet[1]. 2. *Ingenita*, *innascibilis* ob eamdem rationem, quippe quæ nec generatur, nec producitur. 3. Tandem et præcipue, *Pater* quia Filium unigenitum consubstantialem sibi generat.

Per appropriationem, Patri tribuuntur appellationes, quæ potentiam exprimunt. Nam, juxta doctrinam D. Thomæ, 1 p., q. 39, a. 8, si ad Deum spectare velimus veluti omnium causam, tria in ipso relucere videmus attributa, *potentiam* nempe, *sapientiam*, et *bonitatem* : in quibus, potentia est quasi cæterarum principium, et semper præsupponitur ; nemo enim sapienter aliquid simul et recte ordinaverit, nisi prius agendi potentiam habuerit ; ergo, ex hac parte, potentia similitudinem habet cum Patre, qui est primum principium, et ipsi recte appropriatur. Hinc prima persona dicitur *Pater creaturarum*, *Creator*, *Omnipotens*, ut in Symbolo decantamus : *Credo in Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ.*

105. — *Quæritur* 2° quibus nominibus designetur *secunda* persona?

Resp. Dicitur 1. *Filius*, quia ex propria Patris substantia ab æterno gignitur ; 2. *Verbum Patris*, quæ denominatio ex aliqua similitudine nostri deducitur. Nam, sicut in humanis, *verbum* internum vocamus secretissimum sermonem, cogitationem scilicet, qua mens omnia et seipsam repræsentat ac cognoscit : ita Verbum dicimus Filium Dei, quia est terminus substantialis divinæ intelligentiæ, imago et repræsentatio vivens, in qua Pater seipsum et omnia

1. Non dicitur *causa*, sed *principium*. Causa enim videtur importare diversitatem substantiæ, et dependentiam alicujus ab altero ; et revera, in omnibus causæ generibus, semper invenitur distantia inter causam et id cujus est causa, secundum aliquam perfectionem aut virtutem. Nomen autem *principii* generalius est, et dicitur de his etiam quæ nullam substantiæ, perfectionis, virtutis differentiam habent, sed inter se discrepant solum secundum quemdam ordinem, qui nullam dependentiam, imperfectionem, substantiæ diversitatem importat : v. g., dicimus punctum esse principium lineæ, primam partem lineæ esse principium lineæ : porro, in divinis, non est alius ordo nisi originis, n. 64, 78 ; ergo prima persona est *principium*, non *causa*, respectu secundæ et tertiæ. S. Th. 1 p., q. 33, a. 1.

videt; 3. secunda persona vocatur etiam *Imago Patris*, cujus nominis rationem apprehendere facile est, ex his quæ diximus, n. 60.

Filio, per appropriationem, tribuimus sapientiam et sapientiæ opera, eo quod sapientia, ex doctrina iterum D. Thomæ, nihil aliud sit quam conceptio intelligentiæ ; hoc ergo nomen convenit Filio, qui per intellectionem Patris producitur ; et quia operans ad finem perducit sua consilia per sapientiam et intelligentiam, Pater cuncta creasse per Verbum seu Sapientiam dicitur,

106. — *Quæritur* 3° quænam sint nomina *tertiæ* SS. Trinitatis personæ?

Resp. Scriptura vocat tertiam personam, 1. *Spiritum*, non tantum quia immaterialis est; nam et Pater et Filius, hoc sensu sunt spiritus: sed quia est terminus amoris mutui, quo se Pater et Filius prosequuntur. Etenim, cum amor ad unionem cum objecto suo tendat, qui amat, spirare, id est, tendere ad objectum desiderii sui dicitur; Spiritus proinde hic significat terminum spirationis Patris et Filii; n. 73. Vide S. Th. 1 p., q. 37, a. 1[1]. 2. Dicitur *Amor* et *Charitas;* a Patribus nuncupatur pariter *nexus*, *amplexus*, *unio ;* quæ omnia vive exprimunt processionem tertiæ personæ ex amore et quasi amplexu Patris et Filii. 3. *Donum;* amor enim donum est, et quidem maximum, ex quo omnia cætera dona fluunt; vide n. 74.

Hinc tertiæ personæ per appropriationem tribuimus quæcunque procedunt ex amore et bonitate : sic justificare, sanctificare dicitur, consolari animas per gratiæ diffusionem, ex quo nomen *Paracleti* sortitur, quod idem sonat ac *Consolator*.

1. « Que sera-ce donc que cette finale production de Dieu? C'est une procession *sans nom particulier :* Le Saint-Esprit « *procède* du Père; » le Saint-Esprit « *prend* du Fils; » et, « le Fils *l'envoie* » comme le Père. Taisez-vous, raisonnements humains : Dieu a voulu expliquer que la procession de son Verbe était une véritable et parfaite génération : ce que c'était que la procession de son Saint-Esprit, *il n'a pas voulu le dire*, ni qu'il y eût rien *dans la nature*, qui *représentât* une *action* si substantielle, et tout ensemble si singulière. C'est un secret réservé à la vision bienheureuse. » Bossuet, 5e *Elévat.*., 2e *sem.*

SCHOLIUM

De regulis ad recte loquendum de mysterio SS. Trinitatis.

Finem imponentes his, quæ de SS. Trinitate nobis dicenda erant, quasdam de more trademus regulas in expositione hujus mysterii tenendas.

Hæc est summa totius mysterii, ut pluries diximus, unitas naturæ, personarum pluralitas. Ad illud semper respiciat, qui de Trinitate loquitur. Hinc regulæ sequentes :

107. — Regula prima. Nomina, quæ divinam essentiam, vel attributa absoluta directe exprimunt, nunquam plurali numero enuntiari possunt : v. g., dici nequit, *Tres sunt Dei*, aut *deitates, tres sunt omnipotentiæ, sapientiæ*, etc. Ratio per se patet ; quod enim unum est, pluraliter affirmari nequit : porro essentia divina necnon attributa Dei absoluta, sunt eadem numero in tribus personis.

108. — Regula secunda. Nomina adjectiva, quæ divinam essentiam et attributa indirecte tantum significant, directe vero subjectum sive personam, pluraliter enuntiari possunt. Sic, v. g., dici potest, *Tres sunt personæ æternæ, omnipotentes*. Ratio est quod, nomine pluraliter enuntiato, multiplicentur tantummodo personæ, non attributa. Nec huic regulæ contradicit istud Symboli Athanasiani : *Non tres æterni, sed unus æternus ; non tres omnipotentes, sed unus omnipotens ;* in hoc enim loco nomina, *æterni, omnipotentes*, substantive usurpantur, non adjective, ut in exemplo mox allato.

109. — Regula tertia. Quæ propria sunt personis, et earum originem et relationes exprimunt, de essentia non sunt prædicanda : unde dici nequit, *Essentia generat* aut *generatur, producit*, aut *producitur ;* hæc enim supponere videntur aliam esse essentiam quæ generat, aliam quæ generatur. Dici tamen potest, *Deus generat, Deus producitur*, eo quod ibi vox, *Deus*, non sumitur absolute pro essentia divina, sed relative tantum pro una speciali persona, quæ vere Deus est.

110. — Regula quarta. Nomina, quæ numerum et distinctionem personarum indicant, congrua sunt ; ab his vero abstinendum est, quæ vel distinctionem naturæ, vel inæqualitatem inter personas importare videntur, licet distinctionem et numerum personarum significent. Hinc 1. recte dicitur, *Trinitas* est in Deo, minime autem *triplicitas;* eadem ratione, Deus est *trinus*, non vero *triplex*. Hinc 2. recte dicitur, *alius* Pater, *alius* Filius, *alius* Spiritus Sanctus ; nunquam tamen, *aliud*. E contra dici nequit, Pater est *unus* cum Filio et Spiritu Sancto, sed dici debet, *unum*. Hinc 3. legitime omnino pronuntiatur, Deus *unus* est ; non vero, Deus est *singularis*, *solus*, *solitarius ;* quia posteriora verba non tantum deorum, sed etiam personarum pluralitatem excludunt. Hinc 4. recte dicitur, tres personæ a se invicem *distinctæ* sunt, non vero *diversæ ;* item dicemus tres personas esse *unius* substantiæ, non autem *similis,* quia ille loquendi modus indicat naturæ distinctionem. Hinc 5. dici nequit *tria* esse in Deo *individua,* quia plura individua dicuntur in ordine ad unam specie naturam, diversam tamen numero ; et natura divina non tantum specie, sed et numero una est.

Et hæc de SS. Trinitate. Quam igitur, cum sit principale fidei objectum, spei fundamentum, charitatis principium et finis, præsentis vitæ scopus, et inter Cœlites consummatio, amplectamur ac profiteamur per fidem in dies vividiorem ; in eam spe magis ac magis firmiore erigamur ; pro ea inexhausta charitate succendamur ; eamdem invicta oratione invocemus ; iisque omnibus Pater sit charitas, gratia Filius, communicatio Spiritus Sanctus ; atque per omnem creaturam Deo Patri, et Filio, et Spiritui Sancto omnis adoratio, gratiarum actio, laus, honor, et gloria retribuetur nunc et per omne seculum. Amen.

FINIS TRACTATUS DE SS. TRINITATE.

TRACTATUS

DE ANGELIS

OBJECTUM, UTILITAS ET DIVISIO TRACTATUS

1. — In Tract. *de Deo* dictum est de existentia et natura Dei, atque de ejus operationibus *ad extra* generatim sumptis; in Tract. autem *de SS. Trinitate*, scrutari conati sumus Dei operationes ad *intra*, seu *vitam* qua Deus ipse vivit in Trinitate personarum.

Nunc considerandum habemus operationes Dei ad extra in *individuis* sumptas, per quas, scilicet, ad extra manifestat *sui entis* perfectionem, vi *creatrici* constituendo varia individua in esse naturali; sed insuper per quas *vitam*, qua ipse vivit ad intra in Trinitate personarum, ad extra communicat, vi *sanctificatrici* individua rationalia, in esse naturali jam constituta, ad naturæ vitæque divinæ consortium elevando.

Porro Deus creare potest et revera creavit 1. ens mere spirituale, 2. ens mere corporale, 3. ens compositum ex spirituali et corporali substantia; et ideo sanctificare potest et revera sanctificavit ens mere spirituale vulgato nomine *Angeli* cognitum, et ens spiritu et corpore constitutum seu *hominem*.

Itaque, ipsam seriem temporum, quam in creatione et sanctificatione Deus ordinavit, sequentes, in primis agemus de *Angelis*.

Nec sane hæc dissertatio de creaturis mere spiritualibus supervacanea haud penitus ignaro de rebus philosophicis et Theologicis videri potest. Siquidem « *minimum*, quod potest haberi de cognitione rerum *altissimarum*, *desiderabi-*

lius est, quam *certissima* cognitio de *minimis rebus*..... Et quamvis parum sit quod de *substantiis superioribus* percipimus, tamen id modicum est *magis amatum* et *desideratum* omni cognitione, quam de substantiis inferioribus habemus... Ex quibus apparet, quod de *rebus nobilissimis quantumvis imperfecta cognitio maximam perfectionem animæ* confert. » S. Th., 1 p., q. 1, a. 5, ad 1; *Cont. Gentes*, lib. 1, c. 5.

Præterea, per totam præsentem vitam, et etiam in vita æterna rem cum Angelis habemus, quatenus in hac vita constituti sunt nostri custodes, Providentiæ in ordine naturali ac supernaturali ministri, ac gloriæ æternæ consortes. Nec minus nos spectant Angeli facti dæmones, nostri tentatores, cum damnatis maledicti, horumque in æternum cruciatores

Tria erunt capita, de Angelorum essentia, existentia et vita[1].

CAPUT PRIMUM

DE ANGELORUM ESSENTIA

Agemus de Angelorum notione et possibilitate.

ARTICULUS PRIMUS

De notione Angelorum.

2. — *Quæritur* 1° quid sit Angelus quoad nomen?

Resp. Vox græca, *angelus*, idem significat quod latine *nuntius*. Nomen est igitur officii, non naturæ. Unde interdum tribuitur Verbo incarnato sine præjudicio divinitatis,

1. Circa Tractatum *de Angelis*, consuli possunt S. Dionys. Areopagita, *de Cœlesti Hierarch.*, *de Divinis Nominibus*. Equidem horum operum authenticitas pro omnibus non constat; nihilominus eorum doctrina communiter admittitur, atque ea scriptores ad illam, quam de Angelis tradunt, confirmandam, potissimum usi sunt. Consulantur etiam S. August., *de Civit.*, lib. 9, 10, 11, 12; *de Genes.*. lib. 3, 5, 11; *Enchir.*, c. 57 et seq. — S. Greg. Papa, *Homil.* 34 *in Evang.* — S. Bernard., *de Consid.*, lib. 5, c. 34, 35; *in Ps.* 90. — S. Anselm., *Meditat.* 13. — S. Th., *Cont. Gentes*, lib. 2, c. 91 et seq.; *Summa Theol.*, 1 p. q. 50 et seq., q. 107 et seq. — Suarez, *de Angelis*. — Petavius, *de Angelis*. — Bossuet, *Elév.*, 4e *sem.*, et alibi passim.

sicut primario Mediatori inter Deum et homines. Dicitur enim *Angelus Testamenti*, Malach., 3, ℣ 1. Potest etiam tribui Spiritui Sancto, quia de illo dictum est : *Quæ ventura sunt, annuntiabit vobis;* Joan., 16, ℣ 13. Pater autem non vocatur Angelus, quia non mittitur, ex dictis in Tract. *de Trinit.*, n. 90.

Similiter non est infrequens a Spiritu Sancto *angelos* appellari homines, quos ministros virtutis suæ præfecit, et præsertim Prophetas, Apostolos, Sacerdotes, utpote internuntios inter Deum et homines : *Ecce ego mitto Angelum meum*, Matth., 11, ℣ 10, seu Joannem Baptistam. « *Labia sacerdotis* custodient scientiam... quia *angelus* Domini exercituum est. » Malach., 2, ℣ 7.

Nihilominus frequentiori usu ac communi cœlestes spiritus præ omnibus *angeli* nomine vocantur, juxta illud : *Qui facis angelos tuos spiritus*, Ps. 103, ℣ 4; id est, eos, qui natura sunt spiritus, facit esse Angelos suos, injungendo eis officium nuntiandi. Et revera, ut ait S. Dionys., c. 4, cœlestes Spiritus ideo præ omnibus Angelicum cognomen merentur, quod, cum in eos primo divinæ claritatis fulgor emaneat, et ipsi postmodum illas sublimiores enuntiationes in nos trajiciunt.

Unde Angelicum nomen absolute dictum et per antonomasiam, accipitur in bonam partem, et sanctos Angelos significat. Hi enim sunt præcipue Dei nuntii, quos ipse proprie ad sua mysteria manifestanda, et ad bonum totius universi procurandum mittit. Quare etiam homines singularis sanctitatis Angeli vocari solent.

Attamen hoc nomen invenitur malis spiritibus tributum in Scriptura : « *Ite in ignem æternum*, qui paratus est diabolo et *angelis* ejus; » Matth., 25, ℣ 41 : ubi angeli nomen etiam officii esse videtur, quia mali Angeli inferiores ministri sunt diaboli, id est, supremi spiritus mali.

Solet denique Angelorum nomen et generaliter et specialiter sumi, prout extenditur ad omnes cœlestes spiritus cujuslibet ordinis, vel restringitur ad infimum Angelorum ordinem. In præsenti Tractatu, de Angelis generaliter loquimur, sive bonis, sive malis, et quatenus hoc nomen eo-

rum naturam potiusquam officium significat. In hoc lato sensu cœlestes Spiritus a scriptoribus profanis designantur nomine *dæmoniorum*, *geniorum*, *deorum secundariorum*, *intelligentiarum*.

3. — *Quæritur* 2° quid sit Angelus quoad rem?

Resp. Angelus seu creatura mere spiritualis, de qua agimus, si ad verba Scripturæ attendamus, definiri potest: *Substantia creata, simplex, completa et persona.*

Et quidem 1. *substantia creata* seu contingens, quo a Deo distinguitur.

2. *Simplex* seu absque partibus atque in se indivisibilis; in hoc differt a substantia composita seu corporali.

3. *Completa*, quatenus per se totaliter exercet omnes operationes propriæ speciei, quin ad hoc uniatur alii substantiæ; exinde discrepat ab anima humana, quæ unitur cum humano corpore ad perficiendas operationes speciei humanæ proprias.

4. *Persona*, id est, sui juris et intellectu prædita; in hoc etiam discrepat ab anima humana, quæ non est sui juris seu non habet dominium sui nisi cum humano corpore, dum cum ipso naturaliter unitur; vide Tract. *de Trinit.*, n. 13-15.

ARTICULUS II

De possibilitate Angelorum.

Possibilitas est negativa vel positiva. Prior consistit in eo quod nulla repugnantia percipitur inter duos terminos; posterior vero est convenientia percepta inter duos terminos.

PROPOSITIO

5. — *Angelum existere non repugnat, sed convenit.*

1° *Non repugnat*, 1. *ex parte rei*. Nulla siquidem est repugnantia inter substantiam et ejus contingentiam, nec inter substantiam contingentem et ejus simplicitatem, nec inter substantiam contingentem, simplicem et ejus complementum, nec denique inter substantiam contingentem,

simplicem, completam, et ejus personalitatem. In his enim omnibus adest nova entis explicatio : porro ens per se non repugnat esse ; ergo Angelum existere non repugnat ex parte rei. 2. Nec *ex parte causæ efficientis*. In hoc enim consistit omnipotentia divina, quod vim habeat efficiendi quidquid in se non repugnat.

2° Sed *convenit*. Nam 1. causa efficiens intendit sibi assimilare effectum suum : porro Deus seu prima causa est substantia infinite simplex, completa et persona ; ergo quo substantia contingens est immaterialior, magis completa ac persona, eo est Deo similior, et ideo quasi aptior ut e nihilo educatur a prima causa. Propterea quidam philosophi opinati sunt materiam primam, propter imperfectionem et dissimilitudinem, quam cum Deo habet, non esse a Deo. Attamen, in ordine possibilitatis, non potest proprie esse magis vel minus ; divina enim potentia, cum sit infinita, ex se æque potest omnia.

2. Possibilis est et convenit substantia cogitans, organismo viventi hypostatice conjuncta, seu anima humana ; ergo a fortiori substantia cogitans nulli substantiæ materiali inhærens.

Etenim, in anima humana, operatio intelligendi est quasi inchoata tantum et incompleta, quatenus admixta inferioribus operationibus organismi, et ab illis aliquo modo pendens ; ergo magis convenit substantia creata, in qua illa operatio sit abstracta a consortio corporis, et veluti completa in suo ordine, et adæquata tali substantiæ. « O Dieu ! qui doute que vous ne puissiez faire des esprits sans corps? A-t-on besoin d'un corps pour entendre, et pour aimer, et pour être heureux? Vous, qui êtes un esprit si pur, n'êtes-vous pas immatériel et incorporel? L'intelligence et l'amour, ne sont-ce pas des opérations spirituelles et immatérielles, qu'on peut exercer sans être uni à un corps? Qui doute donc que vous ne puissiez créer des intelligences de cette sorte? Et vous nous avez révélé que vous en avez créé de telles. » Bossuet, 1re *Élév.*, 4e *sem*.

CAPUT II

DE ANGELORUM EXISTENTIA

Dicemus de facto existentiæ Angelorum, de eorum creatione, numero et speciebus.

ARTICULUS PRIMUS

De facto existentiæ Angelorum.

6. — Quidam antiqui, vim intelligendi ignorantes, et non distinguentes inter sensum et intellectum, nihil esse existimaverunt in mundo, nisi quod sensu et imaginatione apprehendi potest, id est, corpus. Exinde processit error Sadducæorum, dicentium non esse spiritum. Act. 23, ỳ 8; S. Th. 1 p., q. 50, a. 1.

Eadem fere ratione Athæi et etiam hodierni Rationalistæ nihil præter corpora et hominem existere explicite aut subobscure asserunt. Secta autem politico-impia Massonum regicit existentiam bonorum Angelorum, sed confitetur existentiam diaboli, quem, ut videtur, tanquam suum supremum caput agnoscit.

Sed etiam quidam SS. Patres, post Platonem, et non ita sapienter aliquos Scripturæ textus commentantes, asseruisse videntur Angelos habere corpora sibi naturaliter unita, non quidem crassiora ac palpabilia, sicuti sunt nostra, sed valde subtilia, tenuia, aeris instar, eo quod in Scripturis Angeli passim *spiritus*, et plerumque *aereæ potestates* appellantur; ita Iren., Tertull., Origen., Hilar. et alii, juxta Petavium. Itaque

PROPOSITIO

7. — *Existunt Angeli*, seu *substantiæ creatæ, simplices, completæ ac personæ.*

De fide est existere Angelos: omnino autem certum est illos esse substantias simplices, completas et personas seu mere spirituales.

Prob. 1° *Script.* Libri sacri, in sexcentis locis, Angelos, sive bonos, sive malos, ut agentes et ideo existentes perhi-

bent, et quidem ut intelligentias ab omni corpore abstractas. Dicuntur enim simpliciter *spiritus* : « Omnes sunt administratorii *spiritus*, in ministerium missi, » Hebr. 1, ỷ 14. — « Qui facis Angelos tuos *spiritus;* Ps. 103, ỷ 4. « Gratias vobis a septem *spiritibus*, qui in conspectu throni ejus sunt; » Apocal. 1, ỷ 4. Eodem modo frequentissime loquitur de malis Angelis : « Ejiciebat *spiritus;* » Matth. 8, ỷ 16.

Atqui nomen *spiritus*, simpliciter et absolute sumptum, substantiam intelligentem et ab omni materia abstractam significat, ex usu communi loquendi, et specialiter in Scripturis. Hoc enim nomen Deo maxime tribuitur vel absolute et per antonomasiam : « *Spiritus* est Deus, et eum in *spiritu* et veritate oportet adorare ; » Joan. 4., v. 24; vel cum addito : *Spiritus Sanctus, Spiritus Dei.* Similiter anima nostra, in se sumpta, spiritus etiam vocatur : « Corpus sine *spiritu* mortuum est; » Jacob. 2, ỷ 26. Angeli autem, ut bene notat S. August., nunquam in Scriptura dicuntur *animæ*, nec habere animas, sicut de hominibus dicitur, sed tantum esse spiritus Deo assistentes, ministrantes, et ideo nullum corpus *animantes*, sicut sunt hominum spiritus.

2° *Traditione.* Etenim Angeli a SS. Patribus nuncupantur *cœlestes spiritus, mentes, intelligentiæ, intelligibiles* et *intelligentes;* S. Dionys. — « *Intelligentes* naturæ, et quæ *sola intelligentia capiuntur, simplices, pellucidæ;* » S. Greg. Naz. — « *Intelligibiles* naturæ, *expertes materiæ*, ab *omni corporeo septo liberæ* et solutæ, quæ *tangi non possunt*, et *forma carent;* » Gregor. Nyss. et Damasc.

Conc. Later. IV definivit « Deum simul ab initio temporis utramque de nihilo condidisse creaturam *spiritualem* et *corporalem, angelicam* scilicet et *mundanam*, et deinde *humanam*, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam ; » ergo existunt Angeli, id est, entia mere spiritualia, atque in se subsistentia, ab omni corpore abstracta. Hic notat Suarez Concilium in hoc decreto directe statuisse, contra Manichæos, Deum esse conditorem creaturæ spiritualis et materialis; cætera vero, saltem juxta plures, quasi

obiter et indirecte declarasse; ac proinde sententiam huic decreto contrariam, non esse in omnibus partibus hæreticam, sed erroneam et hæresi proximam.

Eadem et iisdem verbis, quibus usum est Conc. Later., declaravit, non definiendo quidem, Conc. Vaticanum, cujus verba retulimus in Tract. *de Deo*, n. 1.

3° *Traditione profana*. « Omnes gentes, ait Aristoteles, existimant supra cœlum esse *intelligentias separatas*, nullis alternationibus vel passionibus subjectas, optima vita et sufficientissima fruentes, quæ non in actione aliqua, sed in contemplatione sita est; illasque habere regem, et differre ab hominibus, longeque antecellere; » 12 *Metaph.* 8; 1 *de cœlo* 8. Idem refert et passim docet Plato. Easdem intelligentias *genios* appellat Socrates; alii vero ethnici illas vocant *filios deorum*, *dæmonia*, *Lares*, etc.

Quisnam fuerit autem apud Gentiles hujusmodi sententiæ fons et origo? Plures assignantur causæ, scilicet, motus cœlestium corporum, responsa idolorum, vaticinia, quædam extraordinariæ motiones ab invisibilibus motoribus, et præsertim traditio a primæva revelatione originarie dimanans.

4° *Ratione*, quæ plures congruentias suppeditat. Nam. 1. ordo intellectualis in homine est in statu inchoato tantum et infimo, utpote admixtus inferioribus et velut extraneis naturis : atqui ordo tam perfectus non debuit in infimo gradu et in imperfectione relinqui; ergo Deus condidit substantias mere spirituales.

2. Dantur in universo orbe et creatura omnino materialis tanquam unum extremum, et creatura ex materia et spiritu composita tanquam medium inter materiam et spiritum : atqui universus esset acephalis et valde imperfectus defectu alterius extremi, substantiæ, scilicet, mere spiritualis, quæ ad perfectionem orbis universi maxime confert; ergo, etc.

Et vero, in ordinibus rerum inferioribus, elucet mira varietas cohærentium, v. g., mineralium, vegetantium, animalium, ut singuli rerum ordines completam perfectionem in universo orbe habeant; ergo a fortiori eadem perfectio admittenda est pro intellectuali ordine.

3. Denique, Deus præcipue in rebus creatis intendit bonum, quod consistit in assimilatione ad Deum quatenus causam, seu quatenus producentem per intellectum et voluntatem : atqui sic Deo assimilantur naturæ mere intellectuales; ergo oportet esse tales aliquas creaturas.

« Dieu, qui est un pur esprit, a voulu créer de purs esprits comme lui; qui, comme lui, vivent d'intelligence et d'amour; qui le connaissent et l'aiment, comme il se connaît et s'aime lui-même; qui, comme lui, soient bienheureux en connaissant et en aimant ce premier être, comme il est heureux en se connaissant et s'aimant lui-même; et qui par là portent empreint dans leur fond un caractère divin, par lequel ils sont faits à son image et à sa ressemblance. » Bossuet, 1re *Elévat.*, 4e *Sem.*

8. — *Obj.* Si Angeli existerent, Moyses initio Genesis non prætermisisset eorum creationem, cum primum locum obtineant inter opera Dei, quæ ex professo et speciatim ibi describit : atqui tamen ne verbum quidem unum de Angelis habetur loco citato; ergo, etc.

Resp. 1. Moyses initio Genesis creationem Angelorum prætermisit, tum quia solam rerum corporearum originem et seriem describendam susceperat, ut ait S. Hieronym., Epist., 139; tum quia propositum ipsi erat, ea sola exprimere, quæ facta erant in obsequium hominum, ut asserit S. Cyrill., contra Julianum.

2. Angeli non sunt a Moyse prætermissi in illa prima rerum creatione, sed significantur nomine *cœli* aut etiam *lucis*; alioquin Angeli, de quibus postea mentionem sæpius esset facturus Moyses, ab Hebræis increati putarentur; S. August. *de Civit.* lib, 11, c. 30. Nominibus autem rerum corporalium significati sunt, quia Moyses rudi populo loquebatur, qui nondum capere poterat incorpoream naturam. Et si eis dixisset aliqua res esse super omnem naturam corpoream, fuisset eis occasio idololatriæ, ad quam proni erant, et a qua Moyses eos præcipue removere intendebat. S. Th. 1. p., q. 61, a. 1.

Equidem de Angelis Moyses postea frequenter loquitur, sed si ut et unum Deum affirmet, et Angelos ejus ministros ac nuntios declaret, per quam declarationem idololatriæ occasiosionem abstulit. Quare nec usquam legimus Angelos a Judæis cultu divino fuisse honoratos.

ARTICULUS II

De creatione Angelorum.

Quæri potest an et quandonam Angeli creati fuerint.

§ I

De facto creationis Angelorum.

PROPOSITIO

9. — *Angeli a* Deo *creati fuerunt*. De fide est.

Prob. 1. *Script.* « In ipso (in Christo) condita sunt universa *in cœlis* et in terra, visibilia et *invisibilia*, sive *Throni*, sive *Dominationes*, sive *Principatus*, sive *Potestates* : *omnia* per ipsum et in ipso *creata sunt*. » Coloss. 1, ℣ 16.

2. *Traditione*. Ecclesia in Symbolo consignat verba atque doctrinam S. Pauli, dum confitetur Deum esse *creatorem cœli* et *terræ*, visibilium et *invisibilium*. Sed insuper illud dogma definivit Conc. Later. IV, atque iterum declaravit Conc. Vatic., n. 7.

3. *Ratione* sufficienter hoc punctum demonstratur. Nam 1. nonnisi unum esse potest ens necessarium, quod est Deus, ex dictis in Tract. *de Deo*, n. 25; ergo Angeli sunt entia contingentia, seu creata. 2. Quod vi suæ essentiæ non existit, ex eadem essentia ponitur in statu possibilitatis tantum, et ideo a non-ente ad ens transire nequit, nisi per efficaciam causæ extrinsecæ seu per creationem : porro Angeli vi suæ essentiæ non existunt, cum nullo modo repugnet illorum essentiam esse in statu possibilitatis tantum ; ergo creati fuere.

§ II

De tempore creationis Angelorum.

10. — 1. Communiter creditur omnes Angelos *simul* fuisse creatos. Nulla enim probabilis est ratio ponendi inter eos successionem in productione.

2. Tanquam indubitatum etiam tenetur Angelos non fuisse *post* corpora creatos. In hoc enim conveniunt Patres et Theologi statim referendi.

3. Difficultas est utrum fuerint *ante* mundum corporeum creati, id est, ante momentum vel solum in eodem momento, de quo dicitur in his verbis : *In principio creavit Deus cœlum et terram ;* Gen. 1, ℣ 1.

Multi antiqui senserunt Angelos ante mundum corporeum multo aut saltem nonnullo tempore exstitisse. Ita post Origenem plerique Græci, ut SS. Basilius, Gregor. Naz., Chrysost., Damasc. ; e Latinis vero SS. Hilarius, Ambros., Hieronym., etc. Contra autem sit

PROPOSITIO

11. — *Angeli simul cum mundo corporeo fuerunt creati.* Certum est et fidei proximum.

Prob. 1° *Script.* « Qui vivit in æternum, creavit omnia *simul ;* » Eccli. 18, ℣ 1. Unde S. August. infert Deum in uno momento universas res mundi, tam spirituales, quam corporales, creasse. Nihilominus particula, *simul,* hic verti potest *pariter,* et tunc non ad tempus, sed ad collectionem, communitatem, parilitatem, ut ita dicam, spectat.

Insuper, *In principio Deus creavit cœlum et terram :* atqui, « si *in principio,* ait S. August., ergo, ante creationem cœli et terræ, Deus nihil creavit ; *de Civit.,* lib. 11, c. 6. Hoc tamen intelligi potest absolute de principio temporis, sive aliæ res priusquam aliæ creatæ fuerint, sive non ; vel de principio temporis quoad corpora cœlestia et terrestria, non autem quoad alias substantias. Sed verisimillimum est Moysen non omnino prætermisisse rerum spiritualium creationem, atque illam sub *luce* aut *cœlo* comprehendisse, ex dictis, n. 8.

2° *Traditione.* Ita enim senserunt S. August., qui ut probabiliorem hanc sententiam tenet, Epiphan., Theodoretus, Beda, Isidorus, quos secuti sunt S. Thomas, Suarez, Scholastici et omnes moderni, commoti præsertim verbis Conc. Later. IV, jam relatis, n. 7, quæ et sua fecit Conc. Vatic., et in quibus dicitur « Deum *simul ab initio temporis* condidisse creaturam angelicam et corporalem, et *deinde* humanam. » Porro, duo præfata Concilia, dicendo *simul,* et statim, *deinde,* indicant particulam *simul* excludere successio-

nem, et opponi ad *deinde* seu *postea*. Insuper, addendo *initio temporis*, ita intelligendum esse locum Genesis, et in illo initio Angelos creatos fuisse significant.

3° *Ratione*. Angeli sunt quædam pars orbis universi, ut patet ex eorum ordine ad alias creaturas : atqui nulla pars perfecta a suo toto est separata; ergo non est probabile quod Deus, *cujus perfecta sunt opera*, creaturam angelicam seorsum ante alias omnes creaturas creaverit. S. Th. 1 p., q. 61, a. 3.

ARTICULUS III

De numero Angelorum.

12. — *Quæritur* quisnam sit Angelorum numerus?

Resp. Nihil definitum aut certum de Angelorum numero dicere possumus, nisi quod sit valde magnus, et respectu nostri, quasi innumerabilis et infinitus.

1° Hoc suppeditat Scriptura, quæ de bonis tantum Angelis dicit : « Accessistis ad cœlestem Jerusalem, et *multorum millium* Angelorum frequentiam; » Hebr. 12, ✝ 22. « *Millia millium* ministrabant ei, et *decies millies centena millia* assistebant ei ; » Daniel. 7, ✝ 10. « Erat numerus eorum *millia millium ;* » Apoc. 5, ✝ 11. Qui numerus ponitur pro indefinito, ad significandum esse innumerabilem, ita ut captum superet humanum, juxta illud : *Nunquid est numerus militum ejus?* Job. 25, ✝ 3.

2° Congruentiæ tantæ multitudinis præsto sunt. Nam 1. Angeli creati sunt ut Deo assistant, eique ministrent, et pro ejus honore pugnent : atqui Deum, cum sit purus spiritus et rex infinitæ majestatis, maxime decet habere infinitam familiam spirituum sibi assistentium ac ministrantium, et innumeras militum legiones ; namque « in *multitudine populi, dignitas regis :* et in paucitate plebis, ignominia principis ; » Prov. 14, ✝ 28. Ergo, etc.

2. Perfectionem orbis universi Deus intendit in creatione : atqui substantiæ mere intellectuales maxime conferunt ad hujusmodi perfectionem, ut patet ; ergo præcipue seu in majori excessu creatæ sunt.

« Comptez, si vous le pouvez, ou le sable de la mer, ou

les étoiles du ciel, tant celles qu'on voit, que celles qu'on ne voit pas ; et croyez que vous n'avez pas atteint le nombre des Anges. Il ne coûte rien à Dieu de multiplier les choses les plus excellentes : et, *ce qu'il y a de plus beau*, c'est, pour ainsi dire, *ce qu'il prodigue le plus*. » Bossuet, 1re *Élévat.*, 4e *sem*. Vide n. 44.

ARTICULUS IV

De speciebus Angelorum.

Quæri potest an sint plures species Angelorum, et an plures sint Angeli ejusdem speciei. Unde

PROPOSITIO PRIMA

13. — *Non omnes Angeli sunt unius et ejusdem speciei.* Ita longe probabilius.

Prob. 1° *Scriptura*, quæ sæpe indicat distinctionem et inæqualitatem inter ipsos Angelos, cum aliquos vocat Archangelos, aliquos Principatus, etc. ; porro, quamvis distinctio hæc dici possit accidentalis ac numerica, videlicet, orta ex diversitate meritorum et officiorum, tamen probabilius existimatur essentialis ac specifica. Communiter enim Theologi docent diversa dona gratiæ fuisse Angelis distributa secundum diversitatem naturalium ; n. 43.

2° *SS. Patribus*. « Enuntiant sanctorum voluminum Traditiones, superiores substantias esse *graduum inter se celsitudine differentes* ; » S. Dionys. *de cœlest. Hierarch.* c. 5 : atqui plura individua solo numero differentia, non differunt inter se graduum celsitudine ; ergo, etc. « Inter invisibiles creaturas *multiplex* est et *infinita diversitas* ; » S. Hieron. *contra Jovinian*. lib. 2, c. 15. Idem docent S. August. *Ench.* c. 19, S. Anselm. *cur Deus homo*, lib. 2, c. 21, et alii.

3° *Ratione*. 1. Multiplicatio individuorum solet esse quasi per accidens ; specierum autem varietas multo magis est per se, et magis auget perfectionem et nobilitatem universi, quam sola individuorum multiplicatio ; porro in Angelis est individuorum multiplicatio ; ergo a fortiori et et specierum.

2. Multitudo specierum in inferioribus gradibus corpo-

rum aut viventium, mirum in modum ornat universum orbem, divinamque sapientiam, bonitatem et potentiam ostendit : atqui ordo angelicus magis pertinet ad perfectionem universi, quam omnes inferiores ordines; ergo a fortiori debuit in illo ordine varietas inveniri[1].

PROPOSITIO II

14. — *Plures sunt Angeli ejusdem speciei et solo numero differentes.*

Ita sat communiter Theologi contra S. Th. et plures Thomistas, qui contrarium asserunt, eo quod specierum varietas sit nobilior et perfectior varietate individuorum.

Probatur propositio. Nam 1. « absurdum est, ait S. August., *Ench.* 29, totam aliquam speciem intellectualem damnatam esse ; hoc enim repugnare videtur providentiæ et misericordiæ divinæ : » atqui tamen illud de tot angelicis speciebus necessario concedendum esset, quot numero Angeli lapsi sunt, si plures non darentur inter ipsos unius ejusdemque speciei ; ergo, etc.

2. Plures sunt Angeli ad eumdem ordinem pertinentes, juxta omnes : atqui non concipitur quod pertineant ad eumdem ordinem, nisi sint ejusdem speciei.

3. Societas et amicitia multo facilior, jucundior et arctior reperitur inter ejusdem speciei individua, quam inter diversæ speciei entia : atqui datur inter Angelos perfecta arctissimaque societas et amicitia ; ergo, etc.

4. Ad ornatum principis pertinet, quod in omni gradu personarum plures constituantur, ut cum majori proportione iisdem ministeriis inserviant. Tandem ad divinæ potentiæ manifestationem et totius universi ornatum plurimum conducit plures esse Angelos ejusdem speciei et solo numero differentes.

1. In substantiis autem intellectualibus alicui corpori hypostatice conjunctis, est-ne varietas specierum? Solam speciem humanam cognoscimus. Si vero aliæ non sunt, hoc est quia non oportuit in illo intelligendi gradu, eo quod imperfectus est, varietatem specierum inveniri, sed sufficit individuorum multiplicatio; vel quia nimis determinatus et particularis est. Ita Suarez, *de Angelis*, lib. 1, c. 12.

CAPUT III

DE VITA ANGELORUM

In duplici articulo dicemus de Angelorum vita ad intra, et ad extra.

ARTICULUS PRIMUS

De Angelorum vita ad intra.

Agendum est de vita naturæ, gratiæ et gloriæ Angelorum, et de culpa ac pœna dæmoniorum.

§ I

De Angelorum vita naturali.

Hæc vita, quæ se exerit ope virium naturæ tantum, in Angelis perficitur per exercitium intellectus, voluntatis, locutionis et virtutis agendi. Unde

NUMERUS PRIMUS

De intellectu Angelorum.

16. — Tria potissimum hic moventur, de *natura*, scilicet, intellectus Angeli, de illius *objecto*, et de *medio* cognitionis angelicæ. Cum vero fere omnia, quæ dicuntur de natura intellectus Angelorum, et de medio angelicæ cognitionis, sint difficultatibus et dubiis intricata, parumque ad scientiam et praxim referant, ea hic prætermittere opportunius visum est, ut de *objecto* tantum cognitionis naturalis Angelorum loquamur. Quæ autem possunt sub angelico intellectu cadere, sunt 1. Deus, Angelus ipse, cæteri Angeli, anima humana; 2. corpora; 3. futura sive necessaria, sive libera; 4. secretæ et occultæ cogitationes sive hominum, sive aliorum Angelorum; 5. mysteria fidei nostræ. Itaque

PROPOSITIO PRIMA

17. — *Angeli, per sua naturalia, possunt cognoscere Deum, seipsos, alios Angelos, et animam humanam.* Certum est.

Et quidem 1° *Deum*. Deus enim est finis ultimus natu-

ralis cujuscunque creaturæ intellectualis : porro creatura intellectualis finem suum consequi non potest, nisi per cognitionem ejusdem ordinis ; ergo Angelus, per cognitionem naturalem, Deum attingere potest. Aliunde vis intellectiva Angelorum multo perfectior est ac subtilior vi intellectiva hominum ; atqui homines possunt certam Dei notitiam habere per sua naturalia, ex dictis in Tract. *de Deo*, n. 32, 33 ; ergo et a fortiori Angeli.

2° *Seipsos*. Prorsus enim in vanum cogitaret Angelus, nisi suæ cogitationis, id est, suiipsius cogitantis conscius esset : porro seipsum cognoscere, nihil aliud est quam suiipsius cogitantis conscius esse ; ergo, etc.

3° *Alios Angelos*. Namque Angeli constituunt unam rempublicam et societatem, atque ad eam pertinent ut concives : porro societas illa consistere nequit absque mutua notitia. Cæterum, omnis Angelus est objectum proportionatum respectu intellectus alterius, cum sit res ejusdem ordinis in ratione intelligibilium : porro omnis potentia attingere potest objectum sibi proportionatum ; ergo, etc.

4° *Animam humanam*. Siquidem 1. hæc anima ejusdem est ordinis ac Angelus in ratione intelligibilium ; et ideo est objectum intellectui angelico proportionatum. 2. Qui potest majus, a fortiori et minus potest ; porro Angelus naturaliter alios Angelos cognoscere potest ; ergo a fortiori et animam humanam, quæ, ratione excellentiæ, inferior est Angelo. 3. Tandem Angeli, utpote partes quædam orbis universi, naturale desiderium et ideo potentiam habent cognoscendi quæ pertinent ad hoc universum, ac proinde animas humanas.

PROPOSITIO II

18. — *Angeli naturaliter cognoscunt res materiales*. Ita communiter.

Etenim, quod potest inferior virtus, potest et superior : atqui intellectus hominis, qui naturaliter est inferior intellectu angelico, attingit res materiales, sive universales, sive singulares ; ergo et intellectus Angeli.

Et vero, Angeli, cum sint partes quædam orbis universi, naturale desiderium habent cognoscendi ea quæ apud nos geruntur : porro ipsi sunt naturaliter perfecti; ergo ista cognitio eis non deest. Hoc patet etiam ex effectibus sensibilibus dæmoni tribuendis.

PROPOSITIO III

19. — *Angeli, per sua naturalia, cognoscunt futura necessaria, non autem certo futura libera.* Certum est.

1° *Futura necessaria.* Etenim Angeli, propter naturæ perfectionem, agnoscunt omnes causas naturales; S. Th. q. 3, *de Verit.*, a. 12 ; porro effectus, qui ex sua causa necessario provenit, certo cognosci potest ab eo, qui causam cognoscit; ergo, etc.

Attamen, juxta S. Th. 1 p., q. 57, a. 3, Angeli cognoscunt non per certitudinem, sed per conjecturam futura a causis naturalibus et etiam necessariis provenientia, sed quæ possunt impediri per accidens, per concursum alicujus alterius causæ naturalis ; v. g., mortem secutam ex morbo, qui per se causa mortis sufficiens esse non poterat, sed, adjutus subitanea aliqua et mere naturali causa, ut aeris mutatione, mortem attulit. Similia futura tanto magis, quam nos cognoscunt Angeli, quanto rerum causas et universalius et perfectius agnoscunt, ait S. Th. Alii vero sentiunt Angelos etiam hujusmodi futura certo cognoscere, eo quod sint necessaria ; ita Suarez.

2° Non vero *futura libera.*

Namque 1. cognitio certa futurorum, quæ a libero arbitrio pendent, pro nota divinitatis assignatur. « Annuntiate quæ *ventura sunt in futurum*, et sciemus quia *dii* estis vos. » Isa. 41, ℣ 23 ; ergo supponitur proprium esse Dei hæc futura præcognoscere. Unde : *Ego sum Deus, nec est similis mei, annuntians ab exordio novissimum*, et ab initio quæ nondum facta sunt ; » Isa. 46, ℣ 9, 10 ; Daniel, c. 4.

2. Eodem modo loquuntur SS. Patres. « Quid est tam *proprium Deo*, quam *futurorum cognitio?* » Hilar. lib. 9. — « Nulli alii quam *uni* ac *soli Deo futura nosse* convenit; »

S. Cyrill. lib. 4, *in Joan.* « Idoneum opinor testimonium *divinitatis*, veritas *divinationis ;* » Tertull. Apolog. 20. Ita etiam SS. Chrysost., Hieronym., Damasc., etc.

Sed etiam ethnici philosophi et poetæ liberorum futurorum cognitionem certam soli Deo tribuerunt, inter quos Pindarus, Sophocles, Horatius, apud Huet, *Demonst. Ev., Præf.*, ax. 4. Revera nullum exstat exemplum dæmones omnino libere et contingenter futuros eventus cum suis circumstantiis prædixisse; sed, teste Cicerone, *de Divin.*, lib. 2, c. 56, omnia dæmoniorum dicta et responsa fuerunt partim falsa, partim casu vera, ut fit in omni oratione sæpissime. partim ambigua, ut pro quolibet eventu quadrare potuerint. Quare Ethnicos eruditiores et sagaciores ista oracula passim sprevisse, ac ludibrio habuisse, testantur Origines, *Cont. Cels.* lib. 8 ; et Eusebius, *Præp. Evang.* lib. 2, c. 1.

3. Revera Angeli non cognoscunt futura libera in seipsis, nec in eorum causis ; ergo nullo modo. Non *in seipsis ;* ad hoc enim necesse foret, ut Angelus esset futuris præsens : porro id soli Deo proprium est, qui æternitate sua tam futura, quam præterita habet præsentia. Non *in causis* etiam seu in liberis arbitriis, quæ ex se indifferentia sunt ad unam et alteram partem ; ac proinde ex illis non magis intelligitur eventus futurus, quam non futurus. Vide Tract. *de Revel.*, n. 103.

PROPOSITIO IV

20. — *Angelus non potest naturaliter certo cognoscere liberos actus intellectus et voluntatis aliorum Angelorum, nec hominis, sine horum consensu.*

Certum est; imo, juxta Suarez et alios, de fide divina constat propositio, si restringatur ad liberos actus voluntatis.

Prob. 1° *Script.* « Omnia *corda* scrutatur *Dominus*, et universas mentium *cogitationes* intelligit. Tu *solus* nosti *cor* hominum. » Paralip. 28, ℣ 9; III Reg. 8 ℣ 39. — « Pravum est cor omnium et *incrustabile*, quis cognoscet illud? Ego *Dominus scrutans corda* et *renes*, » Jerem. 17, ℣ 17 ; Ps. 7,

℣ 10. — Verbum dicitur *discretor cogitationum, et intentionum cordis;* Hebr. 4 ℣ 12; porro, in his textibus, præfata cognitio ut Deo propria perhibetur; ergo, etc.

2° *SS. Patribus.* Juxta S. Hilar., « Cogitationes cordis nosse non nostrum est, sed ejus de quo dictum est : *Scrutans corda et renes Deus;* » in Ps. 7. » Dominus volens salvos facere peccatores, *occultorum cognitione Deum se esse demonstrat;* S. Amb. *in Luc.* c. 5 « Quod vero Dei *solius* sit *secreta cordium nosse*, audi Prophetam dicentem : *Tu noscis corda solus;* » S. Chrysost., *Homil.* 30 in Matth.

Cæterum, licet Scriptura et Patres sæpius loquantur de secretis cordium, nomine *cordis* non solum voluntatem, sed etiam intellectum solent significare, ut ait S. August.. *in* Ps. 7, 25.

3° *Ratione.* Creatura intellectualis, cum nata sit ad constituendam cum aliis societatem, atque ob dignitatem et excellentiam propriam, naturaliter exigit et jus habet, ut ejus cogitationes et volitiones alteri non innotescant sine proprio consensu; ergo Deus, secundum hanc exigentiam, tandiu uni Angelo denegat concursum suum ad clare cognoscendum cogitationes alterius Angeli vel hominis, quandiu hic non vult cogitaiones suas ei patere. Deus tamen, uti supremus rerum omnium creator, Dominus atque judex, exigentiam illam superare et frustare potest et debet.

Et vero, si omnibus Angelis omnium aliorum, tam Angelorum, quam hominum, cogitationes paterent, ita ut eas statim noscent, cum vellent, frustra essent illuminationes et locutiones Angelorum mutuæ : atqui inter illos locutiones quædam admittendæ sunt, ex infra dicendis; ergo, etc.

Nihilominus liberas cognitationes et affectiones aliorum Angeli cognoscere possunt conjecturaliter ex quibusdam signis seu effectibus, quibuscum probabilem tantum connexionem habent. Sic enim etiam homo illos actus cognoscit. S. Th. 1 p., q. 57, a. 4.

PROPOSITIO V

21. — ***Mysteria fidei non possunt ab Angelis per proprium***

conceptum naturaliter cognosci, nec consequenter intuitive videri, quando existunt. Certum est.

Mysteria fidei proprie vocantur aut veritates in se supernaturales, v. g., mysterium SS. Trinitatis; aut facta a libera Dei voluntate pendentia, in se etiam supernaturalia, atque ad salutem generis humani ordinata, v. g., Incarnatio Verbi, Eucharistia, justificatio, visio beatifica. His intellectis,

Prob. propositio. Nam veritates et facta, de quibus agitur, sunt supernaturalia in se seu relative ad quamlibet creaturam creatam aut creabilem : atqui, ut res in se supernaturalis apprehendatur prout in se est, requiritur actus ejusdem ordinis seu supernaturalis; ergo illæ veritates et facta non possunt in se seu per proprium conceptum naturaliter ab Angelis cognosci.

Et vero *facta* gratiæ, quando hactenus *futura* sunt, ex sola et gratuita Dei voluntate pendent : atqui, ex dictis n. 20, Angeli naturaliter non possunt cognoscere cogitationes alterius ex voluntate ejus pendentes ; ergo multo minus possunt cognoscere, quæ ex sola Dei voluntate pendent. « Quis hominum scit quæ sunt hominis; nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita et *quæ Dei sunt, nemo novit, nisi Spiritus Dei,* » I Cor. 2, ✝ 11.

Idem dicendum est de illis factis, quando revera existunt. Sunt enim altioris ordinis, quam entia omnia naturalia; ac proinde non comprehenduntur sub adæquato objecto naturali intellectus angelici. Aliunde talia facta non pertinent ad naturalem universi ordinem; ergo illorum intuitio Angelis non debetur.

22. — *Quæritur* 1° an Angeli *discurrant* in cognitione naturalium rerum, quas *evidenter* et prout in se sunt, cognoscunt ?

Resp. Negative, et quidem probabilius. Nam *discurrere* est unum ex alio et per aliud cognoscere : porro Angeli quamdam luminis intellectualis plenitudinem habent, eximiamque virtutem intelligendi, atque facile intellectum applicant secundum omnes ejus vires; ergo probabilius vi-

detur, quod unico actu in principiis et causis inspiciunt conclusiones et effectus, qui in illis naturaliter cognosci possunt. Sic, v. g., unico simplicissimo intuitu videt Angelus essentiam hominis, proprietates omnes ejusdem, conditiones individuantes, etc.

Propterea Angeli dicuntur *intellectuales*, quia etiam apud nos ea, quæ statim naturaliter apprehenduntur, *intelligi* dicuntur; unde intellectus dicitur habitus primorum principiorum, Animæ vero humanæ, quæ veritatis notitiam per quemdam discursum acquirunt, *rationales* vocantur : quod quidem contingit ex debilitate intellectualis luminis in eis. S. Th. 1 p., q. 58, a. 3.

23. — Hinc Angeli, sive boni, sive mali, non possunt falli respectu eorum, quæ ab illis naturali cognitione evidenter cognoscuntur.

Patet ex jam dictis; perfectissimo enim modo illa omnia penetrant, et aliunde naturalia mansuerunt integra in dæmonibus.

24. — *Quæritur* 2° an Angelus, in his onmibus, quæ non evidenter, sed *per conjecturam* judicat, vere discurrat?

Resp. *Affirmative*. Etenim res illas, scilicet, effectus futuros a libera voluntate pendentes, mentis cogitationes, res supernaturales, Angelus cognoscere potest aliquid opinando per conjecturam; sic, v. g., dæmones, dum vident miracula, audiunt verba, legunt Scripturas, exinde naturaliter inferunt divinitatem aut missionem Christi; et similiter ex his aut illis motibus, quos in alicujus hominis corpore percipiunt, colligunt eum has aut illas cogitationes animo volvere : porro talis illatio nihil aliud est quam cognitio per discursum; ergo, etc.

25. — *Quæritur* 3° an circa res, quas cognoscunt solum per conjecturam, Angeli *falli* possint?

Resp. Circa res hujusmodi falli non possunt boni Angeli, falli vero possunt Angeli mali.

Etenim 1. boni Angeli in his rebus, propter rectam voluntatem et prudentiam quibus pollent, cohibent se a ferendo certo et determinato judicio. Sic de rebus supernaturalibus, quandiu non habent certas revelationes, non judicant ita esse, vel non esse absolute : sed ex signis probabilibus tantum judicant hoc esse probabile, et posse ita evenire. Similiter de rebus naturalibus, secundum quod subsunt divinæ dispositioni, non proferunt absolutum judicium. Unde fit quod, licet in naturalibus causis videant, v. g., pestem aut siccitatem, non tamen absolute judicent eam esse eventuram, quia sciunt vel Sancti alicujus oratione, vel etiam sine illa posse per divinam sapientiam aliter fieri.

Mali autem Angeli, quoniam ex pravitate voluntatis a divina sapientia removentur, eamque nolunt attendere, nec ei intellectum submittere, sæpe secundum conjecturas, aut argumenta probabilia, vel cursum rerum naturalium, judicant absolute, atque ita sæpe falluntur. S. Th. 1. p., q. 68, a. 5.

26. — *Quæritur* 4° an sit et quid sit Angelorum cognitio *matutina* et *vespertina* ?

Resp. S. Augustinus, lib. 4. *de Genes.* c. 22, 24, docet in Angelis beatis recte distingui cognitionem matutinam et vespertinam. Eamdem distinctionem communiter agnoverunt Theologi post S. Th. 1. p., q. 68, a. 6, 7.

Jam vero cognitio *matutina* vocatur ea, qua Angeli res in Verbo divino, ubi omnia clarissime lucent, tanquam in sole æterno, ac proinde supernaturaliter cognoscunt. *Vespertina* autem dicitur ea, qua res easdem cognoscunt secundum quod in propria natura consistunt; et ideo naturaliter. Porro « Cognitio creaturæ *in seipsa* decoloratior est, ut ita dicam, quam cum *in Dei sapientia* cognoscitur, velut in arte per quam facta est; ideo *vespertina* congruentius dici potest; » S. August. *de Civit.* lib. 11, c. 7.

Itaque, sicut ex mane et vespere fit unus dies consuetus, sic ex utraque notitia matutina et vespertina, unus dies angelicæ cognitionis exsurgit. Vide S. Thom., q. 8. *de Verit.*, a 17.

NUMERUS II

De voluntate Angelorum.

27. — Certum est Angelis inesse voluntatem. In omni enim substantia intelligente, est appetitus seu voluntas rationalis. Hinc in Scriptura sæpe supponitur Angelos hac facultate esse præditos, eisque tribuuntur desiderium, amor, peccatum.

Objectum illius voluntatis idem est ac intellectus objectum, de quo jam diximus. Proinde de illo hic directe nihil statuendum habemus. Sed duplex punctum expendendum superest, scilicet, an Angeli sint naturaliter liberi et peccabiles.

PROPOSITIO PRIMA

28. — *Angeli libero arbitrio naturaliter sunt præditi.* Certum est.

Prob. 1° *Scriptura,* quæ passim docet Angelos esse capaces præcepti, culpæ et pœnæ, sanctitatis, justitiæ et meriti, ut infra dicetur : atqui hæc omnia sine libertate stare non possunt.

2° *SS. Patribus.* « Est Angelus arbitrii *libertate præditus,* quoniam *id omne quod ratione utitur, libertate* quoque *præditum est ;* » S. Damasc., lib. 2, c. 3. — « Deus efficit ut libero arbitrio regatur, quidquid ratione ac mente honoratum est; » Gregor. Nyss. *de Orat. Domin.*, 4. p. — « Deus tribuit Angelis libertatem, ut eorum dilectio *laudem haberet voluntatis;* ut sic bene constituti, *in melius proficere haberent;* » S. Fulgent., Ruppert, etc.

3°. *Ratione.* Voluntatis objectum est bonum in genere, ita ut illius capacitas sit universalis ; ergo omne ens intellectuale nunquam suo objecto trahitur necessario, quandiu in fine ultimo non quiescit.

Et vero bonum, quod movere potest voluntas, est vel aliquid contingens, vel Deus. Si prius, tunc bonum est in se particulare, et ideo necesario trahere nequit potentiam ad universale natam. Bonum enim particulare, sicut ab intellectu apprehendi potest ut bonum sub uno respectu, vel

ut non bonum sub alio respectu, ita potest approbari vel non a voluntate.

Si posterius, Deus, quamvis in se sit bonum universale, tamen particulare remanet respectu creaturæ, dum hæc a Deo in via peregrinatur. Tunc enim nec ex tota sua capacitate Deum cognoscit, nec in Deo plene quiescit; ac proinde remanet quidam ulterioris boni appetitus, quem allicere possunt contingentia, et sic distrahere a consideratione et amore exclusivo boni divini. Ergo ens intellectuale, dum in fine suo non quiescit, liberum remanet circa media ad beatitudinem.

PROPOSITIO II

29. — *Angeli sunt naturaliter peccabiles*. Ita communiter.

Equidem circa hoc punctum nihil expresse revelatum est. Dum enim Scriptura peccatum malorum Angelorum tradit, loquitur de culpa in statu supernaturali, et contra finem supernaturalem. Attamem propositio vera est etiam de peccabilitate in ordine naturali.

Prob. 1° *SS. Patribus.* « *Solus* Deus est, in quem peccatum non cadit; *cætera*, cum sint liberi arbitrii, *in utramque partem possunt suam flectere voluntatem;* » S. Hieronym. *Epist.* 146. — « *Omnis creatura* accidentia *boni* et *mali recipit*, juxta suæ capacitatem naturæ, eamdemque decessionem sentit; » S. Ambr. *de Fide*, lib. 5, c. 6.

2° *Ratione* 1. « Manifestum est quod peccatum est nihilum, et homines, dum peccant, fiunt nihilum; » S. August. *in Joan.* : porro « hoc habet creatura ex seipsa tendere in nihilum, in quantum est de nihilo; » S. Th. 1, p., q. 104, a. 3; ergo « creatura intellectualis est mutabilis, seu peccabilis, eo ipso quod de nihilo facta sit; » S. August. *de Civit.*, lib. 12, c. 1, 6. « Des créatures si parfaites sont tirées du néant comme les autres; et dès-là, toutes parfaites qu'elles sont, elles sont peccables par leur nature. Celui-là seul par sa nature est impeccable, qui est de lui-même, et qui est parfait par son essence. Mais, comme il est le seul parfait, tout est défectueux, excepté lui : *Et il a trouvé la dépravation même dans ses Anges* (Job 4, ỳ 18). » Bossuet, 1re *Elévat.*, 4e *sem.*

2. Regula dirigens activitatam intellectualem est agenti intrinseca, vel extrinseca. Si prius, tunc regula identificatur cum ipsa agentis natura, et ideo ab illa agens recedere nequit; si posterius, regula substantialiter distinguitur ab agente, et ideo ab illa potest recedere : atqui suprema regula creaturæ intellectualis, seu voluntas Dei, est illi extrinseca; ergo ab hac regula recedere et ideo peccare potest; S. Th. 1 p., q. 63, a. 1. « Vraiment tout ce qui est tiré du néant, en tient toujours. Vous étiez sanctifié (l'Ange déchu), mais non pas saint comme Dieu : vous étiez réglé d'abord, mais non pas comme Dieu, dont la volonté est sa règle, d'un libre arbitre indéfectible. » Bossuet, *ibid.*, 2ᵉ *sem.*

3. Denique, ut Angelus sit naturaliter peccabilis, sufficit quod allici possit aliqua passione, v. g., superbia, invidia, atque liber sit hujusmodi passioni consentire vel resistere : porro neutrum in Angelo repugnat, imo experientia constat Angelos posse superbiæ et invidiæ tentationem experiri, ex dicendis; aliunde certum est eos gaudere libertate passioni assentiendi, vel non; ergo, etc.

30. — *Obj.* Voluntas deficere nequit peccando, nisi præcedat in intellectu defectus veritatis aut attentionis : atqui in intellectu Angelorum non est defectus pro cognitione rerum naturalium; ergo nec defectus voluntatis in eodem ordine.

Resp. 1. Non omnino constat voluntatem creatam non posse peccare, sine præcedente defectu in intellectu, etsi hoc communiter concedatur.

2. Angelus, intra ordinem naturalem, omnia quæ potest considerare, non semper considerat: neque omnia quæ considerat, semper cum æquali applicatione et attentione considerat : hoc enim totum pendet ab ejus libera voluntate; ergo potest deficere in attentione, et proinde in voluntate.

NUMERUS III

De locutione Angelorum.

31. — Locutio, in genere, est *manifestatio conceptuum mentis alteri facta*, S. Th. 1 p., q. 107, a. 1; et ideo in Angelis, est *expressio proprii conceptus, quam ipsi ad alios dirigunt.*

Quæri potest an et quomodo unus Angelus possit alteri loqui. Porro

1° *Angeli inter se loquuntur*. Patet ex *Script*. « Seraphim *clamabant alter ad alterum* et *dicebant :* Sanctus, sanctus, sanctus Dominus, etc.: » Isa. 7, ỳ 3. — « Si linguis hominum loquar et *Angelorum*, etc.; » I Cor. 13, ỳ 1. — « Cum Michael Archangelus, cum Diabolo disputans altercaretur... *dixit :* imperet tibi Dominus; » Epist. Judæ, ỳ 9. SS. Patres hanc eamdem de Angelorum ad invicem locutione doctrinam tradunt.

Et vero Angeli perfectam inter se societatem habent : atqui ad societatem necesse est, quod Angelus alteri conceptum mentis aut voluntatis affectum manifestet seu alteri loquatur; ergo, etc.

Unde Angelus potest Deo loqui, non ut ei quidpiam manifestet, sed vel consulendo ejus voluntatem et sapientiam, vel laudando et mirando ejus potentiam. Sic refertur Angelum Deo respondisse et dixisse : « Domine exercituum, usquequo tu non misereberis Jerusalem et urbium Juda? » Zachar. 1, ỳ 12; sic etiam Satan introducitur, varia locutus ad Deum, Job 1, 2.

A fortiori possunt Angeli hominibus loqui, vel interius vel exterius, sicut Archangelus Gabriel B. V. Mariam allocutus est.

2° Probabilius est Angelorum modum loquendi consistere, in eo quod Angeli suas cogitationes ad se invicem dirigant, atque Deus, ex imposita sibi lege, excitet in Angelo ideam cogitationis, quæ ad ipsum ab alio Angelo directa fuit. Ita S. Th., et communiter Theologi.

Et vero, intelligibile est in intellectu vel habitualiter, seu per memoriam tantum; vel actu consideratum aut conceptum; vel ad aliud relatum : porro, 1. mens convertit se ad considerandum actu, quod habet in habitu seu memoria, per voluntatis imperium; et tunc quis loquitur sibi ipsi : conceptus enim mentis interius verbum vocatur. 2. Similiter, quod jam actu concipitur, ad manifestandum alteri ordinatur per voluntatis imperium, posito Dei concursu. Siquidem, ut homo alteri homini suam cogitationem mani-

festet, requiritur quod velit illam cogitationem manifestare, atque ad hoc adhibeat signum sensibile, propter conditionem loquendi in hac vita ex parte corporis nobis factam : atqui hoc corporis obstaculum non est in Angelo; ergo sufficit quod velit suum conceptum manifestare, ut statim alius illum cognoscat. S. Th. 1 p., q. 107, a. 1, ad 1.

NUMERUS IV
De Angelorum virtute agendi ad extra.

32.— Certum est inesse Angelis virtutem exterius agendi, Sic, in Scriptura, bonis Angelis tribuuntur Sodomitarum concrematio, colluctatio cum Jacob, cædes primogenitorum Ægypti, etc. Malis vero Angelis operantibus, Job est afflictus, concussa illius domus, necati filii, etc., obsidentur homines, grex porcorum mare petit. Sic etiam de Antichristo utpote diaboli præcipuo ministro majora prædicantur.

Similiter apud SS. Patres unanimis et constans est doctrina Angelos plurima realiter operari.

Et vero hujusmodi operationes externas ab Angelis produci nullo modo repugnat. Non requirunt enim potentiam infinitam; et aliunde Deus, qui spiritus est, imo et anima humana talia operatur; ergo et Angeli sic operari possunt.

Quanta sit autem hujusmodi virtus externa in Angelis, prorsus incertum est. Sed 1° Angeli nihil possunt proprie creare : creatio enim soli Deo propria est, juxta omnes SS. Patres, ex dictis in Tract. *de Deo*, n. 92.

2° Angeli tenentur ad observandas leges, sive intellectuales, sive morales, sive physicas, eorumque potentia subjicitur divino jussui aut permissioni, alioquin quotidie Angeli mali mundum universum subvertere possent. » Non est putandum istis trangressoribus Angelis ad nutum servire hanc visibilium rerum materiam, sed soli Deo. » S. August. *de Trinit.* l. 3, c. 8.

3° Angeli, Deo permittente, possunt multos mirabiles effectus, hominum industriam et vires superantes, producere, puta ventos et tempestates excitare, terram intestinis motibus concutere, somnia et morbos efficere, ægritudines

et vulnera sanare, etc. Ita P. Antoine, et alii, ut infra evolvetur.

COROLLARIUM

33. — *Angeli sunt naturaliter homine excellentiores.*

Colligitur ex hucusque dictis; cæterum hoc manifeste docet Scriptura. Legitur enim : *Minuisti eum paulo minus ab Angelis;* Ps. 8, ỳ 6 : ubi Psalmista loquitur de homine in natura sumpto, cum in gratia et gloria præ Angelis honoretur. Illa verba per antonomasiam dicta sunt etiam de Christo, qui, ratione humanæ naturæ, ab Angelis minoratus est : *Sic infra Angelos diminutus, dum homo fit;* Tertull., *de carne Christi*, c. 14. Sed etiam de Satana dicitur ; *Non est super terram potestas, quæ ei comparetur;* Job, 41, ỳ 24; sicut ergo potestate, ita etiam naturæ perfectione homines excellit.

Idem tradunt SS. Patres. « Angelica natura *omnia cætera*, quæ Deus condidit, *naturæ dignitate præcedit*, » ait S. August., *de Civit.*, lib. 11, c. 5; et ex illa naturæ excellentia idem S. Doctor colligit Angelorum peccatum fuisse irremissibile : « Tanto damnabilior judicata est culpa, quanto erat natura sublimior; » Tract. 110 *in Joan.*

Unde et ipsi Gentiles omnes et infideles pro comperto habent, esse substantias spirituales homine superiores, quæ possunt illis nocere ac benefacere, a quibus et oracula expectabant, et beneficia petebant, et timebant nocumenta, et quibus igitur aliquem cultum tribuebant.

§ II

De Angelorum vita gratiæ.

34. — Quæri potest an Angeli in via supernaturalem gratiam habuerint, an elicuerint actus meritorios gratiæ et gloriæ; in quanam mensura gratiam et gloriam acceperint. Quæ vero pertinent ad naturam ipsius gratiæ, ad Tract. *de Gratia* remittimus. Itaque

PROPOSITIO PRIMA

35. — *Angeli omnes in via supernaturalem gratiam habuerunt.*

1° De Angelis *bonis* hoc certum est. Nam Angeli creati fuere ad beatitudinem supernaturalem, sicut et homines : in hoc conveniunt omnes SS. Patres et Theologi; semper enim eodem modo loquuntur de gratia et gloria in Angelis ac in hominibus : atqui beatitudo supernaturalis obtineri nequit sine auxiliis et donis ipsi proportionatis, id est, sine gratia supernaturali; ergo hanc gratiam in via habuerunt Angeli.

Quare, juxta SS. Patres, *sanctificatio* non *est absque Spiritu; nec enim cœlorum virtutes sua natura sanctæ* sunt. Nam, si id esset, nulla ratione differrent a Spiritu Sancto; » S. Basilius, *de Spirit. Sancto*, c. 16. — « *Spiritus Sanctus* non solum sejunctis a se hominibus, sed et *singulis quibusque Angelis inhabitator assistit*... quoniam omnis creatura non ex sua substantia, sed ex communicatione alterius sanctitatis perficitur; » Didymus, *de Spiritu Sancto*, lib. 1. — « Per verbum *Angeli* creati sunt, ac *per Spiritus Sancti sanctificationem, omnes perfectionis numeros acceperunt;* » S. Damasc., lib. 2, c. 5.

Et vero, per merita Angeli gloriam consecuti sunt, ex dicendis : atqui nemo meretur gloriam, nisi per actus ex gratia patratos in via; ergo Angeli boni in via gratiam habuerunt.

2° De *malis* Angelis idem communiter asseritur. Etenim hoc valde suppeditat Scriptura, præsertim adjuncta SS. Patrum interpretatione. Dicitur enim : *Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris?* Isa., 14, ℣ 12 : porro hæc verba significare videntur casum a quadam eminenti dignitate et excellentia, quæ facilius explicatur per statum gratiæ. Sed etiam : « *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia et perfectus decore, in deliciis paradisi fuisti*... Tu, Cherub, extentus et protegens, et posui te *in monte sancto Dei*, in medio *lapidum ignitorum* ambulasti. *Perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ.* » Ezech., 28, ℣ 12. Porro verba, *tu signaculum similitudinis*, significant, juxta SS. Patres, creatum fuisse Luciferum ad imaginem Dei cum magna excellentia; hoc autem posito, cætera verba, *sapientiæ, decoris, perfectionis in viis tuis*, solent in Scriptura maxime

propter supernaturalem perfectionem commendari; ergo, etc.

Ille (diabolus) *in veritate non stetit*, Joan., 8, ℣ 44; atqui per *veritatem*, S. Th. et Patres græci præsertim intelligunt gratiam. Idem dicendum est de textu, « Angelos qui non servaverunt *suum principatum*, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium... reservavit; » Jud., ℣ 6.

Et vero, homo in statu gratiæ fuit constitutus antequam peccaret; ergo idem dicendum est de Angelis. Hoc enim sequitur tum ex parte finis, qui idem est; tum ex parte Dei, cujus opera non minus perfecta debuerunt esse in Angelis, quam in hominibus; tum ex parte Angelorum, quorum natura perfectior non debuit tardius sanctificari, quam humana.

36. — *Quæritur* 1° *quandonam* gratiam sanctificantem acceperint Angeli?

Resp. Probabilius est Angelos gratiam recepisse in primo instanti suæ creationis. Etenim 1. huic sententiæ favet Scriptura cum de Lucifero dicit: « *Perfectus* in viis tuis *a die conditionis tuæ*, donec inventa est in te iniquitas; » Ezech., 28, ℣ 15.

2. Idem propugnant communiter SS. Patres. « Deus creavit Angelos, *simul* in eis *condens naturam*, et *largiens gratiam;* » S. August., *de Civit*., lib. 12, c. 9. « Angeli non in infantili statura sunt creati, deinde paulatim excitati, atque perfecti, sic Spiritus susceptione digni sunt habiti; sed *in ipsa constitutione*, et quasi quadam conspersione suæ substantiæ *simul* infusam habuere *sanctitatem;* » S. Basilius, *in Psal*. 32. Ita etiam SS. Gregor. Papa, Anselm., Prosper, Damasc., Greg. Naz., etc.

3. Revera *opera Dei perfecta sunt*, Deuter., 32, ℣ 4: ergo conveniens fuit ad perfectionem operis divini, ut Deus simul cum natura gratiam infunderet. Insuper Deus a principio condidit Angelos omnes ad finem supernaturalem: atqui, ut dicit S. Basilius, non indigent Angeli temporis decursu ad sanctificationem. Tandem probabilius est Adam habuisse gratiam a primo instanti suæ creationis; vide

Tract. *de Gratia*, n. 202 : porro Angelus ad hanc gratiam aptior est, et aliunde æquiparatur homini in gratia et gloria; ergo, etc.

37. — *Quæritur* 2° quænam *mysteria fidei explicite* cognoverint Angeli *in via?*

Resp. 1. Certum est Angelos viatores per fidem cognovisse omnia illa mysteria supernaturalia quæ ad Deum ut unus est, pertinent, nimirum, esse sanctificatorem, et habere providentiam supernaturalem ad remuneranda opera diligentium se. « *Credere enim oportet* accedentem ad Deum quia *est*, et inquirentibus se *remunerator* sit; » Hebr. 11. ỳ 6 : porro hoc non minus Angelis quam hominibus convenit, ut ex similibus regulis generalibus gratiæ et sanctificationis ostenditur.

Et revera, sublata illa fide supernaturali, jam non possunt Angeli diligere Deum super omnia ex charitate infusa, et ut objectum beatitudinis *supernaturalis*, nec a Deo sperare vitam æternam seu finem naturali fine altiorem, nec consequenter petere et sperare auxilium, quo vel se ad gratiam disponant, vel opera sua in finem supernaturalem dirigant; ergo illam fidem habuerunt in via.

Unde colligitur Angelos, per eamdem revelationem et fidem, suscepisse et in via credidisse ipsas veritates, quas de Deo naturaliter cognoscebant, scilicet, Deum esse ipsorum creatorem, supremum Dominum, primam veritatem, quæ nec falli, nec fallere potest, etc. Etenim hæc virtualiter includuntur in prioribus; siquidem non foret Deus auctor gratiæ, nisi esset etiam auctor naturæ, et sic de cæteris. Aliunde, illæ veritates sunt quasi fundamenta ipsius fidei infusæ : atqui non possunt illam fundare, si cognoscantur inferiori modo : ergo necesse est ut eadem revelatio ac fides omnia illa complectatur.

38. — *Resp.* 2. Communiter docent Theologi Angelos in via *explicite* cognovisse *Trinitatis mysterium*, magisque distincte quam nos illud cognoscimus.

Etenim communiter asserunt Theologi mysterium SS. Tri-

nitatis fuisse Prophetis explicite revelatum; vide Tract. *de Trinit.*, n. 34 : porro Angeli etiam in statu viæ, perfectiores Prophetis esse debuerunt, generatim loquendo; ergo, etc. S. Th., 1 p., q. 57, a. 5, ad 3.

Insuper beatitudo essentialis Angelorum consistit per se primo in visione essentiæ divinæ, consequenter autem in visione personarum in Deo : divina enim essentia, prout in se est, videri non potest sine personis, S. Th., 2, 2, q. 2, a. 8; ergo fides explicita illius mysterii debuit ab Angelis exigi tanquam medium necessarium ad salutem. Suarez, *de Angelis*, lib. 5, c. 6.

Et revera, eadem ratione illa fides fuit necessaria hominibus in statu innocentiæ, et nunc etiam requiritur in singulis hominibus per se loquendo; ergo eadem necessitas est in Angelis. Equidem talis fides quatenus *explicita*, non fuit in antiquis temporibus pro singulis hominibus requisita, propter status imperfectionem; sed hæc imperfectio Angelis tribuenda non est; ergo, etc.

39. — *Resp.* 3. Longe probabilius est Angelos in via *mysterium incarnationis Verbi Dei* per divinam revelationem ac fidem cognovisse.

Ita S. Th., Suarez, et etiam illi omnes, qui existimant malos Angelos peccasse, sibi appetendo et humanæ naturæ invidendo unionem hypostaticam, ut infra dicemus, n. 55. « Mysterium regni Dei, *quod est impletum per Christum, omnes* quidem Angeli *a principio* aliquo modo cognoverunt, *maxime* ex quo beatificati sunt visione Verbi, quam dæmones nunquam habuerunt; » S. Th. 1 p., q. 64, a. 1 : porro, cum dicit *maxime*, etc., satis declarat in prioribus verbis de omnibus Angelis viatoribus loqui.

Et vero, talis revelatio et cognitio ad gloriam et honorem Filii Dei in carne venturi, erat valde conveniens, juxta illud : « Et cum iterum introducit *primogenitum in orbem terræ*, dicit : *Et adorent eum omnes Angeli ejus.* » Hebr. 1, ℣ 6.

Præterea Christus est caput Angelorum, et Angeli sunt ejus ministri; ergo decuit, ut a principio omnes Angeli

suum caput ac Dominum agnoscerent et recognoscerent. Imo probabilius est, ex dicendis in Tract. *de Incarn.* n. 247, Christum esse caput Angelorum, non solum quoad ministeria, et secundum accidentalem influentiam revelationum, aut gaudiorum accidentalium, sed etiam secundum influentiam gratiæ sanctificantis et gloriæ; ergo convenientissimum fuit, ut per fidem Christi explicitam salvarentur, illum tanquam suum justificatorem et salvatorem venerando, et in eum suam fiduciam collocando; vide infra, n. 55.

40. — Quid autem de illo mysterio in via cognoverint Angeli, nihil certum statuere possumus. Attamen verisimile est Angelos in via cognovisse obscure Incarnationem futuram esse, et in confuso ac generaliter *qualis* esset futura, sicut nos fere illud credimus. Verisimilius est autem ignorasse in via omnes circumstantias ad Redemptionem pertinentes; S. Th. 1 p., q. 57, a. 5. At vero, post viam, credendum est sanctos Angelos mysteria Redemptionis, cujus ministri futuri erant, cognovisse partim ante Christum, partim postea, aut Deo, prout ferebant occasiones, plenius revelante, aut Apostolis ejusmodi circumstantias prædicantibus, juxta illud : « Ut *innotescat Principibus* et *Potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam* multiformis sapientia Dei, secundum præfinitionem seculorum, quam fecit *in Christo Jesu* Domino nostro. » Eph. 3, ℣ 11, 12.

PROPOSITIO II

41. — *Angeli actus gloriæ meritorios in via elicuerunt.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* Dicitur enim : « Non coronatur, *nisi qui legitime certaverit,* II Tim. 2, ℣ 5 : « Unicuique *secundum opera manuum suarum retribuetur;* » Prov. 12, ℣ 14; et ita in aliis plurimis textibus, in quibus gloria tanquam *corona certaminis* et *justitiæ* ostenditur : porro lex illa Dei non solum pro hominibus, sed etiam pro Angelis lata est, ut ex verborum generalitate infertur; aliunde nihil contrarium ex Scriptura desumi potest; ergo, etc.

2° *Ex SS. Patribus et Theologis*, qui communiter hoc docent : « Angelos ad profectum conditos *promerendæ salutis æternæ*, illa res indicat, quoniam si sic facti essent, ut ulterius nihil egerent, nulla pars eorum ullum posuisset defectum; » Gelasius Papa. — « *Voluntatis* sanctorum Angelorum fuit quod, malis sponte cadentibus, ipsi in sua dignitate manserunt, et divino justoque *judicio* actum est, ut quæ fuit *cum Deo suo manendi voluntas*, fieret *permanendi voluntaria felixque necessitas;* » S. Prosper *de Vita contempl.*, lib. 1, c. 3. Ita etiam S. Gregor. Naz., S. August., Fulgent., etc.

3° *Ration. Theol.* 1. Omnes Angeli in æquali conditione creati sunt; nulla est enim ratio alicujus disparitatis : porro Angeli mali ab initio fuerunt capaces meriti et demeriti, et mox suo demerito spem beatitudinis amiserunt; ergo boni Angeli fuerunt quoque ab initio meriti et demeriti capaces, suoque merito gloriam obtinuerunt.

2. Perfectius est habere aliquid a se, quam ab alio tantum, et per meritum esse aliquo modo causam suæ perfectionis, quam non esse : atqui, ex dictis, Deus maxime intendit perfectionem in operibus suis; ergo voluit Angelos suam beatitudinem supernaturalem mereri.

42. — Probabilius est autem Angelos per actum liberum, sicut homines adulti, recepisse primam gratiam sanctificantem, et ideo illum actum fuisse gloriæ meritorium. Præterea communiter sentiunt SS. Patres et Theologi, Angelos, post primum instans exercitii libertatis, adhuc viatores fuisse atque meruisse gratiæ et gloriæ augmentum.

Proinde, juxta fere omnes, actus ille subsequens, quo gratiæ et gloriæ augmentum meruerunt Angeli, fuit aliquo modo distinctus a primo actu, et correspondens pluribus instantibus temporis nostri, atque coexistens pluribus actibus imperatis et successivis in ipsis Angelis.

43. — *Quæritur* 1° an Angeli omnes *quo* fuerunt *natura perfectiores, eo plus gratiæ, meriti* et *gloriæ* consecuti sunt?

Resp. affirmative, juxta communem sententiam Patrum et Theologorum. Sic S. Basilius, *de S. Spiritu*, c. 16, dicit Angelos accepisse mensuram sanctificationis *juxta propor-*

tionem, qua se invicem superant. Similiter ex S. Damasc. lib. 2, c. 3, Angeli, *pro sua* cujusque *dignitate* et *classe*, *luminis gratiæque participes* sunt. Videntur autem SS. Patres hoc sumpsisse ex S. Dionys., qui idem a S. Paulo didicisse profitetur; *de cæl. Hier.*, c. 6, 7.

Et vero, natura angelica a Deo facta est ad gratiam et beatitudinem consequendam; ergo consentaneum est divinæ sapientiæ ut diversos gradus, quos in angelica natura instituit, ad diversos etiam gradus gratiæ et gloriæ ordinaverit. Sic ædificator, qui lapides polit ad construendum domum, ex hoc ipso quod aliquos pulchrius et decentius aptat, videtur eos ad honoratiorem partem domus ordinare.

Notandum est præfatam solutionem non sic accipiendam esse, quasi gradus perfectionis naturalis fuerit *dispositio* quædam seu *ratio* concessionis gratiæ efficacis in gradu proportionato; sed tantum veluti fundamentum remotum seu *occasio*, ob quam Deus, ex mera liberalitate et voluntate distributurus gratiam Angelis, sapienter voluerit juxta perfectionem naturalium illam largiri.

44. — *Quæritur* 2° *quisnam* fuerit *gradus gratiæ*, meriti et ideo gloriæ Angelorum?

Resp. 1. De gradu in se sumpto, nihil aliud dicere possumus, nisi quod fuerit valde intensus, tum ratione eximiæ Angelorum naturæ, tum quia quod est melius, est magis a Deo intentum et multiplicatum, ut ait S. Th. 1 p., q. 112, a. 4, ad 2; n. 12.

2. Per comparationem autem ad homines, videtur ille gradus major esse regulariter, quam sit in sanctis animabus. Dixi *regulariter;* nam certum est B. V. Mariam *exaltatam* esse, ut canit Ecclesia, *super choros Angelorum ad cælestia regna*, et ideo sanctiorem et beatiorem esse omnibus Angelis. Et fortasse inde probabilius est, ait Suarez, B. Mariam solam omnes Angelos in gratia et gloria superare, vel saltem paucos ex sanctis hominibus cum supremis Angelis in perfectione gratiæ et gloriæ æquiparari.

45. — *Obj.* Deus non largitur hominibus gratiam ad mensuram perfectionis naturalis : atqui tam pro illis quam pro An-

gelis valet ratio jam allata, ad præfatam mensuram; ergo hæc mensura nec pro Angelis servata fuit.

Resp. Nego min. Credimus enim de facto rem ita se habere pro Angelis, tum quia SS. Patres hoc docent, et Scriptura etiam favet; tum quia hoc facilius et aptius videtur ad pulchritudinem et optimam dispositionem cœlestium spirituum et ordinum. Contrarium vero pro hominibus constat ex Scriptura, SS. Patribus, et ipsis effectibus; ergo non licet in hoc ab hominibus ad Angelos, et e converso argumentari.

Verisimile est Deum utroque modo gratiam distribuere voluisse, ut se liberalem ostenderet suæ gratiæ donatorem prout vult, et omnimoda varietate orbis perficeretur. Scilicet inter homines « elegit Deus quæ *stulta* sunt *mundi*, *ut confundat sapientes*; et *infirma, ut confundat fortia, ut non glorietur* omnis *caro* in conspectu ejus; » I Cor. 1, ✝ 27, 29. Hoc autem non fuit pro Angelis necessarium; sufficienter enim eis præbuit Deus humiliationes et subjectionis causam, per exaltationem humanæ naturæ, tum in unione hypostatica, tum in dignitate deiparæ B. V. Mariæ collata, ex qua fit regina Angelorum, tum eo quod aliqui homines ad gradus gratiæ et gloriæ supra multos Angelorum choros elevantur, ut infra dicetur.

Cæterum, in electione Angelorum ad gratiam efficacem et gloriam, non idem in omnibus servatum est. Multi enim ex perfectioribus in natura nec fuerunt electi, nec habuere efficacem gratiam, quam multi inferiores receperunt, ut infra statuetur, n. 54.

§ III

De Angelorum vita gloriæ.

46. — De possibilitate, existentia, natura et objecto visionis intuitivæ, et ideo vitæ gloriæ in Angelis, dicemus in Tract. *de Gratia*, n. 358, et seq. Patres enim et Theologi eodem modo loquuntur de gloria et gratia in Angelis ac in hominibus, ita ut in his et illis sint ejusdem rationis. Superest igitur quod aliquid dicamus de tempore visionis intuitivæ pro Angelis. Itaque

PROPOSITIO

47. — *Angeli viderunt clare Deum ante diem resurrectionis Christi, imo ante ejus adventum, quinimo ante primi hominis lapsum.*

Et quidem 1° *ante diem resurrectionis Christi*. Certum est, ex verbis Christi : *Angeli eorum semper vident faciem Patris;* Matth. 10, ỷ 10; hoc enim de visione clara et beatifica intelligunt SS. Patres : porro illud dicit Christus de Angelis custodibus, qui in hierarchia cœlesti ultimum gradum obtinent; ergo a fortiori hoc intelligendum est de cæteris Angelis qui, utpote excelsiores, ampliora merita assecuti sunt.

2° *Ante Christi adventum*. Constat ex Scriptura, in qua dicitur : « Millia millium *ministrabant ei*, et *assistebant* ei, » Dan. 7, ỷ 10. — « Ego sum Raphael Angelus, unus ex septem qui *astamus* ante Deum; » Tob. 12, ỷ 15 : porro *astare* vel *assistere* ante Deum, idem est ac illum perpetuo videre et laudare; ita S. Greg. Papa, S. Bernard., S. Th., Suarez, etc.

Et vero, licet Christus, juxta probabiliorem sententiam, fuerit Angelorum salvator et glorificator, nihilominus non fuit eorum redemptor; non debuit ergo eorum præmium differri, quia non meruerant exclusionem a regno per aliquod peccatum, pro quo nondum plene satisfactum fuisset, sicut hominibus contigit. Aliunde ad honorem Christi non pertinebat, ut per eum tanto tempore suo præmio carerent.

3° *Ante hominis lapsum*. Mali enim Angeli statim post peccatum, in ipso mundi initio damnati sunt; siquidem jam erat reprobus et damnatus diabolus, quando tentavit hominem : porro non citius est pœna Angelis malis retributa, quam sanctis Angelis præmium, ut videtur certum ex perfectione divinæ justitiæ, providentiæ sapientissimæ et bonitatis Dei, qui pronior est ad benefaciendum quam ad ulciscendum; ergo, etc. Ita auctores supra citati, et præsertim S. Aug. *de Civit.*, lib. 11, c. 13.

Aliunde, juxta omnes Theologos, intra brevissimam moram Angeli suum meritum consummarunt : porro, ex jam dictis, habuerunt gloriam ante adventum Christi; ergo non est ratio cur eamdem non habuerint ante hominis lapsum.

§ IV

De malorum Angelorum culpa.

Dicemus an plures Angeli peccaverint, quale sit eorum peccatum, an pœnitentiam egerint.

NUMERUS PRIMUS

De ipso facto culpæ Angelorum.

PROPOSITIO

48. — *Inter Angelos fuerunt qui peccavere.* De fide est.

Etenim 1° in Scriptura dicitur : *In Angelis suis reperit pravitatem ;* Job 4, ℣ 18, — « Deus Angelis *peccantibus* non pepercit ; » II Petr. 2, ℣ 5. Aliunde in sexcentis locis Scripturæ quæstio est « de *malis Angelis,* de *spiritualibus nequitiæ,* de *spiritibus* ad *vindictam* creatis, qui in furore suo *tormenta sua confirmaverunt,* quibus *paratus* est *ignis æternus ;* » Ps. 77, ℣ 49 ; Eccl. 39, ℣ 33 ; Ephes. 6, ℣ 12 ; Matth. 25, ℣ 41 : porro illi Angeli non sunt mali ex naturæ suæ conditione ; quidquid enim a Deo creatum est, per se bonum est ; ergo sua voluntate mali facti sunt. Hoc sic definivit Conc. Later. IV, contra Manichæos : « Diabolus et alii dæmones a Deo quidem *natura creati* sunt *boni ;* sed ipsi *per se* facti sunt *mali.* »

2° Idem unanimiter testantur SS. Patres, ut ex sequentibus constabit. Sed insuper hæc veritas antiquos philosophos et infideles non latuit. Nam Trimegistus cognovit dæmones et principem eorum, quem *dæmoniarchen* appellavit, et vocavit illos *Angelos malos.* Similiter Hesiodus loquitur de dæmonibus, qui fuerunt hominum perditores ; ita apud Lactant., *de divin. Institut.*, lib. 2, c. 15. Empedocles dicit, « Dæmonia quædam *mala* circumire, quibus dii, quasi scelerum ultoribus adversus impios utuntur ; » *de Problemat.* 30. De hujusmodi traditionis origine jam dictum est, n. 7[1].

1. Dæmon a græco δαήμων, seu peritus ac rerum præscitus, dictus est. Quare nomen illud olim indifferens fuit, ita ut in bonam et malam partem accipi posset ; et revera antiqui Philosophi Angelos etiam bonos *dæmones* vocant. Attamen,

49. — *Quæritur* autem 1° quanta fuerit *multitudo* Angelorum *peccantium?*

Resp. 1. Numerus tam sanctorum, quam malorum Angelorum nobis omnino incertus est. At possumus sine dubitatione affirmare ingentem esse malorum Angelorum numerum. Hoc colligi potest ex Scriptura, S. Marc. 5, ℣ 9; S. Luc. 8, ℣ 30, ubi legitur integram legionem dæmonum unum hominem occupasse : quod est sufficiens indicium ingentis multitudinis eorum. Unde frequenter dicunt Sancti ingentem dæmonum turbam inter nos versari, et per aera discurrere. Ita etiam sentiunt SS. Patres. « Una cum Lucifero *corruit innumerabilis* subjectorum sibi Angelorum *multitudo*, » ait S. Damasc., lib. 2, c. 4.

2. Communiter creditur longe majorem fuisse numerum *perseverantium* Angelorum, quam *cadentium*. Hoc probant Scholastici post S. Th., verba Apocalyp. 12. ℣ 4 : « Cauda ejus (draconis) trahebat *tertiam partem stellarum cœli.* » Alii vero expositores illum textum intelligunt de perditione hominum, præsertim post Christi adventum, et maxime circa consummationem seculi.

Assertio propugnatur etiam a SS. Patribus. « Licet Angeli peccaverint, ait S. August., non ideo cuncta sunt plena peccatis, cum *bonorum longe major numerus* in cœlestibus suæ naturæ ordinem servet; » *de Civit.*, lib. 11, c. 23. Idem asserit S. Cyrillus, *in Genes.*, lib. 1. Maxime enim consentaneum erat tam bonitati et sapientiæ divinæ, quam orbis et præsertim regni cœlestis pulchritudini, ut multo plures perseverarent. Equidem in hominibus peccatum frequentius contingit, eo quod homines sequuntur bona sensibilia, quæ sunt pluribus nota, relicto rationis bono, quod paucioribus notum est : sed hæc peccati causa in Angelis non est; ergo, etc. S. Th. 1 p., q. 63, a. 9.

50. — *Quæritur* 2° an Deus homines prædestinaverit ad reparandas sedes cadentium Angelorum?

ut ait S. August., « juxta constantem usum Scripturæ et Christianorum, per dæmones nonnisi maligni significantur spiritus; et hic loquendi modus ita ab ipsis paganis observatur, ut quoties alteri dicunt, *dæmonium habes*, maledixisse intelligantur. » *De Civit.*, lib. 9, c. 10.

Resp. affirmative, juxta communem SS. Patrum sententiam. « Deus, inquit S. August., de mortali progenie merito justeque damnata, tantum populum gratia sua colligit, ut inde *suppleat* et *restauret partem, quæ lapsa est Angelorum*, ac sic illa dilecta et superna civitas non fraudetur suorum numero civium, quin etiam fortassis et *uberiore* lætetur; » *de Civit.*, lib. 22, c. 1. Idem asserunt S. Anselm., *cur Deus homo*, lib. 1, c. 18; S. Isidor. *de summo bono*, lib. 1, c. 12; Bossuet, 3° *Elév.* 4° *sem.*; Bourdaloue, *Substitution des grâces du salut.* « Quare. ait S. Ansel. *ibid.*, possumus dicere, quod tandiu erunt populi, et in hoc mundo erit hominum procreatio, donec numerus Angelorum compleatur ex hominibus; et, eo completo, cessabit hominum generatio quæ fit in hac vita. » Vide Tract. *de Incarn.* n. 208.

51. — *Quæritur* 3° an ex *omnibus* Angelorum *ordinibus* seu speciebus fuerint Angeli peccantes?

Resp. Duplex est sententia, scilicet, juxta plures, omnes Angeli peccantes fuerunt de infimo ordine; juxta vero probabiliorem sententiam, Angeli peccantes ex omnibus ordinibus fuere. Nam 1. in Scriptura dæmonibus tribuuntur nomina *Cherubin*. Ezech. 28, ℣ 14; *Angelorum, Potestatum, Principatuum, Virtutum*, Rom. 8, ℣ 38; Eph. 6, ℣ 12. Nomen etiam *Archangeli* facile ex nomine Angeli et Potestatis aut Principatus componi, et significatio ejus colligi potest. Ergo ex his probabiliter inferre possumus ex omnibus Angelorum ordinibus aliquos cecidisse.

In Scriptura autem dæmonibus non tribuntur nomina Seraphim, Thronorum et Dominationum; nomen enim Seraphim sumitur ab ardore charitatis, nomen Throni ab inhabitatione firma Dei per gratiam, nomen Dominationum ab excellentia quadam dominii et libertatis, ut infra dicetur : porro hæc non possunt esse in dæmonibus; ergo illa nomina de istis non dicuntur.

2. Communiter docent SS. Patres, juxta S. Th. et Suarez, ex hominibus assumi ad *omnes* Angelorum ordines, ut reparentur Sedes Angelorum, qui ceciderunt; ergo cecidere

Angeli ex omnibus ordinibus. Revera, in hoc universalius ostenditur libertas et fragilitas liberi arbitrii creati, quod in omni ordine naturarum rationalium, inventæ sint aliquæ suo arbitrio tam in malum, quam in bonum utentes. S. Th. 1 p., q. 63, a. 9, ad 3 : q. 109, a. 1 ; Suarez, *de Angelis*, lib. 7, c. 17.

52. — *Quæritur* 4° an unus, qui *Lucifer, Satan* seu adversarius, *Diabolus* seu accusator, vocatur, *primus* inter alios *peccaverit*, et postea *alios* ad peccandum *induxerit?*

Resp. *Affirmative*, juxta communem Patrum et Theologorum sententiam. Etenim, 1. in Scriptura, Satan dicitur *rex super universos filios superbiæ*, Job 41, ℣ 25 ; *princeps dæmoniorum*, atque dæmones dicuntur *angeli diaboli*, Matth. ℣ 25, ℣ 41 ; ergo omnes dæmones diabolo subduntur : porro hoc esse nequit, nisi quia, illos ad rebellionem contra Deum inducendo, diabolus fecit suos eosque Deus voluit ei subjectos esse in pœnam suæ defectionis. Idem probatur ex textu Apoc. 12, ℣ 7, 9, ubi unus malus Angelus tanquam dux et suasor aliorum, qui peccaverunt, describitur.

2. Eamdem seductionem clare docent SS. Patres. « Primus spiritus perversus, *qui* etiam *aliis defectionis causa* fuit, quique *totius pravitatis auctor* est, appellatur *Draco;* » Euseb. *de Præpar.* lib. 7, c. 6. — « Diabolus cum iis Angelis, *quos in consensum impietatis suæ traxerat*, a cœlesti sublimitate dejectus est ; » Ambr. *Epist.* 84. — « *Eos*, quos tibi (Lucifero) Deus in correptionem dederat, *tu penitus perdidisti ;* » Hieron., *in Isa.* 14. Hinc homines peccatores dicuntur filii diaboli. quia, cum ipse prior peccandi exemplum præbuerit, est veluti primus peccantium parens ; Joan. 8, ℣ 44.

Jam vero Lucifer, juxta plures, fuit causa peccati aliorum *exemplo* tantum ; juxta autem probabiliorem sententiam, non solum exemplo, sed etiam *suasione* alios provocavit. Hoc posterius indicant textus Patrum jam allati. Et revera, peccatum Luciferi non potuit aliis esse in exemplum, nisi aliis notum esset ; et ideo nisi ab ipso Lucifero

manifestaretur, et quidem ex intentione habendi socios et sectatores, cum tunc totus esset intentus ad implendum affectum elationis suæ; unde de illo dicitur : « In multitudine negotiationis tuæ, repleta sunt interiora tua iniquitate. » Ezech. 28, ℣ 16.

53. — *Quæritur* 3° an Lucifer fuerit *primus* omnium Angelorum, etiam sanctorum, *in perfectione naturali?*

Resp. Affirmant illi, qui sentiunt ex omnibus ordinibus quosdam Angelos cecidisse, n. 51 ; et ideo illorum sententia probabilior videtur atque confirmatur Scriptura et Traditione. Nam, in Isa. 14, ℣ 12, Lucifer comparatur cum stella, quæ luce cæteris antecellit. « *Diabolus* novem ordines Angelorum sub *sua habuit dominatione*, sive *bonos* sive *malos,* » inquit S. Hieron. *in Psal.* 23; et in lib. 2 *cont. Jovin.*, Luciferum vocat idem S. Doctor *altissimam sublimitatem, quæ in veritate non stetit.* Ita etiam Tertull., SS. Gregor. Naz., Chrysost., Cyrill., August., Gregor. Papa, Bernard., etc., apud Suarez, lib. 7, c. 16; S. Th. 1 p., q. 63, a. 7. Et vero, ex dicendis, in primo Angelo peccante, occasio peccandi fuit ejus excellentia; ergo in supremo omnium Angelorum fuit major occasio elationis et superbiæ, quam in cæteris.

Attamen, juxta plures, Lucifer fuit summus, non positive, seu perfectior reliquis omnibus, sed negative tantum, quatenus, scilicet, nullus fuerit illo perfectior; ita Petrus Lomb., S. Bonavent., Suarez, etc. « Saints et bienheureux esprits, qui vous a donné la force contre cet esprit superbe, qui était *un de vos premiers princes, et peut-être le premier de tous?* » Bossuet, 3e *Elévat.* 4a *sem.*

NUMERUS II

De natura peccati Angelorum.

PROPOSITIO

54. — *Primum peccatum Luciferi fuit superbia.* Ita communiter.

Prob. 1° *Script.* Dicitur enim : *In ipsa* (superbia) *initium*

sumpsit omnis perditio; Tob. 4, ỳ 14. — « Detracta est ad inferos *superbia* tua... Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qni mane oriebaris? qui dicebas in corde tuo : *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum.,. similis ero Altissimo;* » Isa. 14, ỳ 12 : porro, in hoc textu, agitur de actu quam maxime superbo. Sed etiam dictum est de diabolo : « Ipse est *rex* super omnes filios *superbiæ,* » Job 41, ỳ 25, id est, pater et dux omnium superborum ; unde colligitur quod et ipse superbiendo corruerit.

2° *Ex SS. Patribus.* « *Superbus* Angelus ac per hoc invidus, per *eamdem superbiam a Deo ad se fuit conversus,* et quodam tyrannico fastu *gaudere subditis,* quam *esse subditum* elegit; » Sive in *lapsu diaboli,* sive in prævaricatione hominis, *initium peccati superbia* est; » S. Ambros. *Epist.* 84. — « Quid *superbia* majus? non esset e cœlo ejectus, nec *in diabolum versus cecidisset Angelus, nisi hoc* se *scelere inquinasset;* » S. Chrysost. *Homil.* 25, *in Joan.*

3° *Ratione.* Peccatum est inordinatus appetitus vel propriæ excellentiæ, vel corporis voluptatum, vel divitiarum : atqui duo posteriora esse non possunt in natura mere spiritnali; ergo in Angelis inordinatus amor propriæ excellentiæ, id est superbia, fuit initium peccati.

55. — *Quæritur* autem quodnam fuerit *objectum* superbiæ in diabolo?

Resp. Omnes consentiunt objectum illius superbiæ fuisse inordinatam *similitudinem* cum Deo, ut indicat textus Isaiæ jam citatus. Sed dissentiunt Theologi in modo explicandi, qua ratione Angelus prævaricator similitudinem cum Deo inordinate appetierit.

1° Juxta plures, Lucifer appetiit similitudinem Dei per veram et proprie dictam *æqualitatem* seu divinitatem, et in hoc desiderio mirum in modum sibi complacuit. Nam de Lucifero dicitur : « *Elevatum* est cor tuum *in decore tuo,* et dixisti : *Deus ego sum,* et *in cathedra Dei sedi* in corde maris; » Ezech. 28, ỳ 2; et ideo Angelus primus, qui Lucifero restitit, dixit : *Quis ut Deus?* At talis superbia in Angelis impossibilis videtur S. Th. et Scholasticis. Nam repugnat,

ut aiunt, Angelum circa res naturali cognitione evidenter ab ipso cognitas, adeo errare, ut sibi persuasum habeat et plures deos esse posse, et creaturam posse proprie Deum fieri ; n. 17, 24. Itaque,

2° Juxta alios, diabolus appetiit similitudinem Dei per inordinatam *participationem*, quatenus, scilicet, ex nimia suæ perfectionis complacentia, subesse noluerit Deo per actuale imperium eum gubernanti ; sed finem suum ultimum in se constituerit, atque ambierit dominatum in cæteras creaturas ; ac proinde supremam quamdam et maxime inordinatam celsitudinem appetierit. Ita S. August. in textu jam allato, n. 34 ; S. Th. 1 p., q. 63, a. 3 ; Bossuet, 2° *Elévat. 4e sem.* Attamen hæc sententia pluribus Theologis fere iisdem ac præcedens videtur intricata difficultatibus. Unde,

3° Juxta alios, Lucifer per superbiam peccavit, inordinate sibi appetendo unionem hypostaticam, sicque a principio se Christi adversarium ponendo. « Hæc sententia valde probabilis est, ait Suarez, nec inter opiniones de objecto superbiæ Luciferi, ulla est quæ in Scriptura vel Patribus magis insinueter, aut verbis eorum magis accommodetur, vel tot conjecturis et congruentiis verisimilior fiat ; » *de Angelis*, lib. 7, c. 13.

Etenim, nullus, præter Christum, sine arrogantia vel rapina dicere cum proprietate potuit illa verba : « *In cœlum conscendam*, supra astra Dei exaltabo solium meum . . . *Similis ero Altissimo ;* » ergo nullus affectus superbiæ Luciferi melius per illa verba significatur, quam appetitus dignitatis Christi per unionem hypostaticam.

Præterea multi SS. Patres docent Luciferum in via præscivisse hominem creandum esse, et ad similem gloriam elevandum, atque exinde invidia doluisse ; ita SS. Basil., Cypr., August., Anselm., Bernard., Chrysolog., Th. 1 p., q. 63, a. 2 ; ergo a fortiori dici potest Luciferum et Incarnationem præscivisse, et exinde simul cum superbia invidiam concepisse, ut expresse affirmat S. Bernardus ; vide Vasquez, disput. 233, c. 1.

At vero, juxta longe probabiliorem sententiam, omnes

Angeli in via cognoverunt Verbum incarnandum esse, atque futurum esse illorum supremum caput, ētiam secundum influentiam gratiæ et gloriæ, n. 39, 40. Atqui, hoc posito, Lucifer, elevatus in decore suo facile potuit considerare unionem hypostaticam ut sibi convenientissimam, et quasi debitam ; et ex tali affectu nolle Verbo, utpote inferiori naturæ hypostatice unito, subdi, atque ut caput et Dominum recognoscere ; sed etiam vehementer dolore et invidia contabescere, eo quod aliquis homo futurus esset ipso multo excellentior, non solum in gloria, sed etiam in personæ divinæ majestate.

Tandem non potuit Lucifer alios ad consentiendum sibi in peccatum inducere, nisi intuitu alicujus commodi, vel ipsorum excellentiæ : porro hoc melius explicatur per inordinatum appetitum circa unionem hypostaticam. Namque potuit Lucifer cæteris suadere, ut secum consentirent tum in appetendo illam dignitatem pro natura angelica, et ideo sibi, ob suam singularem excellentiam ; tum in indigne ferendo subdi naturæ humanæ ; sicque divinæ ordinationi superbe repugnarent.

56. — Circa hæc sic exposita notare sufficiat, duas posteriores opiniones non se invicem excludere, et ideo utramque simul veram esse posse. Cæterum, juxta SS. Patres, in peccato Luciferi et aliorum Angelorum, præter superbiam, fuerunt *invidia* sive de bono hominis, sive de excellentia Dei, sive de unione hypostatica quatenus humanæ naturæ collata ; et ideo *odium* hominis, Dei et Christi, *arrogantia, ambitio, inanis gloria, inobedientia, blasphemia*. Sed verisimile est, ait Suarez, Angelos per infidelitatem aut hæresim non peccasse.

NUMERUS III

De Pœnitentia in Angelis peccatoribus.

PROPOSITIO

57. — *Angeli peccatores nunquam pœnitentiam egerunt, sed omnes damnati sunt.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* « Deus *Angelis peccantibus non pepercit,*

sed in tartarum *tradidit cruciandos;* » II Petr., 2, ℣ 4. — « *Angelos, qui non servaverunt principatum suum*, in judicium magni diei, *vinculis æternis sub caligine* reservavit; » Judæ, ℣ 6 : porro, in his textibus, agitur de Angelis peccantibus sine ullà limitatione; ergo omnes in tartarum traditi sunt cruciandi, et ideo nullus pœnitentiam egit.

2° *Ex SS. Patribus*, qui unanimi consensu idem docent. « Angeli *omnes*, qui Lucifero *consenserunt*, cum eo *corruerunt*, ac *damnati* sunt. Hoc est enim hominibus mors, quod Angelis casus; » Damasc., *de Fide*, lib. 2, c. 4. — « Angelus ita per superbiam cecidit, ut *reparari non posset*, quia ad restaurationis lucem *nulla spe veniæ, nulla conversionis emendatione* revocatur; » Gregor. Papa, 2 *Moral.*, 10.

3° *Ration. theol.* Juxta SS. Patres, Deus magis hominibus, quam Angelis pepercit, tum ut clarius suam misericordiam erga illos, erga istos autem suam justitiam manifestaret; tum quia Angeli perspicacius et facilius res intelligunt, et ideo gravius peccant; tum quia in creatione longe majora dona gratiæ receperunt, quam homines; tum denique quia vehementi impetu eligunt, et ideo difficillime a proposito semel concepto recedunt. Ita SS. August., Gregor., Damasc., Isidor., Thom., 1 p., q. 64, a. 2.

Cæterum, ad Angelorum explicandam impœnitentiam, sufficit quod Deus illis *efficax* pœnitentiæ auxilium denegaverit : porro Deus nemini hujusmodi debet auxilium; ergo potuit illud eis denegare, sicque Angelis non parcere.

58. — *Quæritur* autem an Deus auxilium *sufficiens* ad pœnitentiam Angelis saltem *obtulerit?*

Resp. Alii negant, et hoc innuere videntur textus jam allati. Alii vero cum Suarezio affirmant, atque sic suam sententiam proponunt. Scilicet, in hominibus, ex diuturna peccandi et gratiæ resistendi consuetudine, adeo aliquando augetur difficultas, ut auxilium commune, licet in rigore sufficiat ad pœnitentiam, tamen moralem non aufert difficultatem, quæ interdum vocatur *impossibilitas moralis*, ex qua peccatores dicuntur *excæcati, obdurati, derelicti;* vide Tract. *de Gratia*, n. 293. Porro, quod fit in homine per

plures actus, concipitur in Angelo fieri posse per unam tantum deliberatam electionem, propter eximiam in intelligendo velocitatem, atque magnam in determinatione efficacitatem; ergo, ex uno tantum peccato, Angeli dici possunt *excæcati* et *obdurati*.

Hoc autem posito, verisimile est Angelos habuisse physicam libertatem, moram aliqualem, et commune auxilium gratiæ sufficiens ad pœnitentiam concipiendam, et nihilominus, propter eorum voluntariam excæcationem et obdurationem, in omnibus et singulis Angelis peccantibus fuisse moralem se convertendi impossibilitatem, quæ facile potuit omnes et singulos facere finaliter pertinaces. Vide Suarez, *de Angelis*, lib. 7, c. 1.

§ V

De malorum Angelorum et reproborum hominum pœna.

Dicemus de existentia, natura et gradu pœnæ dæmonum. Cum autem hæc quæstio spectet etiam homines damnatos, de pœna dæmonum et reproborum hominum simul tractabimus.

NUMERUS PRIMUS

De existentia Inferni seu pœnæ dæmonum et reproborum hominum.

59. — *Quæritur* quid sit infernus, quinam inferni existentiam negaverint, et an infernus vere existat?

Resp. 1° Inferni nomine designatur *pœna æterna, qua puniuntur omnes reprobi*, id est, dæmones et homines, qui ex hac vita peccato mortali obstricti decedunt. Unde essentia inferni præcipue consistit in pœnæ æternitate seu perpetuitate.

Hominum autem reproborum duplex est ordo, scilicet, vel eorum qui decedunt cum mortali peccato actuali seu *personali*, vel eorum qui decedunt cum solo peccato originali seu *naturæ*. De his agitur in Tract. *de Gratia*, n. 244 et seq.; et ideo hic tantum de prioribus movetur quæstio.

2° Diverso modo impugnata fuit inferni existentia. Videlicet, Origenistæ senserunt reprobos, sive dæmones, sive

homines, aliquando, post longa tempora, acturos esse pœnitentiam, per quam et veniam peccati obtineant et in cœlum ingrediantur; quia illos etiam sua morte redemit Christus. Damnati sunt illi a Conc. general. v et vii, an. 553, 787.

Eamdem pœnam temporaneam admittunt Spiritæ, n. 157, et Mahumetus pro suis asseclis tantum, ex dictis in Tract. *de Revelat.*, n. 240.

Sociniani vero autumant homines impios vel statim ab ipsorum obitu, vel saltem post extremi Judicii diem in nihilum fore redigendos, et in hac æterna annihilatione consistere pœnam æternam, de qua loquitur Scriptura.

Protestantes antiqui ab Ecclesia catholica discesserunt, eo quod noluerunt admittere nisi solum ac purum infernum, omnino negato purgatorio. Hodierni autem Protestantes, qui philosophi laudem assequi potius quam christiani satagunt, asserunt vel placita Socinianorum, vel Origenistarum sententiam, sicque contra Catholicos pro solo purgatorio propugnant; unde notanda est istorum singularis in doctrina mobilitas.

Tandem existentiam inferni communi ore explodunt, quasi absurdam et inhumanam, Rationalistæ atheismo, vel pantheismo, vel materialismo seu positivismo dediti, et in primis politico-impia et plane infanda Massonum secta. Contra quos omnes sit

PROPOSITIO

60. — *Dæmones et homines impii, qui cum lethali culpa ex hac vita decedunt, pœna æterna puniuntur.* De fide est.

Prob. 1° *Script.*, in qua æterna reproborum pœna asseritur vel disertis verbis, vel per negationem finis, vel per immutabilitatem status impiorum.

Et quidem 1. *disertis verbis* asseritur æternitas pœnarum. Dicitur enim : « Quis habitabit ex vobis *cum ardoribus sempiternis?* » Isa., 33, ℣ 14. — « Et multi de his, qui dormiunt in pulvere, evigilabunt, alii *in vitam æternam, alii in opprobrium, ut videant semper* (in hebr. et vers. græca, in *contemptum æternum,* εις αισχυνην αιωνιον); Dan., 12, ℣ 2. — « Discedite a me, maledicti, *in ignem æternum,* qui paratus

est diabolo et angelis ejus... et ibunt hi *in supplicium æternum*, justi autem *in vitam æternam;* » Matth., 25, ỷ 41, 46. Vide etiam Sap., c. 4, 5; II Thessal., 1, ỷ 9; Jud., 15; Apoc., 20, ỷ 9, 10.

Unde sic : in illis textibus, pœnæ reproborum æternæ dicuntur non solum disertis verbis, sed etiam eodem sensu ac præmia justorum : porro, juxta ipsos adversarios, in præfatis textibus præmia justorum proprie et stricto sensu dicuntur æterna; ergo eodem stricto sensu æterna dicuntur supplicia, quæ in iisdem textibus conferuntur.

2. *Per negationem finis* asseritur pœnarum æternitas. Nam dicitur : « Vermis eorum (reproborum) *non morietur*, et ignis eorum *non extinguetur;* » Isa., 66, ỷ 24. — « Paleas comburet *igni inextinguibili;* » Matth., 3, ỷ 12. — « Bonum est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem *inextinguibilem;* ubi *vermis* eorum *non moritur*, et ignis *non extinguitur*. » Marc., 9, ỷ 42, 43.

Porro, si vermis damnatorum non moritur, si ignis, quo cruciantur, non extinguitur, uti secundo et tertio in eadem phrasi affirmat Christus, manifeste æterna erit reproborum pœna, nec *æternitatis* voce designari potest annihilatio corporis et animæ, ut autumant Sociniani.

3. *Per immutabilitatem status reproborum* asseritur pœnarum æternitas. Etenim de bonorum et malorum conditione dicitur, Eccl. 11, ỷ 3 : « Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, *in quocunque loco ceciderit, ibi erit*. » Pariter, Abraham diviti cruciato in inferno, atque refrigerantis aquæ guttulam petenti, sic respondet, Luc. 16, ỷ 26 : « In his omnibus *inter nos et vos chaos magnum firmatum est;* ut hi, qui volunt *hinc transire ad vos, non possint*, neque *inde huc transmeare* » Tandem reprobi dicuntur *vasa iræ, apta in interitum, regnum Dei non consecuturi;* Rom. 9, ỷ 22, 23; I Thess. 2, ỷ 16; I Cor. 15, ỷ 50.

Porro, ex illis textibus, patet nullum, post hanc vitam, dari pœnitentiæ locum, nullam superesse veniæ obtinendæ spem, sed plane immutabilem esse impiorum statum, et ideo eorum pœnam esse vere et proprie æternam.

2° *Traditione* 1. *Ex SS. Patribus.* Namque SS. Patres, qui ante Origenistas floruere, inter quos, Clemens Rom., Justinus martyr; Theophylus, Tertullianus, Minutius Felix, Irenæus, Cyprianus, unanimes sunt in reproborum pœnis sempiternis asserendis. Vix autem Origenistarum commentum de temporaneis impiorum pœnis prodiit, illico omnes ecclesiæ Patresque illud exhorruerunt, et anathemate perculerunt [1].

2. *Ex actis Martyrum.* Strenui Christi Martyres tyrannis sæva quæque tormenta minitantibus, nisi idolis litassent, respondebant se ad tantum facinus nunquam adigi posse, *ne irent in interitum, in ignem æternum :* ita in actis S. Julii, S. Maximi, S. Felicitatis ejusque filiorum, S. Victoris, etc. Ergo a primæva Ecclesiæ ætate coram ipsis tyrannis perpetuitatem inferni confessi sunt Martyres; atque ideo talis id temporis erat Ecclesiæ fides.

3. *Ex Conciliis, Symbolis et praxi Ecclesiæ.* Somnia Origenistarum a Conc. generali v, an. 553, confixa sunt in Origene et Theodoro Mopsuesteno, solemni anathemate, quod desideratur quidem in Actis superstitibus Concilii, sed quod testes habet historicos, inter quos Evagrium, et Patres Conc. generalis vii, Act. 1, an. 787, qui illud expresse commemorant. Insuper Conc. Later. iv, an. 1215, definivit « *reprobos* recepturos esse *cum diabolo pœnam perpetuam,* justos autem cum Christo gloriam sempiternam. » Conc. Trid., sess. 6, can. 5, loquitur de pœna et damnatione *æterna* peccato mortali debita.

1. « Immortales omnes animæ sunt et impiorum, quibus melius foret non in incorruptibilibus esse. Nam *pœna sempiterna* ac *inextinguibili igne punitæ,* neque morientes, magno suo malo, *nullum finem obtinere possunt.* » S. Clemens Rom. — « Quibuscunque dixerit Dominus : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum,* isti erunt *semper damnati.* » S. Irenæus. — « Ignis inferni, quos semel apprehendit, *perpetuo comburit, nec desistit;* ideoque *inextinguibilis* dicitur. Siquidem peccatores oportet induere immortalitatem, non ad honorem, sed *ut perpetuum sit illius supplicii viaticum*...; qui enim semel igni traditus a Domino fuerit, *nullum potest supplicii sperare finem.* » S. Chrysost., *ad Theodorum lapsum*, lib. 1, n. 9, 10; lib. 2, n. 3. — S. Augustinus, *de Hæres.* 43, describit Origenistarum hæresim de fine pœnarum tum dæmonum, tum impiorum hominum, eamque vocat in hac materia *vanissimam impietatem,* propter quam Origines *ab Ecclesia merito proscriptus fuit.* Vide Petavium, *de Angelis,* lib. 3, c. 8.

Idem dogma sic profitetur Ecclesia in Symbolo Athanasiano : *Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam; qui vero mala, in ignem æternum.*

Tandem non licet pro damnatis orare, nec pro iis sacrificium offerre, ut patet ex totius Ecclesiæ praxi; ergo credit Ecclesia nullam spem veniæ obtinendæ superesse damnatis, atque ideo perpetuam esse eorum pœnam.

Eadem divina Traditio invicte constat etiam argumento præscriptionis. Hujusmodi enim dogma innovari non potuit mutatione sensibili, nec insensibili. Non sensibili, cum nullibi exstet memoria de tam gravis innovationis auctore, loco et tempore; nec insensibili, siquidem totus orbis sane omni tempore insurrexisset contra fraudulentam adeo formidandi dogmatis introductionem.

Imo traditio profana divinæ traditioni de æternitate pœnarum constanter et ubique suffragata est, ut referunt sive poetæ, sive philosophi, sive historici [1].

3° *Ratione theol.* 1. In Scriptura et Traditione, nunquam promittitur, sed e contra constanter denegatur remissio

1. Poetæ communem populorum persuasionem celebrarunt, dum sempiternis suppliciis in Tartaro (hæc vox lingua ægyptiaca significat *sedem æternam*) addixerunt ausos immane nefas ausoque potitos, v. g., Theseum, Tantalum. Lapithas, Ixiona, Pyrithoum, Salmonea, et Tityon, cui « immanis vultur, *immortale* jecur tundens, fecundaque pœnis viscera, rimatur epulis, nec fibris requies datur ulla renatis; » *Æneid.* 6. — « Sisyphon aspiciens : cur hic e fratribus, inquit, *perpetuas patitur pœnas?* » Ovid., *Metam.* 4. Genus humanum *timere pœnas æternas* fatetur ipse Lucretius, *de Natura rer.*, lib. 1, 3.

Quibus poetarum dictis consonant placita philosophorum, Plutarchi, in lib. *De sera numinum vindicta,* Platonis in lib. 10 *Reipubl.*, et in Gorgia, ubi sic loquitur : « Les vils scélérats, dont l'âme perverse *a mérité* d'être *incurable,* sont réduits à servir d'épouvantail; et leurs châtiments, *qui les tourmentent sans les guérir,* ne sont utiles qu'aux témoins de leur *effroyable et douloureuse éternité*... On peut, j'en conviens, faire peu de cas de ce que je dis; mais, après avoir mûrement réfléchi, et tout bien examiné, *je n'ai rien trouvé qui soit plus selon la sagesse, la raison et la vérité.* » — Les Chrétiens ont raison de penser que les méchants subiront des *supplices éternels*. Du reste, ce sentiment leur est commun *avec tout le monde;* » ita Celsus, apud Origen. lib. 8. — « L'opinion d'un *purgatoire* ainsi que d'un *enfer* est *de la plus haute antiquité.* » Voltaire, *Addit. à l'Hist. génér.* Ad eumdem scribit d'Alembert : « Je crois enfin avoir trouvé la certitude de la non-existence de l'enfer. » Sic respondet Voltaire : « Vous êtes bien heureux! *je suis loin de là*... » Vide Huet, *Alnet. Quæst.*, lib. 2, c. 24; Patuzzi, *De futuro impiorum statu*, lib. 3; Nicolas, *Etudes philos.*, t. 3, c. 8.

peccati mortalis post hanc vitam : porro, qui nunquam peccato carebit, nunquam pœna carere poterit; ergo, etc.

Et vero, præsens vita semper in Scriptura et Traditione perhibetur tanquam tempus agonis seu meriti aut demeriti, ita ut, post hanc vitam, unusquisque messurus sit, quod, durante præsenti vita, seminaverit; II Tim. 2, ỳ 12; Galat. 26, ỳ 8; ergo, qui ex hac vita decedunt cum semine peccati, nihil aliud, in altera vita, quam pœnam peccato debitam metunt, quandiu vivunt, seu in æternum.

2. Præmium justorum est æternum, ex divina revelatione, juxta omnes : atqui eadem justitiæ ratione pœna peccatis redditur et bonis actibus præmium; ergo æterna debet esse pœna peccati mortalis.

3. Redemptio per passionem et mortem Christi, cum sit infiniti valoris, supponit culpam et pœnam infinitæ gravitatis redimendam, alioquin nulla esset æqualitas inter pretium et rem redemptam, nec tanti pretii necessaria fuisset solutio : atqui nulla pœna est infinita, nisi æterna; ergo æternitatem pœnarum supponit redemptio per Verbum incarnatum. « Si non fuissent hæ pœnæ ad mortem *sempiternam, nunquam, pro earum remedio, Filius Dei moreretur*, » ait S. Bernardus.

4° *Ratione naturali* infertur pœnæ æternæ necessitas ex parte Dei, peccati, peccatoris et societatis sive angelicæ, sive humanæ.

Et quidem 1, ex parte *Dei*. Repugnat Deum impune ab impio contemni, et a fortiori impium a Deo remunerari : atqui, si impius statim post hanc vitam in nihilum recidat, ut volunt Sociniani, Athæi et Materialistæ, eo ipso, per hanc totam vitam, impius impune poterit Dei præcepta contemnere, omnibus cupiditatibus indulgere, et peccata multiplicare; annihilatio enim non est pœna proprie dicta; aliunde annihilatio esset pœna in omnibus æqualis pro quocunque peccatorum numero et gravitate.

Si vero impius, in altera vita, post pœnam plus minusve diuturnam, in pace et beatitudine quiescat, eo ipso illa beatitudo erit ultimus finis ipsius impietatis, jamque plane actum esset de Dei suprema auctoritate et providentia.

Si, demum, annihilaretur impius post pœnam plus minusve diuturnam, sanctio legi divinæ apposita maneret prorsus insufficiens, ex statim dicendis; et ideo etiam deficerent suprema auctoritas et providentia. Ergo, ex parte Dei, sola ratione infertur pœnarum æternitas.

2. Ex parte *peccati*. Mortale peccatum, cum sit injuria infinitæ majestati illata, quamdam ex hac parte malitiæ infinitatem habet, ex dictis in Tract. *de Incarn.* n. 184, *de Peccatis*, n. 21; et ideo puniri debet pœna aliquo modo infinita : atqui infinita esse non potest pœna ratione intensitatis, quia creatura non est capax status infiniti; ergo infinitæ saltem duratione pœnæ necessitatis infertur ex parte peccati.

3. Ex parte *peccatoris*. Per mortale peccatum, creatura rationalis discedit a Deo, et sese convertit ad bonum creatum tanquam ad summum sibi bonum; per finalem vero impœnitentiam, vult in perpetuum manere in illa discessione, et in hac conversione tanquam in fine ultimo et perpetuo : atqui omnino justum est peccatorem perpetuo manere in statu, quem ipse scienter et libere in perpetuum elegit; ergo, ex parte peccatoris, infertur pœnæ æternæ necessitas. S. Th. *Cont. Gent.* lib. 3, c. 144; lib. 4, c. 93.

4. Ex parte *societatis*, sive angelicæ, sive humanæ. Deus, quatenus princeps et legislator societatis, sive angelicæ, sive humanæ, debuit suis legibus sufficientem et per se efficacem sanctionem apponere : atqui ad hoc necessaria fuit pœna æterna. Etenim, non obstante illa pœnarum æternitate, pars notabilis Angelorum et innumerabilis hominum etiam credentium multitudo legem divinam contempserunt, et quotidie contemnunt; ergo, sublata pœnarum æternitate, prorsus inefficax evaderet lex divina; ideoque pœnam æternam legis divinæ violationi apponi uecesse fuit.

Et vero, lex humana non est efficax, nisi quia innititur sanctione perennis exilii, perpetui laboris coacti, aut perpetuæ amissionis vitæ physicæ; ergo a fortiori lex divina et supernaturalis evaderet inefficax, nisi inniteretur sanctione perennis exilii a civitate cœlesti, coacti laboris per-

petui in ordine spirituali, et perpetuæ amissionis vitæ divinæ, quæ est mors seu damnatio æterna. « Omnis res, quæ finem habet, aut brevis aut nulla est; *quod æternum non est, nihil est,* » ait S. Aug. « Horremus minas Creatoris, et vix a malo divellimur : quid, si nihil minaretur? Hanc justitiam malum dices, quæ malo non favet? Hanc bonum negabis, quæ bono prospicit? » Tertull. *cont. Marcion.* lib. 2, c. 13.

Quare æternitas pœnarum semper fuit maximum incitamentum ad vitandum malum, bonumque prosequendum; atque semper reputata est veluti unus ex cardinibus ordinis moralis et religionis, et tanquam prima omnis sapientiæ magistra, præcipuumque salutis adipiscendæ tutamen; adeo ut Sancti etiam eximii nec viam salutis ingressi fuerint, nec in ea fortes et in finem constantes perseveraverint, nisi quia in timore æterni supplicii semper innixi permanserunt, juxta illud : *Initium sapientiæ timor Domini;* Ps. 110, v. 9. — « Beatus vir qui *timet Dominum : in mandatis ejus volet nimis;* » Ps. 111, ỳ 1. — *Cum metu et tremore vestram salutem operamini :* Philip. 2, ỳ 12. — « Memorare *novissima tua,* et *in æternum non peccabis;* » Eccli. 7, ỳ 40.

Et quis unquam peccaret, dum memoraret pœnam, quæ tandiu duratura est, quandiu permanebit et ipse Deus! Vide S. Th. 1. 2, q. 87, a. 3. 4; Suppl. q. 99.

61. — *Obj.* 1° In Scriptura damnatio æterna dicitur *perditio, interitus, mors :* atqui hæ voces, in sensu litterali et proprio, significant destructionem vitæ seu annihilationem; ergo reproborum damnatio est æterna annihilatio in sensu Socinianorum, n. 59.

Resp. Nego minor. Etenim præfatæ voces in Scriptura, quando agitur de reproborum pœna, proprie et litteraliter significant tum perpetuam amissionem Dei, qui est vita animæ, tum summam illam ac irreparabilem calamitatem, in quam reprobi incidunt.

Revera Judas a Christo dicitur filius *perditionis*; ita tamen ut melius foret ei, si natus non fuisset; Joan. 17, ỳ 12 : quorsum autem, nisi ob æterna supplicia, quæ ipsum in altera vita manebant? — Pariter de infidelibus dicit Apostolus, II

Thess. 1, ỳ 9. « Pœnas dabunt *in interitu æternas* a facie Domini : » atqui, si pœnas dabunt et quidem æternas, profecto in interitu non destruentur. — Dicitur etiam « Pars illorum (impiorum) erit *in stagno ardenti igne : quod est mors secunda.* » Apoc. 21, ỳ 8.

62. — *Inst.* 1. In Scriptura, vox *æternum* de longiori tempore usurpatur; sic Chananitides dicitur Hebræis concessa *in æternum, in æternum* firmatum iri solium David, Sodomam et Gomorrham ignis *æterni* pœnam sustinere; Judæ, v. 7 : porro in eodem sensu intelligi debet vox eadem quoties agitur de reproborum pœna: ergo hac pœna non est proprie æterna.

Resp. Nego minor. Etenim, ex thesi præcedenti, constat vocem *æternum* in Scriptura usurpari de perpetua duratione, quoties agitur de reproborum supplicio. In locis autem, quæ objiciuntur, vox *æternum* usurpari nequit nisi de longiori duratione, ut patet ex ipsa materia, de qua in illis agitur. Aliunde incendium Sodomæ et Gomorrhæ vocatur ignis *æternus*, vel quia irreparabile est et semper duraturum, vel eo quod typus fuerit ignis æterni, in quem habitores Sodomæ et Comorrhæ a temporali incendio transmissi sunt.

63. — *Inst.* 2. In Scriptura dicitur : « Nunquid *in æternum projiciet Deus?* Miserator et misericors Dominus... *non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur;* » Ps. 76, ỳ 8; 102, ỳ 8, 9; ergo divina ultio non erit æterna.

Resp. Nego conseq. Nam, in allatis textibus, agitur de hominibus adhuc in præsenti vita degentibus, ut constat ex contextu, et ex unanimi Patrum atque interpretum consensu.

64. — *Obj.* 2° Deus est infinite bonus et misericors : atqui tali bonitati et misericordiæ repugnat pœnarum æternitas; ergo pœna reproborum non est æterna.

Resp. Nego minor. Etenim pœnarum æternitas non repugnat bonitati et misericordiæ illi, quæ consistit in amore ordinis, justi et recti, quæ est secundum rectam rationem : atqui, ex una parte, Dei bonitas consistit in amore ordinis, justi et recti, ejusque misericordia est secundum rectam rationem; ex altera vero parte, si deesset pœnarum æternitas, impius Deum impune contemneret, vel a Deo remuneraretur, nec peccatum proportionata pœna puniretur, nec peccatori retribue-

retur finis ultimus, quem super omnia appetit, nec sufficienti sanctione muniretur lex divina, nec proinde Deus esset bonus et misericors secundum ordinem et rectam rationem; ergo æternitas pœnarum, nedum bonitati et misericordiæ divinæ repugnet, e contra maxime convenit.

65. — *Inst.* Pœnarum æternitas repugnat saltem justitiæ divinæ. Etenim, ut servetur ordo justitiæ, requiritur proportio inter pœnam et culpam : atqui nulla est proportio inter supplicium æternum et peccatum temporaneum, imo plerumque momentaneum; ergo æternitas pœnarum repugnat divinæ justitiæ.

Resp. Dist. minor. Nulla est proportio inter supplicium æternum et peccatum quoad *actus* peccaminosi durationem, *transeat*; quoad malitiam, *nego*. Gravitas enim supplicii taxatur secundum peccati malitiam, quæ commensuratur secundum dignitatem personæ offensæ : porro, qui peccat mortaliter, offendit Deum, cujus majestas est infinita; ergo iste dignus est pœna infinita ratione saltem durationis, cum non possit esse infinita ratione intensitatis.

Revera, in nullo judicio requiritur pœna adæquata durationi actus peccaminosi; sic furtum, homicidium in momento patrantur, et tamen nulla lex unquam decrevit hujusmodi crimina puniri pœna quoad durationem proportionata; sed e contra illa crimina sæpe puniuntur vel perenni exilio, vel perpetuis coactis laboribus, vel perpetua vitæ physicæ amissione; ergo pariter peccatum mortale, etsi in ictu oculi patretur, puniri potest æterno supplicio.

Dixi : *transeat*; nam peccatum mortale nunquam remittitur in altera vita; ergo damnati nunquam carebunt supplicio, eo quod nunquam carebunt peccato; sicque sub hoc respectu perpetuitas peccati erit pœnæ perpetuitati adæquata.

66. — *Obj.* 3° si existeret infernus, procul dubio Deus permitteret aliquem damnatum interdum nobis apparere, ad efficacius promovendam fidem nostram de inferni existentia : atqui deficit apparitio hujusmodi; ergo infernus non existit.

Resp. Nego major. Et quis facilius et efficacius crederet testimonio diaboli aut alicujus damnati, quam testimonio ipsius Dei nobis inferni existentiam revelantis per Prophetas, per Apostolos, per ipsum Verbum incarnatum et per universam Ecclesiam ?

Sed ipse Christus illud stupidum sophisma expresse discutit, cum inducit damnatum divitem sic alloquentem Abraham: « Rogo ergo te, Pater, ut mittas Lazarum in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Et ait illi Abraham: *Habent Moysen et Prophetas; audiant illos*... Si Moysen et Prophetas non audiunt, *neque, si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* » Luc. 16, ℣ 26-31.

NUMERUS II

De natura pœnarum inferni.

67. — Pœna reproborum duplex est, alia *essentialis*, alia *accidentalis*. Prior ea est, quæ ipsam peccati mortalis essentiam consequitur, et quæ ideo in reprobis constans est et æterna, sicut ipse peccati mortalis status.

Posterior autem ea est, quæ ex circumstantiis extrinsecis et accidentalibus augeri vel minui potest, qualis est tristitia ex furore dæmonum inter se, vel erga reprobos homines, et ex aliis similibus.

Pœna essentialis duplex est, scilicet pœna *damni* et pœna *sensus*. De utraque sigillatim dicemus.

PUNCTUM PRIMUM

De pœna damni.

Expendemus quid sit pœna damni, an et quanta sit in reprobis. Unde

68. — *Quæritur* 1° quid sit pœna damni in genere, et speciatim in inferno?

Resp. 1° *Damnum* in genere, est *privatio boni cujusdam alicui connaturalis*, seu ad quod possidendum quis aptus et destinatus est. Damnum igitur simpliciter, pro creatura rationali, est privatio boni simpliciter seu Dei, cum Deus sit pro illa creatura summum bonum, atque omnis boni fons et principium.

Pœna, in genere, est *privatio boni cujusdam alicui connaturalis cum conscientia;* sic, v. g., privatio repentina manus cum conscientia est pœna in ordine physico. Unde

omnis conscientia alicujus privationis de re nobis connaturali, est pœna damni in genere.

2° In inferno pœna damni est perpetua conscientia damni simpliciter, id est, *æterna separatio a Deo ut fine supernaturali et naturali, cum conscientia.*

Et quidem 1. *æterna separatio a Deo ut fine supernaturali.* Angeli enim et homines destinati sunt ad æternam unionem cum Deo ut fine supernaturali, qui in visione beatifica consistit : atqui reprobi per mortale peccatum omnino sese averterunt a Deo ; et per impœnitentiam finalem sese constituerunt in æterna permanentia hujusmodi aversionis seu separationis ; ergo reprobi sunt in æterna privatione seu separatione a Deo ut fine supernaturali.

2. Et *ut fine naturali.* Lex enim naturalis præcipit, ut Deo subjiciamur etiam cum nobis assignat finem supernaturalem ; et ideo peccatum in ordine supernaturali, seu separatio a Deo ut fine supernaturali, inducit ipsius juris naturalis violationem, seu aversionem a Deo ut fine naturali.

3. *Cum conscientia.* Privatio enim boni connaturalis per se constituit quidem damnum, sed non pœnam proprie dictam, ad quam requiritur conscientia damni. Sic, v. g., Petrus ignorat suam matrem hic et nunc animam exhalare; adest quidem pro Petro damnum, sed nondum tristitia, donec Petrus illius mortis fiat conscius.

69. — *Quæritur* 2° an et quanta sit in reprobis pœna damni?

Resp. 1. Præfatam pœnam damni esse in reprobis, patet ex ipsa notione illius pœnæ, quæ impœnitentiam finalem peccati mortalis necessario consequitur.

Sed hoc expresse docet Scriptura. Nam Christus, in supremo die, sic reprobationis sententiam prolaturus est : « *Discedite a me, maledicti,* in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus ; » Matth. 25, ℣ 41 : porro verba, *discedite a me, maledicti,* proprie significant pœnam damni, id est, æternam a Deo separationem cum divina maledictione, seu cum conscientia omnis mali, quod per se affert illa maledictio.

Eadem pœna damni sæpe in Scripturis dicitur *vermis qui non moritur*, id est dolor animi et angor a reprobis conceptus ex æterna visionis beatificæ et omnis boni privatione, qui quasi vermis aut vultur mentem discerpit morsu immedicabili et sempiterno.

2. Jam vero, quanta sit per se hujusmodi pœna, nec mens concipere potest, nec cor præsentire. Namque omne bonum a Deo originarie provenit, et ideo æterna separatio a Deo ut fine supernaturali et naturali, per se inducit substractionem influxus ad bonum quodcunque : porro substractio boni cujuslibet, ad quod ens rationale destinatum est, per se inducit omnem privationem cum conscientia, seu omne malum pœnæ.

Et revera, Deus, quos sic a se separat, dicit *maledictos :* atqui pro Deo idem est dicere ac facere, juxta illud : *Dixit, et facta sunt;* ergo in his, quibus Deus *dicit malum* simpliciter, nihil nisi malum simpliciter remanet, ita ut infernus ab ipso Christo definiatur : *Locus tormentorum*, Luc. 16, ℣ 28; id est locus in quo nihil boni superest, sed in quo sunt tormenta sine addito[1].

Quare illa pœna dicitur pœna *damni* simpliciter, quia, licet pœna sensus etiam inferat damnum, nihilominus quasi nihil reputatur respectu illius damni, quod in carentia visionis et fruitionis divinæ consistit. « Tantum mihi videtur de tanta gloria decidisse, ut gehennam pro nihilo habeant præ hoc damno ac ruina, » ait S. Chrysost *Homil* 13, *ad Philip*. Aliunde illa privatio gloriæ consequenter

1. « *Discedite*, retirez-vous. » Jésus-Christ ne peut plus souffrir le pécheur; il le hait infiniment, nécessairement, éternellement, substantiellement, comme il s'aime, parce qu'il est dans l'état de péché. Le péché est comme humanisé en lui; c'est un homme devenu péché. Il perd tout bien, *omne bonum* : il ne reste pour tout bien en lui que la simplicité de son être, et c'est son malheur extrême; parce que Dieu le conserve pour être en butte éternellement à ses vengeances, et le sujet de toutes les misères possibles.

« *Maledicti*, maudits. » Cette parole exprime un jugement pratique en Dieu, qui livre le pécheur à toute l'exécration de sa justice; et elle contient une imprécation contre lui, qui *déracine jusqu'aux moindres fibres de la capacité* qui était en lui pour *recevoir du bien*, et pour *en faire*. » Bossuet, *Punition et peine du péché; — Médit. sur l'Evang.*, journ. 92, 93, 97.

de facto trahit omnem aliam privationem, ut jam dictum est.

70. — Hinc 1. *cognitio naturalis* remanet in reprobis, sed ut eis tristitiæ materiam præbeat.

Nam seipsos cognoscunt, sed ut a Deo aversos, et sua culpa omni bono proprie dicto destitutos. De Deo etiam cogitant, sed in effectu tantum justitiæ, et ideo eum odio habent, sicut pœnas quibus obruuntur. Tandem bonum et malum aliorum non apprehendunt, nisi ut de bono maxime crucientur, et de malo gaudeant, quod maxime ad miseriam pertinet; ita ut bonos omnes consummato odio prosequantur, atque velint illos omnes damnatos esse; S. Th. Suppl., q. 98. a. 4, 5, 7. « Esprits superbes, Dieu, *sans vous ôter votre intelligence* sublime, vous l'a tournée en supplice : tout en vous s'est *changé en mal*... Les lumières de votre intelligence se sont *tournées en finesse et en artifices malins.* » Bossuet, 2e *Elévat.*, 4e *sem.*

71. — Hinc 2. *nulla* in reprobis *bona* est *voluntas*, ita ut, si quando aliquod bonum velint, non tamen *bene* volunt.

Etenim recta non est voluntas, nisi per conversionem ad finem ultimum : atqui reprobi omnino sunt aversi a Deo ut fine supernaturali et naturali; ergo nulla est in eis recta voluntas. Proinde, respectu finis ultimi, habent quidem libertatem a coactione, non autem a necessitate; et ideo amplius novo peccato non peccant, dum illum finem nolunt. Unde etiam actibus malis, quos continuo eliciunt, pœnam damni aut sensus iterum non merentur, juxta omnes; S. Th. 2. 2, q. 13. a. 14, ad 2. Attamen quidam sentire videntur reprobos iterum peccare, etsi juxta eosdem, augmentum pœnæ non mereantur.

72. — Hinc 3, pœna damni non provenit ex influxu positivo ex parte Dei, sed ex influxus cessatione. Privatio enim alicujus boni consequitur cessationem influxus, quo producitur illud bonum.

Quæ autem cessatio influxus provenit a voluntate re-

probi, qui per impœnitentiam finalem sese in æternum constituit in separatione a Deo ut principio omnis boni, sive supernaturalis, sive naturalis. Quare dicitur : « *Deus mortem non fecit*, nec lætatur in perditione vivorum.,. *Impii* autem *manibus et verbis accersierunt illam*..., *et sponsiones posuerunt ad illam.* » Sap. 1, ℣ 13, 16.

PUNCTUM II

De pœna sensus.

Pœna sensus in Scriptura et Traditione designatur per *cruciatum ignis*. Expendemus igitur an sit ignis in inferno, et qualis sit.

73. — *Quæritur* 1° an sit cruciatus ignis in inferno?

Resp. affirmative. et hæc sententia certa est, juxta Bellarm., Suarez, Sylvium, Petavium, Perrone, etc., nullo tamen Ecclesiæ decreto obsignata fuit, ut observat Vasquez.

Constat 1. *Script.* Nam, ut vidimus, n. 60, toties Scriptura minatur *ignem inextinguibilem*, *ignem æternum* diabolo et hominibus paratum, quoties loquitur de inferno : atqui adeo constans et centies iterata locutio in sensu litterali intelligi debet, cum aliunde ille sensus litteralis non repugnet aliis Scripturæ locis, nec Traditioni, nec bonis moribus, nec rationi, nec œconomiæ totius doctrinæ revelatæ; ergo reprobi cruciantur pœna ignis.

2. *Traditione*. SS. Patres communiter docent in inferno esse cruciatum ignis, ut patet ex textibus allatis, n. 60. Hic quædam tantum addere sufficiet. « Sicut electos beatitudo lætificat, ita credo necesse est, quod *a die exitus sui, ignis reprobos exurat*... Illum *ignem esse corporeum non ambigo*.Cum enim Veritas peccatorem divitem damnatum *igne* perhibeat, quisnam sapiens reproborum *animas teneri ignibus* negel? » S. Gregor. Papa, *Dialog.* lib. 4, c. 28, 29. — S. Hieron., *Epist.* 59, arguit Origenem, quod ignem Tartareum ad metaphoram transtulerit. — « Adhærebunt *spiritus incorporei corporeis ignibus* cruciandi, quamvis *miris* et *ineffabilibus, veris* tamen modis... Gehenna illa *corporeus ignis* erit, et cruciabit hominum corpora cum spiritibus,

dæmones autem spiritus sine corporibus habentes. *Verus* quippe *utriusque ignis* erit, sicut Veritas dicit. » S. August. *de Civit.* lib. 21, c. 10.

Conc. Florent. sic habet : « Sacrosancta Romana Ecclesia firmiter credit, profitetur et prædicat, nullos intra Ecclesiam catholicam non existentes..., æternæ vitæ fieri posse participes; sed *in ignem æternum ituros, qui paratus est diabolo et angelis ejus;* » ex decreto *pro Jacobitis* : porro hic certe verbum, *ignem*, metaphorice non sumitur.

3. *Ratione*. Per mortale peccatum, creatura rationalis, dum sese avertit a Deo, simul sese convertit ad creaturas, ut in earum fruitione tanquam in ultimo fine delectetur; ergo justum est, ut in reprobo puniatur illicita illa delectatio sensibilis crutiatu quam maxime per se sensibili.

74. — *Quæritur* 2° qualis sit ignis inferni,, an, scilicet, ille cruciatus ignis producatur a materia ipsi reprobo extrinseca, an vero a principio ipsi intrinseco oriatur?

Resp. Non consentiunt auctores. Alii putant reprobos *miris* et *ineffabilibus modis* comburi igne extrinseco, *ipsis insolubiliter alligato*, et ideo ad hujusmodi cruciatum requiri positivum Dei concursum. Ita S. August., S. Gregor., Estius, Soto, Suarez, Sylvius, etc.

Aliunde, spiritus corpori uniri potest, ut huic vitam communicet; cur ergo spiritus igni non posset uniri, ut ab eo pœnam trahat? Sed etiam, cum animatum corpus uritur, anima sentit inde peculiare tormentum; cur ergo anima a corpore separata, ab igne cruciatum percipere non posset, similem illi, quem percipiebat, dum corpori uniretur?

Alii sentiunt ignem inferni produci ab intrinseco principio, seu e medio ipsius damnati educi. Videlicet, cruciatus ignis est conscientia quam maxime violentæ separationis inter partes corporis viventis : porro, in reprobis, nullus est influxus divinus, quo uniantur inter se corporis partes ad illius corporis bonum, ex dictis n. 69, 72; ergo, in corporibus reproborum, perpetua est et quam maxime violenta omnium partium deordinatio, qua proinde illa corpora totaliter et perpetuo *ignea* fiunt.

Unde, in hac sententia, ignis inferni est necessarium consectarium omnimodæ separationis a Deo, quæ in ipsa peccati mortalis et impœnitentiæ finalis natura continetur, n. 69, 72 ; atque ad illius ignis productionem sufficit, ex parte Dei, cessatio influxus in bonum corporis. Ita, inter alios, Bossuet, *Serm. sur la gloire de Dieu dans la convers. des péch.*, 1er point ; *Serm. sur la nécessité de la pénit.*, 3e dim. de l'Avent, 1er point. Hoc innuere videtur Scriptura his verbis : « *Concipietis ardorem, parietis stipulam : spiritus vester ut ignis vorabit vos ;* » Isa. 33, ℣ 11. — « Devorabit eum ignis, *qui non succenditur ;* » Job. 20, ℣ 26. — « Producam ergo *ignem de medio tui*, qui te comedat. » Ezech. 28, ℣ 18.

« Ignis dupliciter invenitur, scilicet *in propria materia, ex principio intrinseco naturali*, ut accidit *in sulphure ;* et in aliena materia, artificialiter et per violentiam introductus, ut in ferro ignito apparet. Utrum autem ignis inferni *sit in propria materia existens*, aut si in aliena, in qua materia sit, nobis ignotum est. » S. Th. *Suppl.* q. 97, a. 6.

NUMERUS III

De gradu pœnarum inferni.

Duo absolvenda supersunt, de inæqualitate scilicet, et immutabilitate pœnarum inferni. Unde

75. — *Quæritur* 1° an pœna inferni sit in *omnibus* reprobis *æqualis ?*

Resp. Inferni pœna in reprobis æqualis est quoad durationem, inæqualis autem quoad acerbitatem pro numero et gravitate criminum.

Et quidem 1. *æqualis* est in omnibus quoad *durationem*, cum sit in omnibus perpetua, sicut et in omnibus reprobis perpetuus erit status peccati mortalis.

2. *Inæqualis* est autem quoad *acerbitatem*, seu quoad gradum conscientiæ pœnæ, pro numero et gravitate criminum ; alioquin, vel quædam peccata mortalia remanerent impunita, vel quædam peccata quoad gravitatem pluribus æquivalentia, non magis punirentur, quam unum ex his

pluribus, quibus unumquodque æquivaleret, sicque æquivalenter quædam peccata mortalia impunita remanerent.

Hoc expresse docet Scriptura : « *Luet quæ fecit omnia, nec consumetur : juxta multitudinem adinventionum suarum, sic et sustinebit;* » Job. 20, ℣ 18. — « Nolite errare : Deus non irridetur. *Quæ seminaverit homo, hæc et metet;* » Galat, 6,. ℣ 8. — *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum*. Apoc. 18, ℣ 7.

Et vero, ex dictis, n. 68, 72, 74, pœna inferni est conscientia status peccati mortalis, seu æternæ separationis a Deo et conversionis ad creaturas; ergo illa pœna seu conscientia erit tali peccaminoso statui seu numero et gravitati peccatorum proportionata. S. Th. *Cont. Gent.* lib. 3, c. 142.

76. — *Quæritur* 2° an pœna inferni sit *quoad acerbitatem immutabilis?*

Resp. Quidam senserunt pœnas reproborum *mitigari* posse, vel eo sensu quod Deus, in judicio particulari, reprobos non tanto, quanto digni sunt, pœnarum gradu puniat, vel eo sensu quod Deus, post judicium particulare, certis temporum intervallis, pœnas damnatorum imminuat, etsi maneant æternæ.

Nulla ex his opinionibus ut veritati catholicæ contraria a Theologis reputatur. S. Augustinus de illa mitigatione loquitur, eamque nec asserit, nec impugnat; *de Civit.* lib. 21, c. 24, n. 3. S. Thomas, *Suppl.* q. 99, a. 2, ad 1, sic habet : « Tamen, potest dici quod etiam in damnatis misericordia locum habet, in quantum *citra condignum puniuntur*, non quod a pœna totaliter absolvantur. » At idem S. Doctor, q. 71, a. 5, id addit : « Quia totaliter ad vitæ terminum pervenerunt damnati, recipientes ultimam pro meritis retributionem, sicut et Sancti qui sunt in patria : ideo *non potest eorum pœna diminui*, sicut nec gloria Sanctorum augeri, *quantum ad præmium essentiale*. » Unde, juxta S. Thomam, mitigatio, si adsit, post judicium particulare, fit tantum quoad pœnam *accidentalem*, n. 67. Remanente enim eadem peccati vi, eadem remanere debet ejus conscientia seu pœna damni et ignis.

Cæterum, præfata mitigatio valde improbabilis fit tum ex parabola divitis epulonis, cui in æternum denegatur refrigerantis aquæ guttula, Luc. 16, ỳ 24; tum ex praxi Ecclesiæ, quæ pro damnatis nec orat, nec orare permittit; tum ex consensu Theologorum, apud quos omnes vera sunt hæc stupenda S. Th. verba, Suppl. q. 98, a. 7 : « Sicut, propter perfectam Sanctorum beatitudinem, nihil erit in eis, quod non sit gaudii materia ; ita *nihil* erit *in damnatis*, quod *non sit eis materia* et *causa tristitiæ ; nec aliquid*, quod *ad tristitiam possit pertinere, deerit*, ut sit eorum *miseria consummata !* » Nonne *horrendum est incidere in manus Dei viventis ?* Hebr. 10, ỳ 31.

ARTICULUS II

De Angelorum vita seu relationibus ad extra.

Boni Angeli relationes habent inter se, et cum hoc mundo visibili. Idem dicendum est de malis Angelis. Unde

§ I.

De relationibus bonorum Angelorum ad invicem, seu de Hierarchia cœlesti.

Dicemus de notione hierarchiæ in genere, de cœlestis hierarchiæ existentia, et proprietatibus.

NUMERUS PRIMUS

De notione Hierarchiæ in genere.

77. — *Quæritur* 1° quid sit hierarchia in genere?

Resp. Vox *hierarchia*, a græcis vocabulis ἱερων αρχη, idem sonat ac *sacrorum principatus*. Quoad rem, hierarchia definitur : *Sacer ordo, qui ad divinitatis imitationem et similitudinem accedit, quantum licet ;* S. Dionys., *de cœlest. Hier.*, c. 3 : id est, *Collectio personarum aliquo modo sacrarum sub aliquo principe ;* Suarez, *de Angelis*, lib. 1, c. 13.

Itaque triplici elemento generali constat hierarchia, scilicet, 1. *fine*, seu imitatione Dei et cum eo conjunctione; 2. *causa*, seu potestate ad hanc imitationem et conjunc-

tionem impellente; 3. *medio*, seu multitudine ad Dei imitationem inducenda, et cum Deo conjungenda per illam potestatem.

Illa autem potestas multitudinem ad Dei imitationem impellit per actionem quidem, sed in primis et præcipue per scientiam seu *illuminationem;* et ideo a S. Dionysio dicitur *magisterium* rerum divinarum.

Talis igitur multitudo sic ordinata Deum constanter intuetur et sequitur, tanquam ducem omnis sacrosanctæ scientiæ et virtutis, et, in quantum potest, exprimit. Proinde uniuscujusque eorum, qui in hierarchia cooptati sunt, in eo perfectio posita est, ut pro sua quisque virili parte, ad imitationem Dei contendat; atque, se præbendo quasi divinæ perfectionis speculum perlucidum, alios ad eamdem imitationem provocet, sicque fiat *Dei adjutor*, quo *nihil divinius;* S. Th. Suppl. q. 37, a. 1.

78. — Hinc patet hierarchiam non esse 1. in rebus ratione non præditis, quia non sunt capaces principatus proprie dicti aut dignitatis sacræ; 2. nec etiam in inferno, ubi nullus ordo, nihil sacrum, sed sempiternus horror inhabitat; 3. nec in Deo propter trinitatem personarum; in personis enim divinis est quidem ordo naturæ, non autem dignitatis et principatus. Et revera, Deus est *extra* et *supra omnem hierarchiam*; nam omnis hierarchia ad *illius imitationem* et *similitudinem* existit. Tract. *de Gratia*, n. 64.

Ergo hierarchia tantum in Angelis bonis et in hominibus esse potest. Vide Institut. canon., Tract. 2, n. 100-102.

79. — *Quæritur* 2° quotuplex sit hierarchiarum species?

Resp. Hierarchia seu collectio personarum, de qua agitur, considerari potest, vel ex parte *primarii principii et finis ultimi*, per quod et ad quem personæ sunt conducendæ; vel ex parte *graduum* seu *ordinum* ipsius collectionis; vel ex parte *naturæ* illarum personarum. Porro,

1° Ex parte *primarii principii* et *finis ultimi*, *una* est hierarchia. Deus enim unus est princeps et finis ultimus, non

solum omnium Angelorum, sed etiam totius rationalis creaturæ, quæ sacrorum particeps esse potest; ergo, sub hoc respectu, una est hierarchia; et in hoc sensu S. August. *de Civit.*, lib. 12, c. 1, dicit « unam esse civitatem in Angelis bonis et hominibus. » Ita S. Th. 1 p., q. 108, a. 1.

2° Ex parte *ordinum*, hierarchia est *simplex* vel *composita*.

1. Hierarchia *simplex* ea est, quæ *gradus* tantum seu *simplices choros* aut *ordines* sub se comprehendit. Namque una hierarchia seu una multitudo sub uno principe non esset bene ordinata, sed confusa, si in multitudine diversi gradus seu ordines non essent; ergo ipsa ratio hierarchiæ requirit diversitatem graduum seu ordinum. Porro, quamvis multi sint unius civitatis ordines, omnes tamen ad tres reduci possunt, secundum quod quælibet multitudo perfecta habet *principium*, *medium* et *finem*; ergo collectio personarum ejusdem hierarchiæ in triplicem ordinem seu gradum generalem et subordinatum dividitur, scilicet, in *supremum*, *medium* et *infimum*.

Et revera, Dei imitatio et cum eo perfecta conjunctio tres præcipuos actus supponit, scilicet, *purgationem* ab ignorantia rerum divinarum, *illuminationem* per divini luminis communicationem, *perfectionem* per quamdam divini luminis plenitudinem participatam, firmamque cum Deo conjunctionem; ergo ad Dei imitationem tres sunt gradus, et ideo, tres personarum ordines; n. 83.

2. Hierarchia autem *composita* ea est, quæ plures hierarchias simplices et subordinatas sub se comprehendit. Scilicet, ex jam dictis, ad unius multitudinis perfectionem, tres generales ordines in unum principatum et hierarchiam convenientes, requiruntur; ergo similiter, ad plurium multitudinum congruam ordinationem, requiritur quod illæ multitudines conveniant in tres hierarchias simplices et subordinatas, nimirum, in supremam, mediam et infimam, quarum unaquæque dici potest *ordo* seu *chorus* hierarchiæ compositæ. *Ordo* igitur significat vel unum *gradum* hierarchiæ simplicis, vel *unam* ex simplicibus

hierarchiis, quæ compositam hierarchiam constituunt; S. Th. 1 p., q. 108, a. 2, ad 1.

3° Ex parte *naturæ personarum*, hierarchia est *humana*, vel *angelica* seu cœlestis. Nam gubernatio non esset idonea, nisi collectiones personarum, quæ secundum eumdem modum gubernari non possunt, a diversa gubernatione in Deum moverentur; ergo tot sunt principatus et hierarchiæ, quot sunt multitudines diverso modo gubernandæ.

Porro homines, ut in Deum reducantur, indigent principe, lege et regimine *sensibilibus*: Angeli autem ab hoc sensibili abstrahuntur; ergo homines et Angeli ad diversum principatum et hierarchiam pertinent. Simili ratione, inter ipsos Angelos diversas saltem simplices et subordinatas hierarchias inveniri non repugnat.

Jam vero, inter homines existit hierarchia *Ordinis* ex Episcopis, sacerdotibus et ministris constans, ex dicendis in Tract. *de Ordine*, n. 17, 19. sed etiam hierarchia *jurisdictionis*, ex dictis in Tract. *de Ecclesia*, et in Institut. can., Tract. 2, n. 100-107. An autem sit hierarchia inter sanctos Angelos, nunc statuendum est.

NUMERUS II

De existentia Hierarchiæ cœlestis.

PROPOSITIO

80. — *Novem distinguuntur Angelorum ordines, in tres hierarchias distributi*. Certum est.

Prob. 1° *Script.* Namque de *Seraphim* dicit Isai. 6, ỿ 2: de *Cherubim*, Gen. 3, ỿ 24; Ezech. 10; S. Paulus autem numerat *Thronos*, *Dominationes*, *Principatus* et *Potestates*, Coloss. 1, ỿ 16; quibus addit *Virtutes*, *Archangelos* et *Angelos*, Eph. 1, ỿ 2; Rom. 8, ỿ 38; I Thess. 4, ỿ 15: porro, ex his locis Scripturæ, collegerunt Patres per illa verba significari novem ordines Angelorum, dignitate et gradu inæquales, ut expresse docet S. Dionys., quem communiter Patres secuti sunt; ergo sunt novem Angelorum ordines. Porro, ex dictis, n. 79, ad plurium multitudinum congruam ordinationem, requiritur quod illæ multitudines

conveniant in primam, mediam et infimam hierarchiam; ergo illi novem ordines in tres distribuuntur hierarchias.

2° *Traditione*. S. August. ait : « Esse *Thronos*, *Dominationes*, *Principatus*, et *Potestates* in cœlestibus apparatibus, firmiter credo, et *differre inter se aliquid*, indubitata fide teneo. Sed quænam ita sint, et quid inter se differant, nescio. » *Contra Priscillian*. c. 11. Ita communiter alii Patres.

In Conc. Later. v œcumenico, sub Leone X, dictum est: « Concilium originem a Domino, initium et formam sumpsisse satis constat. Nam, cum in principio cœlum et terram creasset, *cœlum* ipsum *in tres principatus*, quos *hierarchias* vocant, *instituit*, ac *quemlibet principatum* ad *totidem* Angelorum *choros distinxit*. » Præterea hos novem Angelorum Choros commemorat Ecclesia in antiphona ad primas vesperas festi Omnium Sanctorum, et in commendatione animæ, et etiam plerosque in præfationibus Missæ.

3° *Ratione*. Omnia subduntur divinæ gubernationi, ut per eam ad perfectionem perducantur : atqui major perfectio a gubernante rebus gubernatis commuicatur, dum res illas facit non solum in se bonas, sed etiam aliis causam bonitatis; ergo « ista lex est divinitatis immobiliter firmata, ut inferiora reducantur in Deum per superiora; » S. Dionys. *de Eccl. Hier*. c. 5. Atqui Angeli præ cæteris entibus ad perfectionem perducendi sunt; ergo inter illos existit causalitas quædam, seu hierarchia.

Et revera, ad dignitatem et pulchritudinem societatis Angelorum pertinet, ut eorum multiplicitas et varietas in unitatem seu in ordinem coalescat. Aliunde non minus interest ad gubernantis dignitatem, quod executores habeat suæ gubernationis; ex ordine enim ministrantium potestas regia præclarior evadit. S. Th. 1 p., q. 103, a. 6; 2, 2, q. 183, a. 2.

81. — *Quæritur* autem quomodo distribuantur novem Angelorum ordines in tres subordinatas hierarchias?

Resp. Duplex traditur distributio, atque unam aut alteram sequuntur varii auctores. Prior sic se habet, a superioribus ad inferiores descendendo : in suprema hierarchia,

Seraphim, Cherubim, Throni ; in media, Dominationes, Virtutes, Potestates ; in infima, Principatus, Archangeli, Angeli. Ita S. Dionysius, et plures alii.

Posterior sic eosdem ordines collocat : in suprema hierarchia, prorsus eosdem ; in media, Dominationes, Principatus, Potestates ; in infima, Virtutes, Archangelos, Angelos. Ita SS. Gregor. Pap, Anselm., Isidor., Bernard., Hugo Victor., Petrus Lomb., etc. Quænam sit autem ratio hujusmodi distributionis, nunc inquirendum superest.

NUMERUS III

De proprietatibus trium Hierarchiarum et novem Ordinum Angelorum.

82. — *Notandum.* Vis causandi et hierarchicus gradus cujusque individui, pendent a gradu perfectionis enti inhærentis : porro vix ac ne vix quidem aliquid cognoscimus de perfectione naturali et supernaturali Angelorum, atque de ministeriis et functionibus unicuique propriis ; ergo, quod tantum verisimile Theologis videtur de proprietatibus sive hierarchiarum, sive ordinum, exponendum habemus. Nec tamen hoc supervacaneum videri debet ; res enim cœlestes sunt terrestrium exemplar ; ac proinde earum scientia, quamtumvis imperfecta, maximum momentum retinet. n. 1.

PRINCIPIUM GENERALE

83. — *Tres* Angelorum *hierarchiæ* repræsentant *tria genera operationis divinæ ; tres* vero *ordines cujusque* hierarchiæ *particularis,* repræsentant *tres modos cujusque generis divinæ operationis.*

Namque 1° triplex est divinæ operationis genus, nimirum, operatio *ad intra,* operatio ad extra circa rerum *universalitatem,* et operatio etiam ad extra circa *particulares* effectus ; S. Th. 1 p., q. 108, a. 1. Operatio autem circa particulares effectus supponit operationem circa rerum universalitatem ; hæc vero supponit operationem ad intra, ut statim evolvetur ; ergo tria illa divinæ operationis genera distribuuntur in supremum, medium et infimum.

2° In unoquoque autem illorum generum operationis divinæ, tres distinguuntur termini ab invicem aliquo modo distincti, et inter se aliquo sensu ordinati. Scilicet, divina operatio ad intra terminatur ad Patrem, ad Filium et ad Spiritum Sanctum, sicut ad terminum primum, medium et ultimum ; inter divinas enim personas adest ordo naturæ et communicatio perfecta.

Sed insuper operatio ad extra circa universalitatem rerum, est imitatio quædam divinæ operationis ad intra, id est, trium divinarum personarum ; ergo triplicem modum operandi aliquo sensu distinctum præ se fert. Idem dicendum est de operatione divina ad extra circa effectus particulares. Ergo novem sunt termini operationis divinæ aliquo modo ordinati, et distributi in tria operationum genera aliquo modo etiam ordinata.

Porro, ex dictis, hierarchia cœlestis ad imitationem Dei existit et operatur, atque constituitur novem ordinibus, in tres subordinatas hierarchias distributis ; ergo illa hierarchia, per tres hierarchias particulares, repræsentat tria operationis divinæ genera ; per novem autem ordines, repræsentat novem modos seu terminos illius divinæ operationis. Quæ omnia sic evolvuntur :

PRIMA HIERARCHIA

84. — Deus in suis operationibus ad intra est Pater, Filius et Spiritus Sanctus : atqui sub hoc triplici respectu repræsentatur per Seraphim, Cherubim et Thronos.

Scilicet, *Seraphim,* hebraice *ardentes* vel *incendentes*, a charitatis excessu seu ab ardore et incendio denominantur. Nam essentia divina, in persona Spiritus Sancti apprehensa, est amor, ignis et incendium infinitum : porro Seraphim sunt illius substantialis et infiniti amoris et incendii expressio singularis, atque Deus in eis specialiter seipsum diligit.

Sicut enim ignis indeclinabiliter et summa activitate movetur sursum, et ex vi maxime penetrativa pertingit usque ad minima cum quodam superexcedenti fervore, et simul claritatem emittit ; ita Seraphim indeclinabiliter et cum

ardentissimo amore moventur in Deum; et simul cum vi penetrativa ignis seu fervoris superexcellentis, inferiores illuminant et in sublimem fervorem excitant.

85. — *Cherubim* nomen a quodam scientiæ excessu imponitur; et ideo interpretatur *profusio sapientiæ* vel *scientiæ*, S. Dionys.; *plenitudo scientiæ*, SS. Aug., Hieronym., Gregor., Bernard., *sapientia* et *puritas*, S. Chrysost. Essentia enim divina, in persona Verbi spectata, est suiipsius lumen, sapientia et scientia infinita; vide Tract. *de SS. Trinit.*, n. 59, 60: porro Cherubim sunt imitatio quædam et peculiaris expressio illius substantialis luminis, sapientiæ et scientiæ. Deus enim in eis specialiter seipsum cognoscit, atque illis sicut splendidissimis astris quasi se induit, ut ad extra exprimat aut dicat quidquid est in semetipso, et plenariis radiis alios Angelos illuminet.

86. — *Thronorum* nomen a sedibus materialibus sumitur. Etenim, in materiali sede, adest *elevatio* a terra, *apertio* sedis ad suscipiendum sedentem, *susceptio* sedentis a sede, *firmitas* requiescentis in sede. Similiter essentia divina, in persona Patris considerata, est summa abstractio et *elevatio* a creaturis, seu *majestas* suprema; sed etiam, per intellectum et contemplationem, ab æterno est *aperta* ad suscipiendum seipsam quatenus Verbum, atque revera est *suscipiens* illud Verbum; et ideo *sinus* est in quo, sicut in immutabili et æterna sede, Verbum firmiter quiescit: hoc modo illa essentia *sancta* est simpliciter.

Porro, Throni sunt specialis expressio illius summæ sanctitatis et majestatis. Abstrahuntur enim a creaturis, atque, defixi et immobiles, divinitatem perpetuo contemplant, et per hanc contemplationem Deus in eis, sicut in sedibus seu thronis, perpetuo suscipitur et firmiter quiescit, et ideo *deiferi* vocantur; atque etiam alios inferiores ad eamdem contemplationem et sanctitatem provocant.

Itaque Seraphim repræsentant Spiritum Sanctum, Cherubim Verbum, et Throni Patrem. Propterea dicuntur *siti quasi in vestibulo divinitatis*; S. Dionys., *de Cœl. Hier.*,

c. 7. Divinæ enim majestati assistunt, Deumque semper circumstant, et cum eo toto animo et præ cæteris, nulla re interjecta, conjuncti, in ejus laudibus perpetuo occupantur. Unde, saltem ordinarie et vi sui muneris, non mittuntur ad aliquod externum ministerium : sed immediate a Deo illuminantur de rebus contingentibus de novo cognoscendis, et illas illuminationes in inferiores Angelos transfundunt. Vide n. 112.

« Les Séraphins sortent de Dieu comme les flammes d'une fournaise, et l'environnent comme d'une sphère de feu ; les Chérubins sont les rayons de la sagesse divine, les yeux de Dieu, sous lesquels il semble se regarder et regarder le monde : les Trônes sont les images de sa sainteté. Cette hiérarchie exprime les trois principales perfections qu'on adore en Dieu, l'amour, la connaissance et la sainteté, ainsi que les opérations par lesquelles Dieu attire à lui les êtres intelligents, les détachant des créatures, les éclairant de sa lumière, les perfectionnant par son amour. » D. Olier.

87. — Jam vero, summus gradus inferioris ordinis semper affinitatem habet cum ultimo gradu ordinis superioris, alioquin ordinatio non descenderet a perfectiori ad immediate minus perfectum, nec ideo esset recta seu proportionata : atqui primus ordo, qui est divinarum personarum, terminatur ad Spiritum Sanctum, cum quo Seraphim maximam affinitatem habent ; ergo isti supremum ordinem primæ hierarchiæ constituunt ; Cherubim autem medium gradum tenent, propter eorum cum Verbo affinitatem ; et Throni sunt in tertio gradu, propter eorum cum Patre similitudinem.

Et vero, *initium* perfectionis est in abstractione a creaturis et applicatione Deo, seu in Throno ; *profectus* autem est in cognitione Dei ex applicatione, seu in Cherubim ; tandem *perfectio* est in amore Dei ex cognitione, seu in Seraphim ; ergo omni modo Seraphim sunt in primo gradu, in secundo autem Cherubim, Throni denique in tertio.

SECUNDA HIERARCHIA

88. — Media hierarchia Deum repræsentat in suis operationibus circa rerum universalitatem. Deus enim, in suis operationibus ad intra, non est Dominus, nec princeps, nec potestas. Nihil autem ad extra operari potest, quin eo ipso sit creator seu *Dominus*, legislator seu *princeps*, rector seu *potestas* : porro sub hoc triplici respectu ad omnes creaturas, exprimitur per Dominationes, Principatus et Potestates.

89. — *Dominationum* nomen a superexcellenti quodam dominio sumitur, atque significat libertatem, rigidam et inflexibilem gubernationem, appetitum et participationem veri dominii, quod est in Deo. S. Th. 1 p. q. 108, a. 5, ad 2.

Nam Deus est creator et ideo supremus Dominus creaturæ cujuslibet, ac proinde primarium omnis dominii principium, seu Dominus Dominantium : porro Dominationes Deo assimilantur secundum ejus supremum dominium; et hoc proinde agnoscunt per adorationem cum excessu quodam, ex quo dicitur : *Per quem adorant Dominationes*; sed etiam alios ad eamdem adorationem specialiter excitant; atque dominantur super alios inferiores ordines, ordinationi totius universi præsidendo.

90. — *Principatuum* nomen a *principari* oritur. Scilicet, princeps viam prævidet, et illam aliis auctoritative seu per legem indicat, et sic prior existit seu principatur. Deus autem est supremus legislator et princeps omnis creaturæ, atque cujuslibet principatus principium, juxta illud : *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt;* Prov. 8, v. 15. Atqui Principatuum ordo est illius supremi principatus Dei peculiaris similitudo et participatio; et ideo illi Angeli legem et sapientiam divinam indesinenter et cum excessu quodam recogitant, illamque aliis inferioribus Angelis, vel regibus et gentibus terræ manifestant; sicque legislationi totius universi præponuntur.

91. — *Potestatum* nomen idem sonat ac potentia, seu vis pollens et efficax. Deus enim est omnis creaturæ rector seu motor supremus in finem ultimum, atque vis cujuslibet moventis et gubernantis principium, juxta illud : *Non est potestas nisi a Deo*, Rom. 13, v. 1 : atqui potestatum ordo est illius summæ vis motricis quædam specialis imago, cultus et participatio. Quare illi Angeli motionibus divinis singulariter obtemperant ; sed etiam alios movent in obsequium Dei, arcent rebelles Angelos, homines contumaces cohibent atque plectuntur, et ita gentium regnorumque gubernationi præsunt.

92. — Nunc vero creatio et supremum dominium tribuitur Patri, lex Verbo, motio autem seu gubernatio Spiritui Sancto ; ergo Dominationes repræsentant Patrem, Principatus Verbum, et Spiritum Sanctum Potestates.

Insuper Deus non est gubernator nisi quia legislator, nec legislator nisi quia dominus et creator ; ergo tres illi Angelorum ordines sunt subordinati, ita ut Dominationes sint secundæ hierarchiæ supremus ordo, medius autem Principatus, et Potestates infimus,

Et vero, ex dictis, n. 87, summus gradus inferioris ordinis semper affinitatem habet cum ultimo gradu ordinis superioris : porro Throni, qui repræsentant Patrem, sunt ultimus ordo primæ hierarchiæ, et cum illis affinitatem habent Dominationes, qui etiam assimilantur Patri ; ergo Dominationes sunt in summo gradu secundæ hierarchiæ, ac proinde Principatus in secundo, et in tertio Potestates.

TERTIA HIERARCHIA

93. — Hæc hierarchia per Virtutes, Archangelos et Angelos assimilatur Deo, quatenus per operationes particulares providet vel supernaturalium gratiarum collationi, vel communitatibus, vel singulis hominibus et rerum ratione carentium variis speciebus.

Scilicet, *Virtutum* nomen quamdam virilem et inconcussam operandi fortitudinem significat, ait S. Dionys. ; *de Cœlest. Hier.*, c. 8. Deus enim ex sua virili et inconcussa

virtute, operatur sive miracula ad fidem et charitatem disponentia, sive internas gratias, quæ mentes et corda renovant atque sanctificant. Porro Virtutes illam Dei virtutem et operationem exprimunt, et specialiter colunt, vel etiam participant, dum Deus per illum ordinem frequentius opera supernaturalia perficit. Insuper, juxta S. Th., *Cont. Gent.*, lib. 3, c. 80, ad Virtutes pertinet motus cœlestium corporum, ex quibus, sicut a quibusdam causis universalibus, consequuntur particulares effectus in natura; et ideo nominantur *Virtutes cœlorum*, Luc. 21, ✝ 26.

94. — *Archangelorum* nomen innuit ministerium quoddam excellens et principale; et ex particula, *arch.*, aliquem excessum perfectionis et dignitatis supra Angelos infimi ordinis præ se fert. Deus enim specialem providentiam exercet circa Ecclesias, regna et communitates, atque ideo circa pontifices, reges et prælatos : porro Archangelorum ordo imitator est illius specialis providentiæ, et hanc cum excessu quodam agnoscit, vel etiam participat, quatenus huic ordini præ cæteris cura Ecclesiarum, regnorum, communitatum, vel pontificum, regnorum et prælatorum, vel negotiorum majoris momenti committitur.

95. — *Angelorum* nomen ab officio *nuntiandi* sumptum est. Hoc autem officium, et ideo nomen illud commune est omnibus cœlestibus spiritibus, ut ex jam dictis patet. Attamen remanet quasi proprium infimo ordini, qui nullam specialem habet excellentiam in officio nuntiandi, ex qua denominetur.

Nam Deo, sicut bono patrifamilias, cura est de singulis hominibus privatis, et etiam de variis rebus ratione carentibus : porro infimus Angelorum ordo hanc privatam providentiam exprimit, specialiter colit, et participat. Huic enim ordini singulorum hominum custodia, et etiam cura de variis rerum inferiorum speciebus commissa est, n. 109; ergo Dei providentiam circa individua repræsentat et participat infimus ordo.

96. — Jam vero opera supernaturalia tribuuntur Spi-

ritui Sancto, qui dicitur *Virtus ex alto*, Luc. 24, v. 49 : ad Christum autem, quatenus est caput Ecclesiæ, supremus Pontifex, Rex regum, pertinet providentia circa communitates et Prælatos ; tandem Patrifamilias cura est de singulis ; **ergo Virtutes repræsentant Spiritum Sanctum, Verbum seu** Christum Archangeli, et Angeli Patrem.

Privati autem Prælatis, et isti divinæ virtuti subordinantur ; ergo Virtutes sunt tertiæ hierarchiæ supremus ordo, medius Archangeli, et Angeli infimus.

Et revera, ultimus ordo secundæ hierarchiæ sunt Potestates, quæ assimilantur Spiritui Sancto ! atqui, in tertia hierarchia, Virtutes Spiritum Sanctum repræsentant, et ideo sunt Potestatibus affiniores ; ergo supremum gradum tertiæ hierarchiæ tenent Virtutes, Archangeli medium, et infimum Angeli ; n. 87.

« Ainsi dans les Anges on voit expliqué tout l'être de Dieu, soit en lui-même, soit hors de lui, soit vivant dans l'éternité ou opérant dans le temps. Comparés aux autres créatures, ils représentent Dieu parfaitement ; et cependant ces esprits, pour purs et admirables qu'ils soient, n'expriment que grossièrement les perfections divines. Leur être n'est qu'un portrait de Dieu ; leur bouche une source de cantiques de louanges de sa grandeur et de sa magnificence : et tout cela n'est rien encore, un portrait mort et languissant auprès de la vivacité et de la vigueur de la vie qui est en son essence ; tout cela n'est que pauvreté et mendicité, et il faut qu'ils mendient en Jésus-Christ de quoi le glorifier et le louer : *Per quem laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates*[1] ; D. Olier. Vide SS. Dio-

1. « Christe Jesu, abs te habet quidquid habet omnis creatura decoris et pretii. Per te millia millium, ad complenda Patris mysteria, alacri discursu meant inter cœlum et terram, quasi apes negotiosæ inter alvearia et flores, disponentes omnia suaviter. Per te Seraphim ardet, per te Cherubim lucet, per te Throni judicant. Dominator Domine, te Dominationum sublimitas sanctâ adorat, singulari liberalitate inter prænobiles aulæ tuæ heroes, per te primum agens alti dominii, sine altitudine fastus. Nobile decus principum, per te celsus ordo Principatuum, sine invidiosa præcellentia, principatur super militiam cœli, cui ad explenda divina mysteria, juxta præceptam intrinsecus cordis tui dispositionem, dulcis magisterii præbet ducatum, etc. » S. Anselm., *Meditat.* 13.

nys., *de Cœlest. Hier.*, Gregor. Papa, *Moral.* 52, c. 18, *Homil.* 34 *in Evang.*; S. Th. 1 p., q. 108; *Cont. Gentes*, lib. 3, c. 80.

§ II

De relationibus bonorum Angelorum cum hoc mundo visibili.

In paragrapho præcedenti, jam innuimus plures saltem Angelorum ordines cum hoc mundo visibili relationem habere. Illud autem directe perpendere utile est. Porro, ex doctrina catholica, mundus visibilis est propter hominem; homo autem propter finem supernaturalem; et ideo totum Angelorum ministerium circa mundum visibilem, comprehenditur sub hominum custodia. Itaque dicemus de angelicæ custodiæ facto, actibus, et de illorum actuum distributione inter Angelos.

NUMERUS PRIMUS

De facto Angelicæ Custodiæ.

PROPOSITIO

97. — *Homines viatores sanctis Angelis in custodiam sunt traditi.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* Dicitur enim : « Angeli *eorum* (parvulorum) in cœlis semper vident faciem Patris; » Matth., 18, ℣ 10. — « Nonne omnes sunt *administratorii* spiritus, in *ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis?* » Hebr., 1, ℣ 14. Similiter multi de omnibus hominibus intelligunt hæc verba, de Christo per antonomasiam dicta : « Angelis suis mandavit de te, ut *custodiant te in omnibus viis tuis.* » Ps. 90, ℣ 11.

2° *Traditione.* Hoc communiter docent SS. Patres. « Divina virtus *præbet bona per Angelos,* sive videantur, sive non videantur; » Clem. Alex., *Stromat.*, lib. 6. — « Angeli tenent *curam animarum nostrarum*, et eis *ab infantia* tanquam *tutoribus* et *curatoribus* committimur. » Origen., *in Genes.*, Homil. 8. — « Angelus *in circuitu est hominis*, qui prætendit ne quis noceat ei; » S. Ambr., *in Ps. 38.* — « Putemus Angelos dici, qui *singulis* hominibus dati cre-

duntur; » S. Bernard., *de Consider.*, lib. 5, c. 4. Ecclesia illam traditionem in officio de Angelis custodibus consecravit. Ita etiam opinati sunt plures ex veteribus philosophis.

3° *Ratione*. 1. Juxta principium jam allatum, n. 80, Deus inferiora ad se per superiora reducit; ergo hominibus per Angelos, qui sunt natura superiores homine, providet. 2. Homo in statu vitæ præsentis constitutus est quasi in quadam via ad patriam tendente, in qua multa pericula tum ab exteriori, tum ab interiori natura ei imminent : atqui hominibus per viam non tutam ambulantibus dantur custodes; ergo homini, quandiu viator est, custos Angelus deputatur. 3. Homo in hoc statu viæ a dæmone impugnatur; ergo debuit ab Angelis bonis custodiri.

98. — Hinc 1° non solum justi, sed etiam peccatores et infideles habent Angelos custodes.

Ita communiter SS. Patres et Theologi. Scriptura enim simpliciter et sine restrictione loquitur. Aliunde peccatori illa custodia utilis est ad pœnitentiam concipiendam; infideli etiam, ut paulatim efficacius ad fidem reducatur; utrique tandem, ut a gravioribus malis et a dæmonum nocumentis defendatur, et ne, instigante dæmone, uterque noceat electis, quantum capit.

Unde, sicut Adam et Eva etiam ante lapsum habuerunt extrinsecum impugnatorem, ita debuerunt habere custodem. Eadem ratione B. V. Maria Angelum custodem habuit. Christus autem, propter ejus perfectam scientiam, summum suæ voluntatis imperium et impeccabilitatem, non habuit custodem Angelum. sed multos Angelos, quibus tanquam ministris uti poterat; Matth., 4, ℣ 11. Et revera hoc Angelorum ministerium circa personam Christi, in præcipuis ejus mysteriis ostenditur, in Nativitate, Passione, Resurrectione, Ascensione, etc.

99. — Hinc 2° *singuli homines* a *singulis Angelis* custodiuntur, non autem plures homines simul ab uno Angelo.

Ita communiter; colligitur ex supradictis. Et revera 1. Scriptura loquitur de Angelo Agar, Genes., 16, ℣ 7; de

Angelo Jacob, ibid., 31, 32, 33; de Angelo Danielis, Dan., 13, ℣ 59; de Angelo Petri, Act., 12, ℣ 7, etc. 2. Idem aperte affirmant SS. Chrysost., Anselm., S. Hieronym., qui sic habet: « Magna est dignitas animarum, ut *unaquæque* habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui *Angelum delegatum;* » *in Matth.*, 18. Insuper Conc. Florent., sess. 20, approbavit Epistolam S. Basilii, quæ eamdem sententiam proclamat. 3. In hoc major munificentia, liberalitas ac potentia Dei ostenditur, quod propria cura uniuscujusque hominis, quasi ex officio ac peculiariter certo Angelo tribuatur. Hoc autem non impedit, quin alii Angeli vel ex universaliori munere, et superiore administratione, vel ex charitate communi, ejusdem hominis salutem procurent, sive orationibus, sive etiam officiis, prout occasio tulerit aut postulaverit.

100. — Hinc 3° *a nativitate* homines habent Angelos custodes. Certum est.

Etenim SS. Patres sentiunt parvulum illum, quem in medio Christus posuit, cum dixit: *Ne contemnatis unum ex his pusillis, quia Angeli eorum*, etc., Matth., 18, ℣ 10, nondum rationis ætatem fuisse adeptum; ita Origen., SS. Chrysost., Ambr., Hieronym., ut supra. Et vero, custodia Angelorum homini datur, in quantum habet naturam rationalem; atqui nascendo talem naturam accipit, ergo, etc. S. Th., 1 p., q. 113, a. 5.

Unde plures sentiunt, contra S. Th., *ibid.*, ad 3, illam custodiam incipere a die conceptionis. « Unaquæque anima, *dum in corpus mittitur*, Angelo committitur, » ait S. Anselm., *in Elucidar.*; ita etiam Tertull., S. Bonavent., Suarez, etc. Homo enim incipit esse viator a die conceptionis, et tunc in ordine ad salutem animæ est persona a matre jam distincta. Aliunde credibile est statim illi adjungi dæmonem, qui specialiter nocere et damnum inferre procurat; n. 123.

101. — Hinc 4°, quandiu hæc vita durat, Angelus non dimittit alumnum suum, etiamsi peccet, et peccata multiplicet.

Nam, ex dictis, n. 98, Angeli custodiunt eos, qui gratiam et fidem nunquam habuerunt; ergo etiam et eos qui illa perdiderunt. Et revera, dæmon non desistit a tentando justum quemcunque; ergo nec sanctus Angelus deserit peccatorem.

Attamen Angelus custos dicitur hominem dimittere, prout, scilicet, remissius juvat, ut homo, diutius certando, gloriosius vincat; vel quatenus, propter hominis indispositionem et divinorum judiciorum ordinem, non impedit quin subdatur homo alicui tribulationi, et etiam in peccatum cadat. S. Th., 1 p., q. 113, a. 6.

102. — Hinc 5° munus proprie et in rigore custodiendi hominem, in morte finitur. Post mortem enim cessant pericula, et spes profectus; et ideo tunc homo jam non est simpliciter in via. Attamen, quoad animas justas, aliquod superest ministerium a sanctis Angelis exercendum; ut infra, n. 106.

103. — *Quæritur* autem 1° utrum Angeli custodes pro *regnis* et *Ecclesia* aliisque *communitatibus*, vel pro *regibus* et *pastoribus* destinentur?

Resp. Affirmative, ex communi Patrum doctrina. Etenim pro regnorum custodia peculiares Angelos destinari, satis aperte colligitur ex Daniel., 10, ℣ 20, 21, ubi fit mentio principis Persarum, et Græcorum, et Judæorum, qui sunt Angeli ad custodiam talium regnorum destinati, juxta SS. Dionys., Hieronym., August., Gregor., etc. « *Regna* et *gentes sub Angelis* posita sunt, » ait S. Epiph., *Hæres.*, 51. — « *Per gentes* et *civitates* divisæ sunt *Angelorum præfecturæ*, » inquit Clem. Alex., *Stromat.*, lib. 6.

Similiter S. Michael dicitur princeps Synagogæ, Daniel., 10, ℣ 21; et in officio S. Michaelis, hic dicitur custos et patronus Ecclesiæ, sicut olim fuit Synagogæ. Sed etiam, ad custodiendas singulas Ecclesias constitutos esse Angelos, sentiunt Origen., SS. Gregor. Naz., Hieronym., Isidor., Hilar., etc. Unde probabile est, ait Sylvius, singulis sacris sodalitatibus, singulis parochiis, singulis religiosorum or-

dinibus, singulis monasteriis, seminariis, etc., peculiares præesse Angelos.

Hinc probabile est, et communiter creditur Pontifices, reges et alios prælatos et principes duos habere Angelos, unum, scilicet, quatenus sunt privatæ personæ, et alterum ratione muneris. Duplici enim egent prudentia et rectitudine, et ideo duplici gubernatore et custode Angelo.

104. — *Quæritur* 2° an aliæ res orbis proprios habeant custodes Angelos?

Resp. affirmative, juxta valde probabilem sententiam. Namque, in Apocal. 14, ỳ 18, et 16, ỳ 5, dicitur : « Et alius Angelus exivit de altari, *qui habebat potestatem supra ignem*... Et audivi *Angelum aquarum* dicentem, etc.; » unde plures concludunt Angelos præpositos esse elementis, hunc quidem aquis, hunc autem igni, etc. « *Unaquæque res visibilis* in hoc mundo *habet potestatem Angelicam* sibi præpositam, sicut aliquot locis Scriptura divina testatur; » S. August., lib. *Quæst.* q. 79. — « In hoc mundo *visibili nihil* nisi per *creaturam invisibilem* disponi potest; » S. Gregor. *Dialog.* 4, c. 5. Et revera, ut ait S. Th., « tam in rebus humanis, quam in rebus naturalibus, hoc communiter invenitur, quod potestas particularis gubernatur et regitur a potestate universali; et ideo omnia corporalia reguntur per Angelos. Et hoc non solum a SS. Doctoribus ponitur, sed etiam ab omnibus Philosophis, qui incorporeas substantias posuerunt; » 1 p., q. 110, a. 1.

Attamen, juxta plures, Angeli deputantur singulis quidem *speciebus*, non autem singulis individuis rerum ratione carentium. Hoc enim neque a SS. Patribus dicitur, nec necessarium est. Namque providentia Dei principaliter est circa illa, quæ perpetuo manent; secundario autem circa ea quæ transeunt, in quantum ordinat illa ad res perpetuas : atqui homines sunt perpetui quoad animam, et etiam quoad corpus post resurrectionem, et ita singuli ordinantur per proprias actiones liberas et ad perpetuam beatitudinem; ergo pro singulis est necessarius vel conveniens peculiaris Angelus quasi pædagogus. Res autem inferiores

sunt corruptibiles quoad individua, et conservatio solius speciei per individuorum successionem per se intenditur; ergo sufficit unus Angelus custos pro tota specie. Ita S. Th. 1 p., q. 113, a. 2; Suarez, etc.

NUMERUS II

De actibus, quibus exercetur Angelica Custodia.

Ex supradictis, illi actus versantur vel circa personas et communitates, vel circa res ratione carentes, vel circa rerum universalitatem. Porro

105. — I. Actus Angelicæ custodiæ circa *personas* et *communitates,* sunt defendere a malo, et conservare atque promovere bonum tum animæ, tum corporis; dæmones coercere; orationes Deo offerre; deprecari pro alumnis; corrigere homines vel communitates sibi commissas.

1° *Defendere a malo,* et *conservare* atque *promovere bonum* tum animæ, tum corporis. Ad hunc enim duplicem finem omnes actiones angelicæ custodiæ proxime ordinantur, ut patet. Hoc autem faciunt Angeli vel objecta nociva removendo, et applicando utilia, nobis omnino ignorantibus nihilque cooperantibus; et tunc eorum actio extra nos versatur : vel immittendo cogitationem, per quam moveamur ad cavendum malum, et ad bonum operandum; et tunc nobiscum interius operantur.

2° *Arcere dæmones*, scilicet, ne tam graviter tentent, neve tot pravas cogitationes immittant, aut occasiones peccandi offerant. Tanta est enim, juxta plures, potestas cujusque Angeli custodis supra dæmones, ut in præsentia boni Angeli, si a dæmonibus videri permittat, non audeant isti tentare hominem. Hoc autem exequuntur Angeli custodes sub ordine Potestatum, n. 91.

3° *Offerre Deo orationes* eorum, quos custodiunt. Angelus enim dixit Tobiæ, 12, ℣ 12 : *Ego obtuli orationem tuam Domino.* Et Apocal. 8, ℣ 3, 4 : « Data sunt Angelo incensa multa; et ascendit fumus incensorum de *orationibus* Sanctorum, *de manu Angeli* coram Deo. » — « Angeli gemitus nostros atque suspiria referunt ad te (Domine), ut impe-

trent nobis facilem tuæ benignitatis propitiationem, et referant ad nos desideratam tuæ gratiæ benedictionem. » S. August., *Soliloq.* 27.

4° *Deprecari* pro alumnis suis, Licet enim omnes sancti Angeli pro nobis intercedant, tamen peculiari cura et quasi ex officio, Angelus custos hoc præstat, ut communiter docent Patres.

5° *Corrigere* et *punire* homines aut communitates sibi commissas. Scilicet, pœnæ hujus vitæ sunt vel simpliciter pœnales, ex justitia Dei vindicativa provenientes; vel sunt medicinales, ex Dei misericordia ordinatæ.

Atqui priores ordinarie per Angelos malos infliguntur, juxta S. August. *cont. Julian.*, lib. 5, c. 3; S. Hieronym, *in Isa.* 13. Hoc enim ministerium per vilissimas personas solet exsecutioni mandari; et ideo convenientius est a Deo per Angelos malos fieri. Nonnunquam tamen etiam per bonos Angelos Deus punit peccatores, ut idem docet S. August., *de Civit.*, lib. 9, c. 5.

Ordinarie autem per Angelum bonum infliguntur pœnæ medicinales, sive supponant culpam, sive sint tantum ad virtutis exercitium et profectum. Talis enim pœna est opus misericordiæ, et maxime ad pædagogi seu custodis officium pertinet. Nihilominus aliquando Deus malis etiam Angelis ad pœnas medicinales infligendas utitur, ut de Job legimus; et tunc verisimile est fieri sub proprii Angeli custodis directione et imperio.

106. — Præterea, post mortem, animæ justæ, quibus nihil purgandum superest, a suis Angelis custodibus, et interdum simul ab aliis, usque ad cœlum deducuntur; illas vero, quæ aliqua purgatione indigent, sancti Angeli usque ad purgatorium deducunt, ibique eas visitant et consolantur.

Nam de mendico dicit Christus : « Factum est autem ut moreretur mendicus, et *portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ;* » Luc. 16, ℣ 22. Circa hæc verba idem docent S. Chrysost., S. Ambros., qui sic concludit : « *Vehicula Sanctorum spiritus sunt*, id est, Angeli Dei; » *de Symb.*,

Apost. Hoc etiam Ecclesia in officio Defunctorum profitetur; et in officio S. Michaelis specialiter ei tribuit, quod *perducat sanctas animas in paradisum exultationis,* utique, per se aut per ministros suos; et ideo talis est communis sensus Ecclesiæ.

Tandem in die judicii, unusquisque Angelus aderit ad testificandum vel de justorum obedientia, vel de ignavia reproborum, quibus præfuerit; Orig., *in Num.* Homil. 11; S. Th., 1 p., q. 113, a. 7, ad 4.

107. — *Quæritur* 1° quænam sint *officia hominis* ergą custodem Angelum?

Resp. Tria sunt, juxta S. Bernard. *in Ps.* 90, nimirum, *reverentia* pro præsentia, *devotio* pro benevolentia, *fiducia* pro custodia. Itaque 1. in quovis diversorio, in quovis angulo, Angelo reverentiam habere debemus, nec illo præsente audere, quod vidente nos non auderemus. 2. Idem quoque affectuose diligendus est, tanquam futurus aliquando cohæres noster, interim vero actor et tutor a Patre positus et præpositus nobis. 3. Nec aliquid timendum est sub tanto custode; non enim superari, nec seduci, minus autem seducere possunt, qui custodiunt nos in omnibus viis nostris. « Fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt: quid trepidamus? tantum sequamur eos, adhæreamus eis, et in protectione Dei commoremur. Quoties ergo gravissima cernitur urgere tentatio, et tribulatio vehemens imminere, invoca custodem tuum, ductorem tuum, in opportunitatibus, in tribulatione, inclama eum, et dic : *Domine, salva nos, perimus!* » S. Bernard. *ibid.*

108. — *Quæritur* 2° an Angeli doleant de malis eorum, quos custodiunt?

Resp. Negative. Sancti enim Angeli non sunt tristitiæ aut doloris capaces, ratione status perfectæ beatitudinis. Aliunde tristitia et dolor non est, nisi de his quæ contrariantur voluntati : porro nihil fit in mundo, nisi permittatur per justitiam divinam, atque finaliter omnia in gloriam Dei redundant; ergo Angeli, qui divinæ justitiæ totaliter

inhærent, nulla ex illis malis tristitia afficiuntur, sed potius summo gaudio et admiratione Deum in omnibus suis consiliis laudant.

109. — II. Circa res ratione carentes operationes angelicæ custodiæ sunt, vel movere corpora cœlestia, sicque totius orbis ordinem custodire; vel removere causas aut occasiones, quæ nocere possunt conservationi specierum saltem perfectarum et per se ad bonum universi necessariarum; vel directe earum conservationem et multiplicationem promovere.

110. — III. Tandem, circa rerum universalitatem, actus angelicæ custodiæ sunt præesse toti ministerio Angelorum circa totum orbem; legislationi totius orbis et præsertim regnorum; exsecutioni illius legislationis, in regnis præsertim, et ideo arcere dæmones, qui possunt hanc exsecutionem perturbare; opera miraculosa gratiæ gratis datæ et gratum facientis patrare, n. 89, 90, 91, 94.

NUMERUS III

De modo, quo inter Angelos distributæ sunt operationes Angelicæ Custodiæ.

111. — Jam diximus, n. 89 et seq., Dominationes præesse toti ministerio seu custodiæ, Principatus legislationi universali, Potestates exsecutioni illius legislationis, virtutes motibus totius universi physici et operibus supernaturalibus gratiæ gratis datæ et gratum facientis; Archangelos custodiæ sive communitatum et regnorum, sive pontificum, regum et prælatorum; tandem Angelos privatis personis custodes præponi.

Hic notare sufficicat, ex S. Dionys., dari in infimo Angelorum ordine infimos, medios et supremos. Unde, juxta plures, infimus gradus illius ordinis occupatur circa res insensibiles, circa autem animalia medius, et supremus circa homines. Quidquid sit, probabile est, ait S. Th., majores Angelos deputari ad custodiam eorum, qui sunt ad majorem gradum gloriæ a Deo electi; 1 p. q. 113, a, 3, ad 1.

112. — *Quæritur* autem an, ex diversis Angelorum ordinibus, alii *assistant*, alii vero *ministrent*, alii *mittantur?*

Nota. Assistere, in Angelis, significat vel in præsentia Dei esse, faciem ejus videre; et hoc commune est omnibus Angelis, qui omnes immediate Deum vident per lumen gloriæ, absque causarum secundarum concursu : vel immediate a Deo illuminari de rebus contingentibus, quas de novo eas cognoscere oportet, illasque illuminationes in alios inferiores Angelos transfundere.

Ministrare autem significat vel ministerium internum, per illuminationis a Deo immediate acceptæ transfusionem in inferiores Angelos, in ordine ad hominis salutem; vel externum ministerium, mediante aliqua actione circa corpus ; et hoc fit vel ordinando tantum illam actionem, vel hanc etiam exsequendo.

Mitti tandem idem est ac deputari vel ad ordinationem externæ cujusdam actionis, vel proprie ad ejusdem actionis exsecutionem. His intellectis.

Resp. Juxta fere omnes, 1, Angeli supremæ hierarchiæ, ex vi sui muneris, non ordinant nec exsequuntur aliquod externum ministerium, sed solum de hujusmodi ministerio inferiores Angelos illuminant; et ideo dicuntur *assistentes*. 2. Dominationes autem, ex officio, omne externum Angelorum ministerium ordinant, sed non exsequuntur, et ideo sunt *ministrantes*, sed non proprie missi. 3. Cæteri quinque inferiores ordines, ex vi sui muneris, ad exsecutionem alicujus externi operis deputantur, et ideo sunt proprie *missi*.

Controvertitur autem an aliquando, in particularibus accasionibus vel effectibus, Angeli supremæ hierarchiæ ex vi sui muneris, aliquod ministerium externum immediate per se ordinent, vel etiam exsequantur ; et an Dominationes hujusmodi ministerii etiam exsecutioni ex vi muneris aliquando præponantur.

Affirmant S. Athan., *Serm. 2 contra Arian.*, Scotus, Molina, etc. Negant autem SS. Dionys., Bonavent., Th, 1 p., q. 113, a, 2, 3, Suarez, etc., eo quod, ut aiunt, tunc totus

ordo hierarchicus inter Angelos inverteretur, nec ulla ratio distinctionis et ordinis inter eos reddi posset.

Attamen, juxta Suarez, Deus in hac lege dispensare potest, et probabilius est id interdum fecisse, vel ad ostensionem gratiæ suæ, vel ut peculiarem honorem aut favorem alicui conferat. Namque credi potest Gabrielem missum ad B. V. Mariam, fuisse vel summum, vel ex supremis Seraphinis, propter excellentiam mysterii et B. Virginis: Angelos etiam supremos ad terras descendisse in die Nativitatis Domini, ut ait S. Chrysost. *in Ps.* 8. Insuper ipse dixit quod in die judicii « veniet... et *omnes* Angeli ejus cum eo, » Matth. 25, ỳ 31. Unde verisimile et omnes supremos Angelos in die Ascensionis Christo ascendenti in honorem et recognitionem dignitatis occurrisse. Idem credi potest in die Assumptionis B. V. Mariæ factum esse, ad honorem et recognitionem Reginæ cœlorum. Unde omnes Angeli vere dici possunt *administratorii,* Hebr. 1, ỳ 14, vel quia alios inferiores de ministerio externo illuminant, vel quia ordines etiam assistentes interdum mittuntur.

§ III

De relationibus Dæmonum inter se.

113. — Jam diximus, n. 78, hierarchiam, quatenus principatum sacrum significat, esse non posse in dæmonibus. Inter eos tamen remanet aliqua ordinum distinctio, et vera prælatio, ad majorem eorum miseriam, et ad hominum impugnationem.

114. — Et quidem 1° *distinctio Ordinum.* Nam, ex dictis n. 51, probabilius est malos Angelos ex omnibus hierarchiis et ordinibus cecidisse : atqui per peccatum eorum species non sunt mutatæ; ergo ordinum distinctio in malis Angelis invenitur, atque in speciebus magis vel minus naturaliter perfectis constituuntur.

115. — Sed etiam 2° *prælatio.* Dicitur enim ; « Si Satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit *regnum ejus?* » Luc. 11, ỳ 18; ergo dæmones inter se quasi unam rempu-

blicam et unum regnum componunt, cui præest aliquis ut rex, qui suum regnum conservare studet. Idem significavit Christus, dicens ignem esse paratum *diabolo* et *angelis ejus*, Matth. 25, ℣ 41. Non enim dici possunt cæteri Angeli mali esse alicujus, nisi quia sunt ei subditi, tanquam milites duci, ut describitur, Apoc. 12, ℣ 7, vel tanquam ministri ejus. Unde Christus dicit : « Nunc *princeps* hujus mundi ejicietur foras, » Joan. 12, ℣ 31 : et eumdem S. Paulus vocat *principem potestatis aeris*, Eph. 2, ℣ 2. Similiter Judæi dicebant : « In *principe dæmoniorum* ejicit dæmonia. » Marc. 3, ℣ 22.

Idem docent SS. Patres. « Sicut Ecclesiæ et omnis viri Christus est caput, ita *cunctorum dæmonum*, qui in hoc seculo debacchantur, *caput* est Beelzebub, *princeps* dæmoniorum; » S. Hieronym., *in Habac.* 3. — « Si diabolus *princeps* est, cæteri dæmones illi *subjiciuntur*; » S. Chrysost. *in Matth.* Homil. 42.

116. — Hinc conjicitur inter angelos Satanæ, esse aliquos intermedios principes et quasi duces habentes sub se milites; et in eis etiam esse posse gradus amplioris vel minoris potestatis; item esse quosdam ad privatum ministerium malum, alios autem ad ministeria universaliora vel graviora destinatos. Hoc innuere videtur S. Paulus, cum distinguit dæmones in Angelos, Principatus, Potestates, Virtutes, Rectores tenebrarum, Rom. 8, ℣ 38; Eph. 6 ℣ 12. Idem significat S. Th., dum, in plurali loquens, dicit actiones dæmonum esse sub actionibus *superiorum*, atque alios aliis *obedire*, *inferiores superioribus subdi*; 1 p., q 109, a, 3,

Et vero 1. consentaneum est naturis rerum, ut in rebus ejusdem ordinis, inferiores superioribus subdantur, et ut, qui naturaliter cæteris sunt excellentiores, principatum proportionatum obtineant.

2. Deus prælationem et subordinationem inter malos Angelos esse permisit, ad majus malum inferiorum et superiorum. Inferiorum quidem, qui sic sævissimis et nequissimis principibus subsunt, et ita eorum superbia confun-

ditur, qua Deo et Christo subjici noluerunt. Superiorum etiam, qui sic non præsunt nisi in malis : porro, si mala facere maxime ad miseriam pertinet, a fortiori in malis præesse; tunc enim major est aversio a bono, et intensior ad malum conversio. S. Th. 1 p., q. 109. a. 2 ad 3; n. 68.

3. Angeli inferiores peccaverunt in odium Dei et Christi et ex invidia hominum, consentiendo superioribus, et in primis Lucifero, n. 52; ergo, per illum consensum, in quo obstinati permanserunt, in principem elegerunt Luciferum, et sese constituerunt in aliqua subordinatione, ad efficacius bellum agendum contra Deum et Christum, et genus humanum impugnandum. Et revera, proprium est hominum impiorum ut, ad propriam nequitiam exsequendam, eis se adjungant et subjiciant, quos viribus potentiores vident.

117.— Hinc patet illam dæmonum prælationem totam esse ad malum ordinatam. Dæmones enim omnes superbi sunt et invidi, et ab omni bono voluntatis ineluctabiliter alieni, nullaque pax et vera concordia inter eos, sed sempiternus horror inhabitat; ergo illa concordia qua alii aliis obediunt, non est ex amicitia, quam inter se habeant, sed ex justitia Dei ad majus malum inferiorum et superiorum; vel ex communi nequitia, qua Dei justitiæ repugnant, et homines odio prosequuntur, ut eos magis ab ordine divino abducant.

§ IV

De relationibus Dæmonum cum hoc mundo visibili.

Dicemus de hominum impugnatione ex parte dæmonum, et de quibusdam specialibus effectibus soli dæmoni tribuendis.

NUMERUS PRIMUS.

De hominum impugnatione a Dæmonibus.

118.—Illa impugnatio ordinari potest ad malum culpæ, vel pœnæ. Jam autem diximus Deum hominibus pœnas vindicativas ordinarie infligere per dæmonum ministerium,

n. 105. Superest igitur quod tractemus de impugatione ad malum culpæ. Itaque

PROPOSITIO

119.— *Proprium malorum Angelorum ministerium est hominem ad peccatum adducere, seu tentare*. Certum est.

Prob. 1° *Script*. Nam statim in principio generis humani, diabolus sub figura serpentis primos homines tentavit, et ad peccatum induxit, Gen. 3; propterea de diabolo dixit, Christus : *Ille homicida erat ab initio;* Joan. 8, ℣ 44. Insignis est tentatio Job, multo vero insignior tentatio Christi. Frequenter etiam in Scriptura hominum tentationes dicuntur esse a dæmone; et idcirco dæmon per antonamasiam appellatur *tentator*, Matth. 4. ℣ 3. Denique generaliter dicitur : *Adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit, quærens quem devoret;* I. Petr. 5, ℣ 8, 9. — « Est nobis colluctatio adversus *Principes et Potestates*, adversus *mundi rectores tenebrarum harum*, contra *spiritualia nequitiæ, in cœlestibus;* » Eph. 6, ℣ 12. Ergo propria malorum Angelorum occupatio est hominem tentare.

2. *Ex SS. Patribus*. « Vere hostes hominum sunt dæmones; turpiter illis abutuntur, et absque misericordia. » S. Cyrill. Hieros. *Catech*. 6. — « Diabolus innumeris nocendi artibus humanum genus nititur evertere, et plus uritur virtute stantium, quam lætatur de fragilitate cadentium, » S. Ambros. *Epist*. 84.— « Diabolus nunquam quietus est, nec gentes vult in tranquillo agere; *tantum potest seducere* et *traducere* mentes *hominum* ad *transgressionem* mandatorum Dei. » S. Iren. lib. 5, c. 23.

Diabolus autem sic homines impugnat, tum ex perversitate suæ naturæ, quæ tota ad malum inclinatur, tum quia homini semper invidet, et in homine Dei imaginem insectatur, tum denique ut apud ignorantes gloriam regis sibi vindicet, n. 70, 71.

Et tamen « nihil lucri hinc reportat, verum etiam suo studio gravissima detrimenta sibi conciliat; » S. Chrysost.; *de Lazaro*, Homil. 1. « Vous (les démons) vous êtes réduits à la basse et malicieuse occupation d'être premièrement

nos séducteurs, et ensuite les bourreaux de ceux que vous avez séduits. Ministres injustes de la justice de Dieu, vous l'éprouvez les premiers : *vous augmentez vos tourments,* en leur faisant éprouver vos rigueurs jalouses. » Bossuet, 2e *Elevat.*, 4e *sem.*

120. — *Quæritur* autem 1° *cur* Deus permittat hominem a dæmone tentari?

Resp. Plures reddi possunt rationes ex parte Dei, hominis et dæmonis. 1. *Ex parte Dei.* Etenim Deus permittit hominem tentari, et etiam in peccatum a dæmone induci, tum ut excellentia divinæ gratiæ illustrior evadat, dum homines ex se debiles, magna fortitudine arrogantem hostem superant, juxta illud : *Sufficit tibi gratia mea; virtus in infirmitate perficitur*, II Cor. 12, ℣ 9; tum ut sapientiam suam ostendat, et gloriam amplificet, maxima bona ex majoribus malis eliciendo. « Magis enim ad potentissimam bonitam suam pertinere judicavit Deus, ex malis majora bona facere, quam nulla mala esse permittere. » S. August., *in Enchir.*, c. 100.

2. *Ex parte hominis.* In statu innocentiæ homo tentari permissus est, ut virtus ejus exerceretur, constantia et obedientia probaretur, et ut, intercedente pugna, gloriosior esset corona, juxta illud : « Non coronatur, nisi qui *legitime certaverit;* II Tim. 2, ℣ 5 : atqui « quomodo certabimus, si desit qui impugnet? » S. Bernard., *Serm.* 64.

In statu autem naturæ lapsæ, a dæmone tentatur homo, ut, præter rationes jam allatas, insuper in humilitate, timore, suæque infirmitatis cognitione contineatur; ut melius agnoscat divinæ gratiæ necessitatem, atque ad orandum cum humilitate excitetur, et tandem ut sic pœnam adhæsionis primordiali tentationi experiatur.

3. *Ex parte dæmonis*, permititur homo tentari ad majorem dæmonis confusionem et dejectionem. Siquidem, si ab homine fuisset in prima tentatione victus, statim ejus imbecillitas fuisset manifesta; cum autem de facto vicerit, exinde Deus altiori et potentiori modo triumphavit de diabolo, per eamdem naturam humanam in Christo deificatam.

Et revera, licet diabolus plures homines dejiciat, nihilominus ab omnibus vincitur, quos Deus ad lapsorum Angelorum sedes prædestinavit; ita ut, non obstante quacunque tentatione et peccato, finem creationis et redemptionis perfecte obtinebit omnipotens et misericors Dominus, n. 50. Quare Angeli victoriam hominum contra dæmones absolute proclamarunt, dicentes: « Nunc facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus, quia projectus est accusator fratrum nostrorum..... et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni. » Apocal., 12, ℣ 10, 11. Vide Tract. *de Incarn.* n. 208.

121.— *Quæritur* 2° an *omnes tentationes*, ac subinde *omnia peccata* hominum ex dæmonum actione proveniant?

Resp, 1. Certum est dæmonem esse causam remotissimam et indirectam omnium tentationum et ideo peccatorum generis humani, quatenus fuit prima causa lapsus Adami. Ex illo enim peccato orta est concupiscentia, et consequenter omnis tentatio et peccatum, quæ in genere humano deinceps fuere.

2. Non consentiunt autem Patres et Theologi, utrum diabolus sit etiam proxima causa cujuslibet tentationis, nimirum, sive pravam cogitationem in homine excitando per se, aut per aliquod objectum externum, sive sicuti Angelus lucis, id est, sub specie boni hominem primum aggrediendo; sive hominem nimis affligendo, ut illum in desperationem et blasphemiam inducat; sive inducendo homines ut et alios tentent, aut nimis affligant.

Alii negant omnes tentationes et ideo omne peccatum esse de facto ex dæmonum suggestione; ita S. Chrysost., Gregor. Naz., Gregor. Papa, S. Th., 1 p., q. 114, a. 3. Nam homo per se potest libere eligere; ergo ex se potest male eligere, si velit, etsi ab alio non tentetur. Insuper « *unusquisque tentatur a concupiscentia sua*, abstractus et illectus; concupiscentia autem, cum conceperit, parit peccatum; » Jacob. 1, ℣ 14, 15: atqui, ut concupiscentia exurgat, sufficit excitatio objectorum sensibilium, juxta illud: « *Omne* quod in *mundo* est, *concupiscentia* carnis

est, etc.; » I Joan. 2, ℣ 16 ; ergo, etc. Idem confirmatur ex lapsu primi Angeli, qui sine extrinseca suggestione peccavit.

Alii vero affirmant omnes tentationes hominum esse directe ex dæmonum suggestione : ita SS. Damasc., Leo Papa, Dionys., Hieronym., etc. Verisimile est enim dæmones, ob suam malitiam, et ob magnum odium Dei et hominum, nullam prætermittere occasionem tentandi homines.

Utraque sententia probabilis videtur. Unde colligi potest gravem et diuturnam tentationem ordinarie et regulariter non esse sine dæmonis simul et concupiscentiæ interventu. Similiter, dæmon potest ipse prius incitare concupiscentiam, ut per illam tentet ; vel, ex jam inchoata concupiscentiæ tentatione, occasionem sumere suam instigationem adjungendi. Credibilius est autem illa duo sic magis fieri in peccatis mortalibus, quam in venialibus, in peccatis operis, quam cogitationis, in gravibus et præmeditatis, quam in ordinariis et repentinis, quæ cito transeunt.

122. — *Quæritur* 3° an, post redemptionem a Christo peractam, magis ligata sit dæmonis potentia, quam ante et præsertim respectu membrorum Ecclesiæ Christi ?

Resp. affirmative. Etenim 1. in hoc sensu plures Patres intelligunt hæc verba : « Angelus de cœlo missus apprehendit satanam..., et ligavit illum per mille annos, et misit eum in abyssum, ut *non seducat amplius gentes*, donec consummentur mille anni ; et post hoc oportet illum solvi modico tempore ; » Apocal. 20, ℣ 1, 3. Alii sentiunt ibi sermonem esse de solo Lucifero, qui per Christi imperium ligatus fuisset in inferno, nec ei exinde exire ad per se impugnandum homines permitteretur usque ad ultima tempora tribulationis Antichristi.

2. Omnibus notum est a tempore Christi, et specialiter in Ecclesia catholica, effectus diabolicæ potestatis multo rariores esse et debiliores, quam ante Christi adventum, vel quam nunc etiam apud hæreticos et infideles. Unde dici potest, generatim loquendo, eo magis vel minus ligari dæmones, quo firmior vel debilior est fides, et quo uberior vel rarior sanctitas.

3. Revera Deus suos amicos protegit ac defendit, et ideo ordinarie non permittit dæmoni tam acriter tamque instanter illos prosequi ; vel, quando id permittit, majoribus auxiliis eos prævenit. Attamen sæpe Deus, pro solo suæ voluntatis consilio, hunc gravius, illum levius, hunc frequentius, illum rarius, in hac materia vel in illa tentari permittit. Cæterum ita alligata est dæmonum vis, ut ne porcos quidem, non permittente Deo, invadere possint. Matth. 8, ℣ 31. 32. S. Th. 3 p. q. 44, a. 1, ad 4.

123. — *Quæritur* 4° an unusquique hominum peculiarem habeat dæmonem impugnatorem ?

Resp. Affirmative, juxta sententiam fere communiter receptam, ait Suarez. Hoc tradunt Origenes, Tertull., Gregor., Nyssen., etc. Multa etiam proferuntur, ex quibus colligitur hanc famam apud antiquos philosophos viguisse. Et vero, Lucifer in omni re æmulatur divinitatem, summoque odio prosequitur homines ; ergo, sicut Deus singulis hominibus singulos custodes Angelos deputavit, ita etiam diabolum singulis deputasse singulos impugnatores verisimile est.

Hinc credi potest illam deputationem fieri a principio conceptionis cujusque hominis, sicut de custodibus Angelis diximus, n. 100. Attamen probabile est dæmonem aliquando ad tempus recedere, vel quia timet ne homo impugnatus inde magis proficiat, et de ipso triumphet ; vel ut hominem segniorem reddat, et sic postea facilius eum expugnet ; vel quia videt hominem, vincendo, factum esse fortiorem ; vel eo quod Deus, in præmium prioris constantiæ et diligentiæ, aut ne infirmitas hominis supramodum gravetur, non permittit dæmonem semper instare, sed ad tempus recedere cogit.

124. — Mali autem Angeli superiores et principes, qui non habent designatos certos homines, quos impugnent, ad hanc tentationem concurrunt, vel aliquam communitatem, civitatem, provinciam, aut regnum aliquod impugnando ; vel tentando particulariter de certis quibusdam vitiis ; vel inferiores instruendo et excitando dæmones.

125. — *Quæritur* 5° quomodo dæmoniorum impugnationi resistatur?

Resp. S. Antonius Anachoreta, adeo a dæmoniis tentatus, sic fratres docebat, quibus armis vinceretur diabolus : « Mihi credite, pertimescit Satanas piorum vigilias, orationes, jejunia, voluntariam paupertatem, misericordiam, humilitatem, maxime vero ardentem amorem in Christum Dominum, cujus unico sanctissimæ crucis signo debilitatus aufugit. » Dicitur enim : « *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem; spiritus* quidem *promptus est, caro* autem *infirma;* Matth., 26, ℣ 41. — « *Sobrii* estote et *vigilate,* quia adversarius vester *diabolus*... cui resistite *fortes in fide.* » I Petr., 5, ℣ 8, 9. Vide Catech. Rom., 4 p., petitio 6, 7.

NUMERUS II

De possessionibus, magia, tabulis rotantibus et loquentibus, de spiritismo, de magnetismo animali.

126. — Præter invisibilem et ordinariam hominis a dæmone impugnationem, de qua jam dictum est, alia quasi extraordinaria et sensibilis esse potest tentatio, per quosdam, scilicet, effectus plus minusve mirabiles atque sensibus obvios, de quorum præcipuis aliquid dicere opportunum est.

PUNCTUM PRIMUM

De Possessionibus dæmoniacis.

127. — *Possessio* dæmoniaca est dominatus dæmonis in alicujus hominis corpus, quod vel continuo, vel interdum movet, variisque modis, pro concessa sibi a Deo facultate, vexat. Distinguitur autem *obsessio* a *possessione* proprie dicta : in priori, dæmon ab *extra* tantum movet et molestiis afficit corpus, in quod aliquem dominatum obtinet; in posteriori vero, dæmon *in* ipso corpore *insidet,* et illud *ab intra* exagitat. Unde possessi dicuntur *energumeni,* id est, interius aut ab intra vexati.

Negarunt sive obsessionis, sive possessionis factum, hi omnes qui ipsius dæmonis existentiam rejiciunt, inter quos

hodierni Rationalistæ, et plurimi inter recentiores Protestantes. Itaque

PROPOSITIO

128. — *Plures exstiterunt vere a dæmone obsessi et possessi.* Certum est.

Constat 1. *Script.* Narratur enim obsessio Saul et Sara, filiæ Raguelis, I Reg., 16, ♰ 23; Tob., 3, ♰ 8; 6, ♰ 8. Insuper historia Evangelica passim Christum exhibet e corporibus possessis dæmones expellentem atque tradentem Apostolis potestatem dæmones similiter ejiciendi. 2. Ex unanimi consensu Patrum, qui, non solum multa hujusmodi facta referunt, sed etiam tanquam ineluctabile divinitatis Christi Jesu et veritatis Religionis Christianæ argumentum, perhibent illam potestatem solis Christianis tributam, possessos liberandi ad Jesu nominis invocationem. 3. Ex confessione ipsorum Paganorum, qui nec realitatem possessionum, nec potestatem ejiciendi dæmones Christianis concessam, denegare unquam ausi sunt. 4. Ex praxi Ecclesiæ, quæ ab ipsa ætate apostolica exorcistarum ordinem instituit, etsi commune foret hoc donum primis Ecclesiæ temporibus. Aliunde talis dæmonum influxus nullo modo repugnat, ut satis colligitur ex dictis circa virtutem movendi corpora in dæmone naturaliter vigentem, n. 32; sed etiam Deus hujusmodi impugnationem permittere potest, vel in pœnam alicujus peccati, vel ad bonorum probationem.

Signa autem possessionis dæmoniacæ sunt ignotam linguam loqui pluribus verbis, vel loquentem intelligere; distantia, et occulta patefacere; vires supra ætatis vel conditionis naturam ostendere; et id genus alia, quæ cum plurima concurrunt, majora sunt indicia. Ita Rituale Rom. Vide Tract. *de Revel.*, n. 102, 103.

PUNCTUM II

De Magia.

129. — *Notio magiæ.* Apud Græcos, *magi* dicebantur, qui scientia rerum præsertim insolitarum et admirationem commoventium, et ideo in primis spectandorum siderum

arte pollebant. Postea vero magi dicti sunt, qui aliquid mirum dæmonis ope intentarunt. Unde *magia* definitur : *ratio mira operandi, dæmonis industria*.

Sic generatim sumpta, operatio magica comprehendit vel rerum occultarum cognitionem, dæmonis ope, et proprie dicitur *divinatio;* vel artem aliis nocendi, auxilio dæmonis, et *maleficium* proprie nuncupatur ; vel rationem mira faciendi ope dæmonis, ad ostentationem, aut ad commodum proprium vel alienum, et est *magia* simpliciter dicta. Magia sub hoc triplici respectu sumpta, commercium aliquod seu pactum, sive expressum, sive tacitum, cum dæmone supponit.

130. — *Existentia magiæ*. Rationalistæ et nonnulli etiam inter Catholicos, prorsus negant magiæ seu cujuslibet pacti cum dæmone existentiam ; atque ideo contendunt omnia, quæ de illis commerciis dicuntur, provenire vel ex ignorantia rerum physicarum, vel ex vafritie quorumdam facinorosorum hominum, vel ex phantasiæ ludibrio, vel demum a scelestis quorumdam conatibus.

Equidem fatendum est plurimas in hac re illusiones fuisse, nec ideo facilis fides adhibenda est omnibus quæ narrantur. In multis enim intervenit fraus ; multa etiam ignorantiæ vel præjudiciis adscribenda sunt. Attamen

PROPOSITIO

131. — *Existit magia, seu commercium cum dæmone, ex pacto sive expresso, sive tacito.*

Hoc negari nequit citra temeritatis notam, juxta Suarez, Perrone et alios communiter. Constat 1° *Script.* Narrantur enim incantationes magorum ægyptiacorum, evocatio Samuelis a Pythonissa ; Exod. 7, 8 ; I Reg. 28, ℣ 7. Mentio fit etiam de Simone Mago, qui *multo tempore magiis suis* urbes integras ludificaverat ; de Elyma Mago, de puella habente *spiritum pythonem;* Act, 8, ℣, 9 ; 13, ℣ 8 ; 16, ℣ 16: Ipse Christus dicit : « Surgent pseudo-christi et pseudo-prophetæ, et facient *signa* et *prodigia*, etc. » Matth. 24, ℣ 24. Porro illa facta humanam industriam superant,

atque diabolo tribuenda sunt, ut ipsa Scriptura sæpe innuit, aut clare supponit.

Et revera, Deus in Scriptura sæpe mandatis, hortationibus et minis homines avertit a commercio cum pythonibus, magis et maleficis; Exod. 22, v. 18; Levit. 19 v. 31; 20, v. 37: porro cur tot tantisque olim indiguissent homines, ut a magia avocarentur, si dæmones nunquam operati essent præstigia vi seu occasione illarum invocationum?

2. *Traditione*. Innumera Patrum testimonia in hac re proferre possemus. Sed unum sufficiat. « Addimus et humanarum et *magicarum*, id est, *per homines dæmoniacarum artium*, et ipsorum *per se dæmonum multa miracula*: quæ si negare voluerimus, eidem ipsi, cui credimus, *sacrarum litterarum adversabitur veritati*... Dæmones autem, ut alliciantur ab hominibus, prius eos ipsi astutissima calliditate seducunt, vel inspirando eorum cordibus virus occultum, vel etiam *fallacibus amicitiis* apparendo, eorumque paucos discipulos faciunt, plurimorumque *doctores*; unde *magicæ artes*, earumque *artifices* existerunt. » S. August. *de Civit.* lib. 21, c. 8, 24.

Idem constat ex Sixti V. Constitut., *Cæli et terræ*, 1586, in qua damnantur illi « qui cum morte fœdus ineunt, et *pactum* faciunt *cum inferno*; qui similiter ad occultorum divinationem, et inveniendos thesauros, vel ad alia facinora perpetranda, etiam *expressa cum diabolo facta pactione*, in manifestam suarum perniciem animarum, *nefarias magicæ artis incantationes*, *instrumenta*, *et maleficia adhibent*. » Hanc artem etiam damnavit Gregorius XV, in Constitut. *Omnipotentis Dei*. Demum Rituale Romanum monet exorcistam, « ut jubeat *dæmonem dicere* an detineatur in corpore ob aliquam *operationem magicam*, aut *malefica signa vel instrumenta*. » In hoc similiter consentiunt Theologi, et etiam omnes populi et antiqui Philosophi.

3° *Ration. theol.* Tale commercium non repugnat *ex parte Dei*, qui illud permittere potest iisdem rationibus, quibus invisibilem tentationem permittit. Nec *ex parte hominis*, qui cum malis Angelis communicare potest, sicut,

juxta Scripturam, cum Angelis bonis sæpe communicavit. Nec *ex parte dæmonis*, qui ex dictis, n. 22, 32, 33, vi cognoscendi et circa corpora operandi est homine præstantior; et ideo multa revelare et operari potest, quæ superent vires naturæ, sive corporeæ, sive humanæ, S. Th. 1 p., q. 110, a. 4, ad 4; Suarez, *de Angelis*, lib. 4, c. 27, 39.

Et vero, diabolus Deum in omnibus æmulatur. Sicut ergo Deus per signa quædam sensibilia gratiam confert atque fovet divinum cultum; ita et dæmon signis utitur, ut cum ipso societas contrahatur, sicque ad aliquem cultum et venerationem erga se ipsum inducat. Ex illis enim responsis, quibus aliquando vera dicit, vel prodigiis quibus admirationem provocat, diabolus intendit homines assuefacere ad ipsi credendum, et ad quamdam cum ipso familiaritatem contrahendam, ut eos paulatim in aliquod humanæ saluti nocivum deducat, sicut comprobatur experientia, et etiam ex statim dicendis. S. Th. 2. 2, q. 95, a. 4. Cæterum, ex thesi patet magiam seu quodlibet cum dæmone commercium esse a Deo, ab Ecclesia et ipso jure naturali prohibitum; n. 142.

PUNCTUM III

De Tabulis rotantibus et loquentibus.

132. — Non deest diebus nostris ars magica. Nam paucis abhinc annis, præsertim 1852-54, in America primum, subinde in Europa tota, necnon in orbe terrarum universo, percrebuere *tabularum rotantium* stupenda portenta, quæ sic ab auctore recentiori breviter exponuntur :

1° Sous l'impulsion des mains de plusieurs personnes formant une chaîne, ou même d'une seule, si elle est douée d'une vertu particulière qui la constitue *medium* [1], une table, un guéridon, un chapeau, une corbeille, un meuble quelconque contracte un mouvement de rotation plus ou moins rapide selon les circonstances; mouvement qui peut, en outre, se compliquer d'un autre de translation, être accompagné de

[1] Le *medium* c'est un enfant, une jeune fille, ou des hommes qui par leur tempérament, leurs goûts, la délicatesse de leur constitution, leur santé frêle, leur imagination, se rapprochent davantage de la femme.

soubresauts, de coups et d'autres phénomènes de même genre.

2° Non-seulement les tables tournent et s'agitent, mais elles répondent aux questions qui leur sont adressées, et cela de plusieurs manières : souvent par des coups dont on se sert comme de signes conventionnels, soit pour exprimer un oui ou, un non, soit pour indiquer les différentes lettres de l'alphabet et par ce moyen composer des mots et des phrases; d'autres fois, un crayon est attaché au pied de la table, qui écrit elle-même sa réponse; ou bien il arme la main du *medium*, et celle-ci semble courir, comme si elle était conduite par une force étrangère; la réponse est rendue en diverses langues, même inconnues au *medium* et à l'assemblée ; elle dévoile les choses de la vie future, ce qui se passe à distance, la cause cachée des maladies, etc.

3° En outre, la matière inerte paraît s'animer, les tables et autres meubles semblent agitées de passions diverses, tantôt caressant, tressaillant comme sous une impression de joie, tantôt menaçant, donnant des signes non équivoques de colère ; on les voit se jeter d'eux mêmes sur les personnes présentes, les poursuivre, les acculer contre un mur comme pour les écraser sous leur poids, puis retomber à leurs pieds sans leur faire aucun mal.

Toutes ces choses ont parfois été accompagnées de phénomènes extraordinaires : apparitions de lumières, flammes, de mains mystérieuses; de fantômes visibles pour certaines personnes, tandis que les autres n'apercevaient rien, ou seulement une vapeur épaisse; production de bruits répétés, battement de coups mystérieux partant de points divers, détonations et fracas de tonnerre, voix qui imitaient celle de l'homme et faisaient entendre des airs connus, sons harmonieux semblables à ceux de certains instruments, ou même concert complet, auquel rien ne manquait, sinon des musiciens que l'œil pût apercevoir. Enfin, on nous cite quelques faits d'écriture directe, c'est-à-dire, obtenue sans aucun instrument et sans l'intermédiaire d'aucun *medium*.

5° L'agent inconnu opère aussi dans l'ordre physiologique : il produit à volonté dans certains sujets l'insensibilité et la rigidité du cadavre, développe subitement certaines parties du corps jusqu'à leur faire prendre des proportions énormes ; parfois, assure-t-on, des guérisons presque subites ont eu lieu, plus fréquemment, au contraire, des perturbations chro-

niques, des maladies incurables ont amené le suicide, la folie. » P. Matignon, *La question du surnaturel*, 3. p., c. 8.

133. — Jam vero 1° ex illis portentis, quorum saltem non pauca sunt prorsus indubia, quippe quæ a testibus probatissimis et omni fide dignis comprobata fuere, colligitur : 1. illa non provenire ex aliqua causa physica, quæ cum illis proportionem habeat ; 2. eadem supponere causam non solum invisibilem, sed etiam intelligentia præditam, imo viribus præstantiorem natura sive corporea, sive humana. Patet ex præfata expositione.

134. — Porro 2° illa invisibilis et intellectualis causa non est Deus, nec Angelus, nec Sanctus quilibet, sed diabolus.

Etenim effectus semper causæ naturam participat ; ergo facta diabolica a divinis secernuntur ex eorum objecto, modo, medio et fine, ut dictum est in Tract. *de Revelat.* n. 102. Scilicet, in effectibus dæmoniacis, objectum, modus, medium seu causa instrumentalis, et finis, nihil dignum, excelsum atque sanctum habent : sed vanitatem, puerilitatem, violentiam, crudelitatem, arrogantiam, immunditiam ordinarie præ se ferunt, atque ad errorem seminandum, fovendamque morum corruptelam finaliter tendunt. E contra vero facta sensibilia soli Deo vel Angelis et sanctis animabus tribuenda, sunt sub omni respectu divinæ majestati atque sanctitati consentanea.

Atqui portenta supra relata, omnibus vel plerisque diabolicæ operationis characteribus insigniuntur, atque destituuntur divinæ virtutis criteriis, ut ex eorumdem simplici expositione patet ; ergo interventu diaboli illa produci necesse est.

Et vero 1. blasphemia sane foret asserere Angelos aut Sanctos æterna fruentes felicitate, ad libitum cujuslibet et præsertim impiorum, intervenire puerilibus hominum ludis, eorum vanæ voluntati semper et sedulo obtemperare, et stultissimæ curiositati satisfacere. 2. Impium prorsus esset dicere Deum, qui *divinationem abominatur*, eamque adeo severe prohibuit, permittere ut cœlites ei inserviant.

3. Non minus repugnat a Deo, aut ab Angelis aut a sanctis animabus produci effectus, ex quibus tot animi terrores, tot detractiones et calumniæ de proximo, tot familiarum dissensiones et opprobria, tot errores et apostasiæ a vera fide, tot æternæ salutis pericula exorta sunt. « Déjà ces coupables pratiques (des tables tournantes) ont produit des fruits de mort et dignes de l'enfer. Que d'erreurs, que d'extravagances, que de crimes, que de malheurs n'ont-elles pas enfantés dans les Etats-Unis?... Vous ne pourriez donc vous y adonner sérieusement, sans vous rendre coupables d'une faute *très-grave* en elle-même et dans ses conséquences... » DD. Turgeon, Archiep. Kebecensis (Québec), 1854. Tandem, 4. ne quidem nova est ars magica, quæ per tabulas se exerit. Sic enim habet Tertull., Apolog. 23 : « *Magi* phantasmata edunt, et jam *defunctorum infamant animas;* pueros in eloquium oraculi elidunt, *multa miracula* circulatoriis præstigiis ludunt, *somnia immittunt*, et *habentes* semel *invitatorum* angelorum et *dæmonum assistentem sibi potestatem, per quos* et capræ et *mensæ divinare consueverunt.* »

135. — Hinc 1° non licet interrogare tabulas, etiam apposita protestatione contra dæmonis interventum. Nam, ex una parte, hujusmodi protestatio prorsus vana est et insufficiens, quando certissime constat totam rem esse a diabolo repetendam; ex alia vero parte, horrendum est quodlibet consortium cum dæmonibus habere, eos precibus invocare, et hac ratione ipsis verum cultum exhibere, n. 131, 141, 142.

Idem dicendum est, etiam si tabulæ aliæve res hujusmodi interrogarentur experimenti aut joci gratia. In re enim tam evidenter mala, nefas est etiam experimentum tentare, et de ea recreari, juxta illud S. Chrysologi : *Qui jocari voluerit cum diabolo, non poterit gaudere cum Christo.*

136. — Hinc 2° non licet interesse cœtibus, in quibus rotationes, percussiones et responsiones tabularum aliarumve rerum provocantur. Tunc enim assistentes peccato

aliorum cooperantur. Et revera, dum rem totam diabolo adscribendam esse constat, néfas est ei cum gaudio et risu admisceri, ad interrogationes attendere, curiose inhiare responsis. Proinde turpiter et periculose errant, qui agnito diabolico interventu, rei experimentum facere volunt, prætextu finis boni cujuslibet, v. g., ad diabolicum interventum ignaris probandum : *Non faciamus mala, ut eveniant bona;* Rom. 3, ℣ 8.

Præfata thesis non parum confirmabitur ex illorum portentorum præcipuo fine et consectario, nunc expendendo.

PUNCTUM IV

De Spiritismo.

137. — *Spiritismus* est doctrina ex variis tabularum loquentium responsis collecta, et in systema coadunata. Sectatores illius systematis et spirituum a quibus dimanat, *spiritas* vel etiam *spiritualistas* sese denominant.

Doctrina autem *spirita* sic contrahitur. Spiritus, qui tabulas movent, et, per eas percutiendo nobis loquuntur, sunt animæ defunctorum, quæ ideo vocantur *spiritus percutientes* (*esprits frappeurs*). Illæ animæ, etiam corpore humano exutæ, aliquod semi-materiale indumentum retinent, *perispiritus* nomine nuncupatum, quo mediante, anima in hac vita corpori unitur, et quo, etiam post mortem, potest circa corpora agere, atque iterum cum hominibus relationem habere.

Bonitas et perfectio illorum spirituum, in eorum separatione ab elemento materiali consistit. Ad hujusmodi perfectam puritatem aliquando omnes spiritus infallibiliter pervenient, scilicet, per successivas et, pro cujusque merita, progressivas seu minus ac minus materiales incarnationes.

Post mortem vero, donec cum alio humano corpore conjungantur, spiritus circa nos errant, atque per tabulas et alia similia, nobis, juxta Dei placitum, officia nostra revelant. Attamen alii, cum sint adhuc valde imperfecti, nonnisi nos decipere curant; alii autem jam fere omnino puri, nonnisi utilia manifestant. Unde infallibile criterium, quo bonus a malo discernitur spiritus, est doctrinæ reve-

latæ veritas, seu spirituum *impetus ad bonum* (*leur élan vers le bien*).

Tandem, consummata separatione ab omni elemento materiali, beatam vitam adipiscuntur spiritus, et a Creatore tanquam ministri ad mundi regimen deputantur.

138. — Itaque 1. spirita revelatio totam suam auctoritatem ex rei revelatæ veritate seu *evidentia rationali* desumit; et ideo in se seu quatenus revelatio, omni credibilitatis probatione destituitur, atque nihil aliud est quam *rationalismus superstitiosus*.

2. Dogma autem et veritas revelationis spiritæ consistit in *negatione* existentiæ Angelorum et dæmonum, inferni et purgatorii, peccati originalis et Redemptionis, divinitatis Christi et Ecclesiæ; et in *affirmatione* metempsychosis ad perfectionem et ultimum finem consequendum. Ergo spirita revelatio religionem christianam funditus evertit, atque est sub omni respectu hæretica; et proinde tabularum rotationes et responsa sine dubio solis dæmonibus tribuenda sunt.

Merito igitur a pluribus Episcopis tanquam superstitiosa damnata est et prohibita provocatio rotationis tabularum aut aliorum corporum percussio, cum intentione invocandi mortuos seu spiritus, eosque consulendi, aut quodlibet cum eis ineundi commercium. Sit ergo conclusio : « Au XIXe siècle, comme aux âges les plus reculés et les plus ignorants, l'espèce humaine, qui est naturellement portée vers le merveilleux, ne se détourne des merveilleuses réalités de la religion révélée, que pour se jeter dans les bras de la superstition et de la magie. » DD. Pie, Episcopus Pictaviensis.

PUNCTUM V

De magnetismo animali.

139. — *Magnetismus animalis* est fluxus quidam subtilissimus, fluxui magnetis similis, quem e cunctis animalium corporibus manare primus putavit Mesmer, medicus germanicus.

Ille fluxus meare supponitur e corpore magnetizantis in corpus magnetizati, ope variorum gestuum et attrectationum alterius in alterum, imo actu solius præsentiæ, vel solius voluntatis agentis; nec raro, aiunt, præsertim pro prima vice, expressa patientis voluntas requiritur[1].

140. — Triplex præcipuus magnetismi effectus seu gradus exhibetur : 1. status *somni*, in quo sensus consopiuntur, ut in somno naturali; 2. status *somnambulismi*, in quo quis usu sensuum omnino destitutus, videt tamen, audit, loquitur, et respondet ad omnia, quæ ab ipso postulantur; 3. status *visionis*, in quo magnetizatus mire cognoscit suum proprium statum, et remedia morbis convenientia, necnon litteras vel linguas quarum notitia penitus antea carebat, vel actiones aliorum hominum etiam longe distantium, et ea omnia quæ tum prope, tum procul peraguntur.

141. — Theologi et medici circa illorum effectuum causam, in tres abierunt sententias. Scilicet, alii in omni casu

1. Les phénomènes magnétiques ne sont que des phénomènes hypnotyques. Par des pratiques bien définies, l'opérateur endort le sujet, le réduit à l'état d'automate, en fait en quelque sorte son jouet. Il ordonne, et l'autre obéit; il l'oblige à marcher sur ses talons, à le suivre pas à pas, à prendre les positions les plus fatigantes et les plus ridicules. L'hypnotisé est inconscient; il est complètement placé sous les influences extérieures. Il tend à répéter les mouvements qu'il voit effectuer devant lui.

La vue fixe d'un objet brillant peut provoquer ce sommeil en quelques minutes. Quand le sujet a été déjà préparé par la vue d'un objet brillant, la plus petite excitation extérieure agit sur l'individu en expérience avec une puissance extraordinaire.

L'état hypnotyque disparaît aussi facilement qu'il naît. Il suffit d'appliquer un corps froid, une pièce de monnaie sur la figure, sur la poitrine, sur les mains, pour dissiper le sommeil.

Cet état résulte d'une modification des centres nerveux du cerveau et de la moëlle épinière. La cause du sommeil hypnotyque, disent des physiologistes célèbres, doit se trouver dans un arrêt de l'activité des cellules ganglionnaires de la couche corticale, grise, arrêt amené par une irritation faible, mais continue, des nerfs de la vue, de l'ouïe, de la face, etc. C'est un fait qui paraît constaté, mais ce n'est pas une explication. Ce qui est certain, c'est que les phénomènes singuliers connus depuis longtemps sous le nom de *magnétisme*, appartiennent au domaine de la science. — Le *Correspondant*, juillet 1880, p. 175.

rejiciunt et exsecrantur magnetismum velut opus diabolicum; miri enim illi effectus, aiunt, neque ex Deo, neque ex natura repeti possunt. Alii vero tenent omnes magnetismi effectus a naturæ viribus procedere posse. Alii tandem distinguentes, sentiunt effectus magnetismi in *sommo* et quosdam in *somnambulismo*, ut naturales probabiliter admitti posse; effectus autem magnetismi in *statu visionis*, diaboli interventum supponere. Sed hanc controversiam partim dirimunt sequentes decisiones :

« Remoto omni errore, sortilegio, explicita aut implicita dæmonis invocatione, usus magnetismi, nempe, merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non est moraliter vetitus, dummodo non tendat ad finem illicitum, aut quomodolibet pravum. Applicatio autem principiorum, et mediorum pure physicorum ad res et effectus vere supernaturales, ut physice explicentur, non est nisi deceptio omnino illicita, et hæreticalis. » Ita S. Congreg. S. Officii, 28 jul. 1847.

Eadem S. Congreg., in Encyclica ad omnes Episcopos, 30 jul. 1856, hæc addit :

« ... Hinc *somnambulismi* et *claræ visionis*, uti vocant, *præstigiis* mulierculæ, gesticulationibus non semper verecundis abreptæ, se *invisibilia* quæque *conspicere* effutiunt, ac de ipsa religione sermones intituere, *animas mortuorum evocare*, responsa accipere, *ignota*, ac *longinqua detegere*, aliaque id genus *superstitiosa* exercere ausu *temerario* præsumunt. In hisce omnibus, quæcunque demum utantur arte, vel illusione, *cum ordinentur media physica* ad effectus *non naturales*, reperitur *deceptio* omnino *illicita*, et *hæreticalis*, et *scandalum* contra honestatem morum. » Vide *Acta S. Sedis*, t. 1, p. 177.

Itaque, licet magnetismi usus non in omni casu prohibeatur, attamen illius usus non est permittendus, nisi præscripta modestiæ christianæ serventur, et quælibet dæmonis interventio respuatur. Nunquam autem a confessariis vel sacerdotibus suadendus est, neque positive approbandus. Cæterum nec etiam nova est ars magnetica, ut patet ex verbis Tertulliani jam relatis, n. 134.

142. — Tandem studiose removendi sunt fideles a commercio cum facinorosis hominibus, qui quocunque modo artem magicam pertentant, vel sibi arrogant, cum gravi detrimento religionis et societatis. *Religionis* quidem; nam, qui ejusmodi superstitionibus dant operam, sæpe sæpius a fide jam defecerunt, atque polytheismo et idololatria se polluunt, a quibus seu a dæmonolatria primam originem habuit magia cum suis surculis. *Societatis* etiam, quia ordinarie ad malam fidem seu ut noceant, qui artem quacunque diabolicam exercent, eam adhibent; atque ignorantia, credulitate, terroribus popularibus abutuntur, ad plurium fidem dejiciendam, aut bonos mores corrumpendos, aut ad pecuniam sibi comparandam. Quare plures leges etiam civiles contra hujusmodi organa diaboli editæ fuerunt apud Ethnicos et Christianos, quas Protestantes ipsi ad talia delicta plectenda retinuere.

Attamen Parochi, Concionatores et Catechistæ cavere debent, ne fideles alloquantur de variis sortilegiis et superstitionibus ipsis incognitis; sed brevem sermonem tantum habeant de iis, quæ in sua regione notæ sunt, ne potius eas edoceant, quam ab iis avertant.

Et hæc de Angelis : quorum gratiæ et gloriæ consortes nos faciat, quorum vero peccatum et consummatam miseriam a nobis avertat misericors Deus, per Dominum nostrum Jesum Christum, de quo nunc dicendum habemus.

143. — *Scholium.* Post Tractatum de creatura mere spirituali, agendum esset de ente mere corporali, postea de ente ex substantia spirituali et corporali composito seu de homine, et tandem de unione Dei cum homine per Incarnationem. Cum vero plura, quæ ad corpora et ad hominem spectant, absolvantur in *Instit. philosophicis*, et etiam multa de homine dicantur in Tract. *de Deo, de Gratia* et *de Actibus humanis*, etc., hunc, pro more, agemus *de Incarnatione*.

FINIS TRACTATUS DE ANGELIS.

TRACTATUS

DE INCARNATIONE

EX SYMBOLO ATHANASIANO

1. — Sed necessarium est ad æternam salutem, ut Incarnationem quoque Domini nostri Jesu Christi fideliter credat.

2. — Est ergo fides recta, ut credamus et confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus Dei Filius, Deus et homo est.

3. — Deus est ex substantia Patris, ante secula genitus, et homo est ex substantia matris, in seculo natus.

4. — Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali, et humana carne subsistens.

5. — Æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem.

6. — Qui licet Deus sit et homo, non duo tamen, sed unus est Christus.

Unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum.

Unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate personæ.

Nam, sicut anima rationalis et caro unus est homo; ita Deus et homo unus est Christus.

7. — Qui passus est pro salute nostra; descendit ad inferos; tertia die resurrexit a mortuis.

8. — Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus est judicare vivos et mortuos.

9. — Ad cujus adventum omnes homines resurgere habent

cum corporibus suis, et reddituri sunt de factis propriis rationem.

Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam; qui vero mala, in ignem æternum.

10. — Hæc est fides catholica; quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.

DECRETA CONCILII EPHESINI, GENERALIS III

De unione hypostatica Verbi cum natura humana, contra Nestorium, an. 431.

11. — *Can.* 1. Si quis non confitetur, Deum esse veraciter *Emmanuel*, et propterea *Dei Genitricem* sanctam Virginem : peperit enim secundum carnem, carnem factum Dei Verbum, secundum quod scriptum est : « Verbum caro factum est : » A. S.

12. — *Can.* 2. Si quis non confitetur carni secundum substantiam [1] unitum Dei Patris Verbum, unicum esse Christum cum propria carne, eumdem scilicet Deum simul et hominem : A. S.

13. — *Can.* 3. Si quis in uno Christo dividit substantias post unitionem, sola eas connexione conjungens, quæ secundum dignitatem fit, vel etiam auctoritatem et potestatem, ac non potius conventu, qui per unitatem factus est naturalem : A. S.

14. — *Can.* 4. Si quis in personis duabus vel subsistentiis eas voces, quæ in Apostolicis scriptis continentur et Evangelicis, dividit, vel quæ de Christo dicuntur a Sanctis, vel ab ipso, et aliquas quidem ex his velut homini, qui præter Dei Verbum specialiter intelligatur, aptaverit, illas autem tanquam dignas Deo, soli Dei Patris Verbo deputaverit : A. S.

15. — *Can.* 5. Si quis audeat dicere, hominem Christum *Theophorum*, id est, Deum ferentem, ac non potius Deum esse veraciter dixerit, tanquam filium per naturam secundum quod

1. Versio antiqua hic, can. 2, 3, vocem ὑποστασιν, per *substantiam* reddidit. Idem habetur Syn. V., can. 13. Retinuimus quod et Petavius, *de Incarn.*, lib. c. 17, tuetur. Unio hypostatica substantialis vel essentialis dicitur, inquantum istæ voces Nestorianorum *accidentali* seu *morali unioni*, opponuntur. Est sane unio ista substantiarum, sed per subsistentiam; vide Tract. *de SS. Trinit.*, n. 16, et infra, n. 50.

Verbum factum est caro, et communicavit similiter ut nos carni et sanguini : A. S.

16. — *Can.* 6. Si quis dicit Deum esse vel Dominum Christi, Dei Patris Verbum, et non magis eumdem ipsum confiteatur Deum simul et hominem, propterea quod Verbum caro factum est, secundum Scripturas : A. S.

17. — *Can.* 7. Si quis velut hominem Jesum operante Deo Verbo dicit adjutum, et unigeniti gloriam tanquam alteri præter ipsum existenti tribuit : A. S.

18. — *Can.* 8. Si quis audet dicere assumptum hominem coadorandum Deo Verbo, et conglorificandum et nuncupandum Deum tanquam alterum cum altero (nam *con* syllaba superadjecta hæc cogit intelligi), ac non potius una supplicatione veneratur Emmanuel, unamque ei glorificationem dependit, juxta quod Verbum caro factum est : A. S.

19. — *Can.* 9. Si quis unum Dominum Jesum Christum glorificatum dicit a Spiritu Sancto, tanquam qui aliena virtute per eum usus fuerit, et ab eo acceperit efficaciam contra immundos spiritus, posse et coram hominibus divina signa perficere, ac non potius fatetur ejus proprium Spiritum, per quem divina signa explevit : A. S.

20. — *Can.* 10. Pontificem et Apostolum confessionis nostræ factum esse Christum, divina Scriptura commemorat. Obtulit enim semetipsum pro nobis in odorem suavitatis Deo et Patri. Si quis ergo Pontificem et Apostolum nostrum dicit factum, non ipsum Dei Verbum, quando caro factum est, et homo juxta nos homines, sed velut alterum præter ipsum specialiter hominem ex muliere, aut qui dicit, quod pro se obtulisset semetipsum oblationem, et non potius pro nobis solis (non enim eguit oblatione, qui peccatum omnino nescivit) : A. S.

21. — *Can.* 11. Si quis confitetur, carnem Domini vivificatricem esse, et propriam ipsius Verbi Dei Patris, sed velut alterius præter ipsum, conjuncti eidem per dignitatem, aut quasi divinam habentis habitationem, ac non potius vivificare valentis : A. S.

22. — *Can.* 12. Si quis non confitetur, Dei Verbum passum carne, et crucifixum carne, et mortem carne gustasse, factumque primogenitum ex mortuis secundum quod vita est, et vivificator ut Deus ; A. S.

EPISTOLA S. LEONIS PAPÆ AD S. FLAVIANUM

De duplici natura in Christo, contra Eutychen, an. 449 [1].

23. — *Cap.* 3. Salva igitur proprietate utriusque naturæ substantiæ et in unam coeunte personam, suscepta est a majestate humilitas, a virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas, et ad resolvendum conditionis nostræ debitum natura inviolabilis naturæ est unita passibili: ut quod nostris remediis congruebat, unus atque idem mediator Dei et hominum, homo Jesus Christus, mori posset ex uno, et mori non posset ex altero. *In integra ergo veri hominis perfectaque natura verus natus est Deus, totus in suis, totus in nostris.*

24. — *Cap.* 4. Ingreditur ergo hæc mundi infima Filius Dei, de cœlesti sede descendens, et a paterna gloria non recedens, novo ordine, nova nativitate generatus. Novo ordine: quia invisibilis in suis, visibilis factus est in nostris; incomprehensibilis voluit comprehendi; ante tempora manens, esse cœpit ex tempore; universitatis Dominus servilem formam, obumbrata majestatis suæ immensitate, suscepit; impassibilis Deus non dedignatus est homo esse passibilis, et immortalis mortis legibus subjacere. Nova autem nativitate generatus: quia inviolata virginitas concupiscentiam nescivit, carnis materiam ministravit. Assumpta est de matre Domini natura, non culpa; nec in Domino Jesu Christo, ex utero Virginis genito, quia nativitas est mirabilis, ideo nostris est natura dissimilis. Qui enim verus est Deus, idem verus est homo, et nullum est in hac unitate mendacium, dum invicem sunt, et humilitas hominis et altitudo Deitatis. Sicut enim *Deus non mutatur miseratione,* ita *homo non consumitur dignitate. Agit utraque forma cum alterius communione quod proprium est; Verbo* scilicet *operante quod Verbi est, et carne exequente quod carnis est. Unum horum coruscat miraculis, aliud succumbit injuriis.* Et sicut Verbum ab æqualitate paternæ gloriæ non recedit, ita caro naturam nostri generis non relinquit.

CONC. CHALCEDONENSIS, GENER. IV, DECRETUM

Contra Eutychen, an. 451.

25. — Sequentes Sanctos Patres, unum eumdemque confiteri Filium et Dominum nostrum Jesum Christum consonanter

[1]. Hanc Epistolam Patres Conc. Chalcedonensis susceperunt, clamantes : *Petrus per Leonem locutus est.*

omnes docemus, eumdemque perfectum in deitate, et eumdem perfectum in humanitate, Deum vere et hominem vere, eumdem, ex anima rationabili et corpore, consubstantialem Patri secundum deitatem, consubstantialem nobis eumdem secundum humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato : ante secula quidem de Patre genitum secundum deitatem, in novissimis diebus eumdem propter nos et propter salutem nostram ex Maria Virgine Dei genitrice secundum humanitatem : unum eumdemque Christum, Filium Dominum unigenitum, in *duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter* agnoscendum, *nusquam sublata naturarum differentia* propter *unitionem*, magisque *salva proprietate utriusque naturæ*, et in *unam personam* atque *subsistentiam concurrente*; non in *duas personas* partitum atque divisum, sed unum et eumdem Filium unigenitum Deum, Verbum Dominum; Jesum Christum : sicut ante prophetæ de eo, et ipse nos Jesus Christus erudivit, et Patrum nobis symbolum tradidit.

His igitur cum undique exacta cura et diligentia a nobis dispositis, definivit sancta et universalis Synodus, alteram fidem nulli licere proferre, aut conscribere, vel componere, aut sentire, aut alios docere. Eos tamen, qui audent componere fidem alteram, aut proferre, aut docere, aut tradere alterum symbolum, volentibus ad agnitionem veritatis converti vel ex gentilitate vel ex Judaismo, vel ex hæresi quacunque; hos, si Episcopi fuerint aut clerici, alienos esse, Episcopos ab episcopatu, et clericos a clero : si vero monachi aut laici fuerint, anathematizari eos.

EPIST. AGATHONIS ET SYN. ROM. 125 EPISCOP.

De duplici voluntate in Christo, contra Monothelitas [1].

26. — Unum eumdemque D. N. J. C., Filium Dei unigenitum, *ex duabus* et *in duabus substantiis inconfuse, incommutabiliter, indivise, inseparabiliter subsistere* cognoscimus, *nusquam sublata differentia naturarum* propter *unitionem*, sed potius *salva proprietate utriusque naturæ*, et in *unam personam unamque subsistentiam concurrente*, non in *dualitatem personarum* dispertitum vel diversum, neque in *unam compositam naturam*

1. Hanc Epistolam Patres Conc. Constantinopolitani III, generalis, susceperunt, clamantes : *Petrus per Agathonem locutus est.*

confusum; sed unum eumdemque Filium unigenitum, Deum Verbum, D. N. C., neque alium in alio, neque alium et alium, sed *eumdem* ipsum *in duabus naturis*, id est, in *deitate* et *humanitate*, et post subsistentialem adunationem cognoscimus: quia neque *Verbum in carnis naturam conversum* est, neque *caro in Verbi naturam transformata est*: permansit enim utrumque quod naturaliter erat: differentiam quippe adunatarum in eo naturarum sola contemplatione discernimus, ex quibus inconfuse, inseparabiliter et incommutabiliter est compositus; *unus* enim *ex utriusque* et *per unum utraque*, quia simul sunt et altitudo deitatis et humilitas carnis, *servante utraque natura* etiam *post adunationem sine defectu proprietatem suam*; « et *operante utraque forma cum alterius communione. quod proprium habet: Verbo operante quod Verbi est*, et *carne exequente quo carnis est*; quorum unum coruscat miraculis, aliud succumbit injuriis. » Leo Papa, n. 24.

27. — Unde consequenter, sicut duas naturas, sive subsistentias, id est, deitatem et humanitatem inconfuse, indivise, incommutabiliter eum habere confitemur, ita quoque et *duas naturales voluntates* et *duas naturales operationes* habere utpote *perfectum Deum* et *perfectum hominem*, unum eumdemque ipsum Dominum Jesum Christum pietatis nos regula instruit, quia hoc nos apostolica et evangelica traditio, sanctorumque Patrum magisterium, quos sancta apostolica atque catholica Ecclesia et venerabiles Synodi suscipiunt, instituisse monstratur.

DECRETA CONC. CONSTANTINOP. III, GENERALIS VI

Contra Monothelitas, an. 680.

28. — Quæ præsens sancta et universalis Synodus fideliter suscipiens, et expansis manibus amplectens tam suggestionem, quæ a sanctissimo ac beatissimo Agathone Papa antiquæ Romæ facta est ad Constantinum, piissimum atque fidelissimum nostrum imperatorem, quæ nominatim adjecit eos, qui docuerunt vel prædicaverunt, sicut superius dictum est, unam voluntatem et unam operationem in Incarnationis dispensatione Domini nostri Jesu Christi, veri Dei nostri; adæque amplexa est et alteram synodalem suggestionem, quæ missa est a sacro Concilio, quod est sub eodem sanctissimo Papa centum viginti quinque Deo amabilium Episcoporum, ad ejus a Deo instructam tranquillitatem, utpote consonantes

Sancto Chalcedonensi Concilio, et tomo sacerrimi ac beatissimi Papæ ejusdem antiquæ Romæ, Leonis, qui directus est ad S. Flavianum, quem et titulum rectæ fidei hujusmodi Syodus appellavit; ad hæc et synodicis Epistolis, quæ scriptæ sunt a B. Cyrillo adversus impium Nestorium et ad orientales Episcopos; assecuti quoque sancta quinque universalia Concilia et sanctos atque probabiles Patres, consonanterque confiteri definientes Dominum nostrum Jesum Christum, verum Deum nostrum, unum de sancta, et consubstantiali et vitæ originem præbente Trinitate, perfectum in deitate, et perfectum eumdem in hamanitate, Deum vere et hominem vere, eumdem ex anima rationali et corpore; consubstantialem Patri secundum deitatem, et consubstantialem nobis secundum humanitatem; per omnia similem nobis absque peccato; ante secula quidem ex Patre genitum secundum deitatem, in ultimis diebus autem eumdem propter nos et propter nostram salutem de Spiritu Sancto et Maria Virgine *proprie* et *veraciter Dei genitrice* secundum humanitatem; *unum eumdemque Christum Filium Dei unigenitum* in *duabus naturis inconfuse, inconvertibiliter, inseparabiliter, indivise* cognoscendum *nusquam extincta* harum *naturarum differentia* propter *unitionem, salvataque* magis *proprietate utriusque naturæ* et *in unam personam,* et *in unam subsistentiam concurrente,* non *in duas personas partitum* vel divisum, sed unum eumdemque unigenitum Filium, Deum Verbum, Dominum Jesum Christum; juxta quod olim prophetæ de eo et ipse nos Dominus Jesus Christus erudivit, et Sanctorum Patrum nobis tradidit symbolum; et *duas naturales voluntates* in eo, et *duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse*; secundum Sanctorum Patrum doctrinam, adæque prædicamus; et *duas naturales voluntates* non *contrarias*, absit juxta quod impii asseruerunt hæretici, sed *sequentem* ejus *humanam voluntatem*, et non resistentem vel reluctantem, sed potius et *subjectam divinæ* ejus atque *omnipotenti voluntati.*

Oportebat enim carnis voluntatem moveri, subjici vero voluntati divinæ, juxta sapientissimum Athanasium. Sicut enim ejus caro, caro Dei Verbi dicitur et est, ita et naturalis carnis ejus voluntas propria Dei Verbi dicitur et est, sicut ipse ait : « Quia descendi de cœlo, non ut faciam *voluntatem meam*, sed *ejus*, qui misit me, *Patris,* » suam propriam dicens voluntatem, quæ erat carnis ejus. Nam et caro propria ejus facta est. Quemadmodum enim sanctissima atque imma-

culata animata ejus caro deificata, non est perempta, sed in proprio sui statu et ratione permansit : ita et humana ejus voluntas deificata, non est perempta, salvata est autem magis, secundum deiloquum Gregorium, dicentem : « Nam illius *velle* quod in Salvatore intelligitur, non est contrarium Deo, *deificatum totum.* »

29. — *Duas* vero *naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inconfuse, inseparabiliter* in *eodem* Domino nostro Jesu Christo, vero Deo nostro, glorificamus, hoc est *divinam operationem, et humanam operationem,* secundum divinum prædicatorem Leonem, appertissime asserentem : « Agit enim utraque forma cum alterius communione quod primum est, *Verbo,* scilicet, *operanti* quod *Verbi* est, et *carne exsequente* quod *carnis* est; » n. 24, 26. Nec enim in quoquam unam dabimus naturalem operationem Dei et creaturæ, ut neque quod creatum est, in divinam educamus essentiam : neque quod eximium est divinæ naturæ, ad competentem creaturis quod dejiciamus. « Unius enim ejusdemque tam miracula, quamque passionis cognoscimus, secundum aliud et aliud earum, ex quibus est, naturarum et in quibus habet esse, » sicut admirabilis inquit Cyrillus.

30. — Undique igitur inconfusum atque indivisum conservantes, brevi voce cuncta proferimus : *unum* sanctæ Trinitatis, et, post Incarnationem, Dominum nostrum *Jesum Christum verum Deum* nostrum esse credentes, asserimus *duas* ejus esse *naturas* in *una* ejus radiantes *subsistentia,* in qua tam miracula, quamque passiones per omnem sui dispensativam conversationem, non per phantasiam, sed veraciter demonstravit, ob naturalem differentiam in eadem una subsistentia cognoscendam, dum *cum alterius communione utraque natura* indivise, et inconfuse *propria* vellet, atque *operaretur* : juxta quam rationem, et *duas naturales voluntates* et *operationes confitemur,* ad *salutem humani generis convenienter in eo concurrentes.*

His igitur cum omni undique cautela atque diligentia a nobis formatis definimus aliam fidem nulli licere proferre aut conscribere, componereve aut sapere, vel etiam aliter docere. Qui vero præsumpserint fidem alteram componere, vel proferre, vel docere, vel tradere, aliud Symbolum volentibus converti ad agnitionem veritatis ex Gentilitate vel Judaismo, aut ex qualibet hæresi; aut qui novitatem vocis, vel sermonis

adinventionem ad subversionem eorum, quæ nunc a nobis determinata sunt, introducere : hoc si quidem Episcopi fuerint aut Clerici, alienos esse, Episcopos quidem ab episcopatu, Clericos vero a clero : sin autem monachi fuerint vel laici, etiam anathematizari eos.

OBJECTUM, UTILITAS ET DIVISIO TRACTATUS

31. — Unigenitus Dei Filius, summam Deo Patri gloriam tribuere volens, salvumque facere populum suum, et omnia in seipso instaurare atque perficere, humanam sibi assumpsit naturam, et homo factus est. De hoc ineffabili utriusque naturæ divinæ et humanæ consortio in persona Verbi divini, atque de proprietatibus et effectibus, qui ab illa singulari unione profluunt, in hoc Tractatu agendum est.

Quam rem ideo nobilitate, splendore, mirifica et uberrima utilitate, si SS. Trinitatis mysterium excipias, quod etiam in Incarnatione continetur, cæteras totius Theologiæ quæstiones longe antecellere manifestum est ; cum profecto, inter divina opera, nihil excogitari possit excellentius, perfectius et mirabilius, quam quod Dei Filius, verus Deus, factus sit homo verus.

Nihil proinde ad cæterorum operum Dei intelligentiam adeo præstat : quod enim in unoquoque genere maximum est, tanquam cæterorum causa, exemplar atque finis eminet. Unde Filius Dei incarnatus seu Christus quasi totius mundi centrum est constitutus, ex quo omnia procedunt, ad quem convergunt omnia, et in quo omnia, quæ ad fidem pertinent, comprehenduntur.

Ad nostrum igitur finem assequendum, nullum est medium efficacius et adeo necessarium, quam Verbum incarnatum. Ex eo siquidem et per eum dimanant omne meritum, omnis satisfactio, gratia, justitia, æternaque felicitas; atque in eo relucet perfectissimum præsentis vitæ expiationis et ipsius Ecclesiæ exemplar; ita ut sit totius Christianismi semen, radix atque summa, juxta illud S. Pauli : *Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum;* I Cor., 2, ✝ 2.

Quinque erunt hujusce Tractatus capita, de Incarnationis 1° notione, 2° facto, 3° fine, 4° medio ad hunc finem assequendum, 5° consectariis [1].

CAPUT PRIMUM

DE NOTIONE INCARNATIONIS

Triplex erit articulus, 1° de notionibus præviis et definitione Incarnationis, 2° de erroribus circa eamdem, 3° de hujus possibilitate.

ARTICULUS PRIMUS

De notionibus præviis, et de Incarnationis definitione.

Dicendorum intelligentia maxime pendet ex genuino sensu quorumdam vocabulorum, quæ sæpius in hocce Tractatu venient, et ex notione mysterii incarnationis. Utrumque igitur breviter explanandum est.

§ I

De notione quorumdam verborum, quæ sæpius in hoc Tractatu usurpantur.

32. — Quæ vocabula respiciunt vel utrumque extremum Incarnationis, scilicet, naturam divinam et naturam humanam, qualia sunt *essentia, natura, substantia;* vel relationem seu unionem personalem inter utramque naturam, qualia

1. Circa Tractatum *de Incarnatione,* consuli possunt S. Cyrillus Alex., qui, præ cæteris Patribus, eximie de Christo scripsit, præsertim in operibus : *Commentaria in Joan. Evangel.*; *Dialogus de Incarnatione Unigeniti; Libri 5 contradictionum adversus blasphemias Nestorii.* — S. Athanasius, *de Incarnatione.* — S. Augustinus, *Tract. in Joan.* — S. Th., qui mire hanc materiam tractat, 3 p., q. 1 et seq.; *Cont. Gent.*, lib. 4, c. 27 et seq. — Suarez, *de Incarnatione,* ubi amplissima discussione et doctrina absolvit omnia, quæ hanc materiam spectant. — Legrand, *de Incarnatione.* — Billuart, *de Mysteriis Christi.* — Petavius, *de Incarnatione.* — Bossuet, qui mirabili doctrina et eloquentia de Christo locutus est, præsertim in operibus, *Elévat. sur les mystères, Sermons sur Notre-Seigneur, Médit. sur les SS. Evangiles; Discours sur l'Hist. univ.*, 2e p. — Card. de Bérule, *de l'Etat et des Grandeurs de Jésus;* — D. Olier, *de la Vie intérieure de la Sainte Vierge.*

sunt *suppositum, persona, relatio personalis* seu *unio hypostatica*.

Jam vero in Tract. *de Trinit.*, n. 12-17, explicata sunt verba essentiæ, naturæ, substantiæ, suppositi, personæ, relationis. Hic igitur nobis superest notionem suppositi et personæ fusius evolvere, ac integre exponere unionis hypostaticæ notionem, conditiones et consectaria, siquidem de hujusmodi unione seu relatione agitur in toto decursu præsentis Tractatus.

I. — *De supposito et persona.*

33. — *Quæritur* 1° quid sit *suppositum?*

Resp. Suppositum est *substantia completa et sui juris.* Et quidem substantia *completa,* sive simplex, uti Angelus, sive composita, uti arbor, quatenus per se totaliter exercere potest et de facto exercet omnes operationes propriæ speciei; v. g., substantia Angeli est completa, quia per se sola exercet operationes specificas Angeli; anima vero humana per se totaliter non potest exercere operationes speciei humanæ, sed ad hoc compleri debet per naturalem unionem cum humano corpore; et ideo substantia animæ, ratione speciei humanæ, non est completa, sed pars tantum naturæ humanæ.

Sed etiam *sui juris,* quatenus illæ operationes substantiæ completæ, et hæc ipsa substantia, a qua procedunt, alteri, uti imputabilitatis centro, non tribuuntur, nec ad alterum ultimo referuntur, sed ad ipsammet substantiam completam, quæ ideo habet dominium et suiipsius et suarum operationum; v. g., arbor est sui juris, eo quod et ipse et quæ in ipso perficiuntur, ipsimet tribuuntur, non vero alteri imputabilitatis centro. Idem verum est de substantia completa Angeli. At substantia completa naturæ humanæ in Christo tribuitur cum suis operationibus personæ Verbi; et ideo illa substantia, constans anima et corpore humano, licet per se totaliter exerceat omnes operationes humanæ speciei proprias, tamen non est sui juris, eo quod ultimo refertur cum suis actibus ad personam Verbi, uti ad suum imputabilitatis centrum.

Unde suppositum non est pars alicujus individui, sed ipsum est aliquod individuum, seu ens in se indistinctum, unum operationis principium, et ab aliis distinctum, juxta hanc suppositi definitionem a Beotio delineatam : *Naturæ completæ individua substantia.*

Hujusmodi substantia completa et sui juris dicitur *suppositum*, quia supponitur omnibus accidentibus ut ultimum subjectum prædicationis ; atque ratio, qua substantia completa fit sui juris seu perfecte subsistens, abstracte sumpta, dicitur *subsistentia*, *suppositalitas ;* ipsamet subsistentia, concrete accepta, vocatur *suppositum*.

Duplex est suppositi species, unum sine intellectu, quod nomine generico *suppositi* designatur, uti arbor, animal; alterum, intellectu præditum, quod *persona* nuncupatur : Tract. *de Trinit.*, n. 15.

34. — *Quæritur* 2° quid sit *persona ?*

Resp. Persona est *suppositum intellectu præditum*, seu *subsistens in rationali natura*, juxta S. Th. 1, p. q. 29, a 3 ; aut *rationalis naturæ individua substantia*, juxta Boetium.

Unde persona continet quidquid constituit suppositum, sed insuper facultatem, qua quis potest suiipsius habere conscientiam, atque ideo suam existentiam, sui suarumque operationum dominium sibi testificari, ac dicere *ego*. Nec, ut constituatur persona, requiritur, uti quidam contenderunt, exercitium intellectus seu actualis conscientia sui, alioquin puer ante usum rationis, adultus, dum somno obreperetur, eo ipso non esset persona, sed mere suppositum, ut arbor, animal : quod sensui communi repugnat.

Hujusmodi dominium sui cum intellectuali facultate dicitur *personalitas;* ipsa autem substantia completa, sui juris et intellectu prædita, nuncupatur *persona*, *hyposthasis*.

35. — Hinc 1° subsistentia seu esse sui juris non est mera negatio, ut notavimus in Tract. *de Trinit.*, n. 15,

contra quosdam. Per se enim melius est esse sui juris, atque in hoc connotatur veri nominis perfectio seu major entitatis explicatio. « Persona ait S. Th. 1 p. q. 29, a. 3, significat id quod est perfectissimum in tota natura, scilicet, subsistens in rationali natura. » Unde per vocem *subsistens* non significatur aliquid mere negativum. Hæc de creaturis dicta sunt. In Deo enim tres personæ divinæ constituunt ipsam Dei vitam ad intra, atque ideo sunt quid in se infinite positivum.

36. — Hinc 2° subsistentia non est quædam realis ac distincta *proprietas* substantiæ completæ.

Namque esse sui juris, habere dominium sui, esse imputabilitatis centrum, nullomodo afficit ipsam arboris, Angeli, naturæ humanæ substantiam; siquidem natura humana in Christo remanet integra, et nihilominus in ea deficit subsistentia humana : porro nulla substantia aut natura carere potest aliqua ex suis proprietatibus constitutivis, quin eo ipso a propria specie deficiat, ut per se patet.

37. — Hinc 3° subsistentia non est *accidens* tantum. Namque accidens per se est plus minusve transitorium et intensivum; v. g., actus cogitandi, manducandi; dum subsistentia est per se permanens, nec incrementum recipit, nec diminutionem patitur, v. g., Petrus a die suæ conceptionis est et in perpetuum erit persona, et quidem in eodem gradu, ut ita dicam.

Sed etiam per accidens, substantia aut natura hoc vel illud agit, experitur, ad hoc vel ad illud inclinatur, disponitur; per subsistentiam autem eadem substantia aut natura *proprio nomine* agit, patitur, disponitur, informatur.

38. — Hinc 4° subsistentia est *status independentiæ*, quo substantia completa est suiipsius ultimum imputabilitatis centrum,

Porro substantia completa non potest quidem destitui

omni imputabilitatis centro; sed non repugnat quod ipsamet non sit hujusmodi centrum seu sui juris, sed juris alterius. Nam, ex una parte, talis independentiæ status non est proprietas substantiæ completæ constitutiva, ex modo dictis; et ideo non repugnat quod substantia creata non sit sui juris, sed juris alterius; ex alia vero parte, quælibet substantia creata, ratione potentiæ obedientialis, potest suscipere omnes status quos Deus voluerit, seu qui tali vel tali substantiæ ex se non repugnant; ergo substantia creata quælibet destitui potest propria subsistentia, ac assumi in subsistentiam alterius; vide Tract. *de Gratia*, n. 172.

39. — *Quæritur* quænam sint conditiones, ut aliqua substantia completa careat propria subsistentia?

Resp. Difficile est statuere hujusmodi conditiones. Attamen duo certa videntur. Scilicet, 1. aliqua substantia completa caret propria subsistentia, quoties unitur alteri, cujus subsistentia est nobilior, et qua ideo substantia completa ordinis inferioris elevatur ac perficitur, dum ab illa nobiliori subsistentia assumitur in ejus dominium. Ita omnes. Eo ipso enim quod subsistentia nobilior communicatur substantiæ completæ inferioris ordinis, hanc statu independentiæ propriæ carere et melius est ac necessarium; Tract. *de Gratia*, n. 172.

Sic natura humana in Christo nobilius esse habet, dum fit pars individui Christi, quam si seorsim et uti individuum mere humanum subsisteret; siquidem, tunc dignitate humana non caret, nisi ut in divinam dignitatem attollatur.

Revera, in creaturarum ordinatione, imperfectum semper ad perfectum aliquo modo refertur, atque perfectius semper est aliquo modo causa, seu aliquo sensu dominus minus perfecti; ergo, quo perfectior et altior est aliqua natura aut substantia, eo aptior videtur, ut fiat pro aliis minus perfectis centrum attributionis. Aliunde, ens alicujus substantiæ per se non excludit novam perfectionem seu statum nobiliorem, quia ens enti non repugnat.

2. Status dependentiæ unius naturæ aut substantiæ

creatæ ab alia, ratione subsistentiæ, est factum contingens; ergo pendet a voluntate Creatoris. Potuit autem Deus, naturas creando, ita eas ordinare, ut quædam imperfectiores jam nullo modo ad seipsas pertinerent, sed ad alias magis perfectas totaliter de facto referrentur.

40. — Hinc propria subsistentia in natura divina est *essentialis* et *immutabilis*.

Namque natura divina est ens a se et summe perfectum: porro ens a se et summe perfectum est omnimodo independens et immutabile; ergo repugnat ens divinum ad alterum referri. Aliunde nulla concipi potest natura nobilior ipsa natura divina; et ideo repugnat naturam divinam alii tribui, a qua perficiatur, ac proinde propria personalitate carere.

NUMERUS II

De Unione hypostatica.

41. — *Quæritur* 1° quid sit *unio* in genere, et quotuplex esse possit unionis species?

Resp. Unio, in genere, est *nexus* seu *conjunctio extremorum*, quæ unum sunt in hoc, in quod conveniunt, et quæ distincta remanent in hoc, in quo non uniuntur. Triplex unio distingui potest, scilicet, *naturalis*, *moralis*, et *personalis* seu *hypostatica*.

42. — *Quæritur* 2° quid sit unio *naturalis?*

Resp. Naturalis unio illa est, quæ ex duabus aut pluribus *substantiis*, unam efficit *naturam* seu *unum principium operationis*, quod etiam vocatur substantia composita et completa, n. 33. Ex dictis enim in Tract. *de Trinit.*, n. 13, natura est principium operationis alicui rei intrinsecum; et ideo, posito quod duæ substantiæ ita ad unionem ex se habitudinem habeant, ut, nisi uniantur, facultatum sibi naturalium exercitio et functionibus partim saltem priventur, tunc, ubi copulantur, sese mutuo complent et perficiunt, atque efformant *unum* principium operationis *integrum* et *perfectum*, seu *naturam* unam.

Sic corpus humanum vivificatur ab anima, quæ est ejus *forma;* anima autem corpore indiget tanquam *instrumento* sibi *proprio,* ad suas fere omnes sibi intime inhærentes seu naturales operationes ; ergo anima et corpus, absque confusione substantiæ, per unionem sese mutuo complent et perficiunt, atque ideo constituunt *unum principium operationis* integrum et perfectum, quod *natura humana* nuncupatur. Vide Tract. *de Gratia,* n. 60-62.

43. — *Quæritur* 3° quid sit unio *moralis?*

Resp. Moralis unio ea est, quæ duas aut plures *personas* coadunat per *concordiam voluntatum,* seu per communicationem amicitiæ et donorum, v. g., unio inter amicos: si fiat ex communicatione gratiæ supernaturalis, dicitur unio moralis *gratiæ* seu *mystica, physico-moralis,* qualis est unio justorum cum Spiritu Sancto, qui tunc dicitur in illis inhabitare sicut in templo ; et ex hujusmodi unione homines dicuntur dii, adoptivi filii Dei, justi, sancti, etc. Vide Tract. *de Gratia,* n. 189.

44. — *Quæritur* 4° quid sit unio personalis seu hypostatica?

Resp. Personalis unio est conjunctio duarum aut plurium *substantiarum,* sive *naturarum* in una et eadem *persona;* sic corpus humanum et anima ad unum attributionis seu dominii centrum referuntur, quod est *persona humana* seu *homo. Homo* tamen dicitur quælibet persona, etiam *divina* terminans naturam humanam.

Ex præfata definitione, duæ substantiæ aut naturæ, *vi unionis hypostaticæ,* in persona tantum uniuntur; et ideo, si ex aliunde non interveniat aliud vinculum, illæ naturæ aut substantiæ remanent *in se distinctæ et inconfusæ,* et in suis operationibus unaquæque est integra, completa et perfecta. Unio igitur personalis ab unione naturali prorsus discrepat, nec eam necessario supponit, n. 42.

De *conditionibus* unionis hypostaticæ, jam aliquid dictum est, n. 38, 39. Nunc autem ejus *consectaria* evolvere perutile est. Scilicet,

45. — Hinc 1° *actiones sunt suppositi* aut *personæ;* id est, quando duæ aut plures substantiæ sive naturæ in unum suppositum sive personam coalescunt, singularum operationes, non ipsis, sed supposito aut personæ tribuuntur. Patet ex definitione unionis hypostaticæ : sic, v. g., in homine *manducare* non corpori humano, *velle* aut *gaudere* non animæ humanæ, sed personæ humanæ tribuuntur. Similiter generatio hominis fit quidem proprie in substantia corporali; attamen, cum humanum corpus sit pars humanæ personæ seu hominis, homo dicitur conceptus seu filius, vel generans seu pater aut mater.

46. — Hinc 2° actiones *contrahunt dignitatem* vel *indignitatem personæ agentis;* id est, quidquid a substantiis aut naturis hypostatice conjunctis peragitur, ejusdem dignitatis et valoris est ac persona, in quam conveniunt illæ substantiæ aut naturæ. Ex dictis enim, persona *suos* facit et modos, et proprietates naturarum, et ipsas substantias et naturas, quarum centrum seu terminus est; ergo, quo excellentior est persona, quæ agit, eo excellentiores et digniores sunt actiones, quæ ab ea exercentur, seu quæ illi tribuuntur.

Sic, v. g., in homine actus *manducandi* perficitur a corpore, et ideo ex se est actus *animalis;* at, cum tribuatur personæ humanæ, eo ipso hujusmodi actus fit *humanus,* atque personæ humanæ dignitatem sortitur.

47. — Hinc 3°, posita unione hypostatica, *fit idiomatum communicatio;* id est, naturæ, proprietates, accidentia seu operationes aut passiones singulis substantiis aut naturis hypostatice conjunctis propriæ, enuntiandæ sunt de persona, quæ est illarum naturarum centrum attributionis ; sic dicitur : homo est *spiritualis* et *corporalis.* Ex dictis enim, persona *suas* facit substantias aut naturas, quæ in ipsam conveniunt : ergo quidquid ad illas naturas aut substantias pertinet, personæ, in quam coalescunt, tribui debet.

48. — Hinc 4° communicatio idiomatum fit per terminos *concretos,* nunquam vero per terminos *abstractos.*

Etenim terminus *concretus* ille est, cujus significatio veluti concrescit et *componitur supposito et natura,* aut *proprietate,* aut *accidente* ad hoc suppositum pertinente, v. g., *homo,* id est, persona quæ habet naturam humanam ; *mortale, immortale* (*le* mortel, *le* immortel), id est, persona quæ habet naturam mortalem, immortalem. Unde, cum suppositum aut persona semper contineatur sub terminis concretis, per hujusmodi terminos fit idiomatum communicatio; v. g., homo est spirituale et corporale, id est, *persona* in homine subsistit in duplici substantia, alia spirituali, alia corporali.

E contra vero, terminus *abstractus* ille est, qui naturam, aut proprietatem, aut accidens exprimit, quatenus *a supposito abstractum,* v. g., mortalitas, immortalitas; ergo, cum tunc non adsit suppositum, communicatio fieri nequit; sic dici non potest, in homine spiritualitas est corporalitas, id est, *substantia* spiritualis est *substantia* corporalis; n. 96.

§ II

De notione mysterii Incarnationis.

49. — *Quæritur* 1° quid sit Incarnatio quoad rem?

Resp. Incarnationis mysterium definiri solet : *Unio hypostatica duplicis naturæ, divinæ et humanæ, in unica Verbi divini persona,* ex qua unione *unus* est *Christus.*

Dicitur 1° : *unio hypostatica* seu *personalis duplicis naturæ, divinæ et humanæ.* Unde 1. illa conjunctio duplicis naturæ fit *immediate* in una et eadem persona, in quam coalescunt duæ naturæ, divina et humana.

Unde 2. illa unio non est *moralis* tantum, seu per concordiam voluntatum, n. 43.

Unde 3. illa conjunctio non est *naturalis*, ita ut ex duplici natura, divina et humana, consequatur *una natura,* sicut ex anima et corpore fit una natura humana, n. 42. Duæ enim illæ naturæ *mediate* tantum per unicam personam inter se conjunguntur ; et ideo remanent erga se invicem distinctæ et inconfusæ, et in suis operationibus unaquæque, sine alterius concursu, est principium integrum.

completum et perfectum; ac proinde unaquæque naturales suas proprietates, proprias operationes, et actus proprios retinet, n. 44.

Attamen, cum tam arcta sit conjunctio inter unamquamque naturam et illam unicam personam, ut ex hac unione unum et idem exsurgat individuum, talis unio dicitur *physica, substantialis, intrinseca*, non autem *moralis, accidentalis, extrinseca.*

Dicitur 2° *in unica Verbi divini persona*. Unde 1. illa conjunctio duplicis naturæ, divinæ et humanæ, non fit mediante persona Patris, nec Spiritus Sancti, sed solummodo Verbi seu Filii. Unde 2. natura humana sic conjuncta caret propria seu *humana* personalitate, atque totaliter refertur ad Verbi divini personam, per quam ad summam personæ vere et proprie divinæ dignitatem attollitur, n. 46. Unde 3. Verbum divinum in hac unione dat quidem humanæ naturæ nobilius *esse*, sed ipsum nihil nobilius recipit: et ideo suam aliunde immutabilem personalitatem retinet, n. 40, atque terminat utramque naturam in seipso conjunctam.

Dicitur 3° : *ex qua unione unus est Christus*. Hoc quippe nomine designatur *individuum personaliter theandricum*, quod ex unione duplicis naturæ, divinæ et humanæ, in Verbi divini persona, exsurgit; vel melius, hoc nomine designatur natura humana, quatenus per Verbi personam terminata.

Itaque persona Christi in se seu *formaliter* sumpta, est omnino simplex, cum sit ipsamet Verbi divini persona; prout autem persona Christi sumitur *materialiter*,, id est, quatenus totum individuum seu Christus ex utraque natura coalescit, dicitur persona *composita*, n. 6.

50. — *Quæritur* 2° qui sit Incarnatio quoad nomen?

Resp. Quoad *nomen*, unio seu mysterium, de quo agitur, sub triplici respectu, scilicet, originis, finis et effectus, designari potest. 1. Si spectetur *origo* seu terminus *a quo*, illa unio dicitur *missio Filii*, Galat. 4, ℣ 4; Joan. 10, ℣ 26; vide Tract. de *SS. Trinit.*, n. 83, 93; vel *exitus a Patre, descensus e cœlo*, Joan. 6, ℣ 41.

2. Si vero consideretur *finis* seu terminus *ad quem*, humana scilicet natura, præfata unio dicitur *adventus in mundum* aut *in carnem*, Joan. 16, ℣ 28, II Epist., ℣ 7; vel *acceptio formæ servi*, *exinanitio*, *abreviatio*, *demissio*, Philipp. 2, ℣ 7; vel *epiphania* seu manifestatio in carne, *theophania* seu declaratio per carnem, I Tim. 3, ℣ 16; vel *corporatio*, *inhumanatio*, *assumptio humanitatis*, *dispensatio*, *attemperatio* aut *œconomia*, seu quædam accommodatio et indulgentia Dei, qui, temperato divinitatis fulgore, ad nos se demittere dignatus est, ut nos edoceret ac salvos faceret : ita sæpissime antiqui Patres.

3. Tandem, si inspiciatur *effectus* seu ipsum mysterium, vocatur *unio*, *unitio*, *unitas*, *adunatio* naturæ duplicis, divinæ et humanæ, in Verbi persona.

Sed communiter illud mysterium dicitur *Incarnatio*, seu *unio cum carne*. Quæ vox æquivalenter habetur in Joan. 1, ℣ 14 : *Verbum caro factum est*, eamque ad illud mysterium significandum usurparunt antiquissimi Patres, inter quos SS. Iren., Cypr., Augus., Hieron., et etiam Conc. Nicænum in Symbolo fidei : *Incarnatus est, et homo factus est.*

Et revera illa vox, quæ per se primo ignobiliorem partem termini *ad quem* seu naturæ humanæ designat, aptissime hic accommodata est. Etenim 1. quod difficilius videri poterat, ac remotius a Deo, illo verbo indicatur factum fuisse a Deo pro nobis. 2. Similiter hac voce exprimitur Deum infirmitates nostras, quæ verbo *carnis* significari solent, assumpsisse, ut homini, qui peccando, spiritualem vitam amiserat, carnalisque evaserat, Verbum caro factum eamdem vitam spiritualem redderet. 3. Denique vera caro animam in se complectitur; carnem enim veram esse *animatam* necesse est. Propterea in Scriptura nomine *carnis* totus homo sæpe designatur : « Omnis quippe *caro* corruperat viam suam; » Gen. 6. « Et videbit omnis *caro* salutare Dei; » Luc. 3, Rom. 3.

ARTICULUS II

De præcipuis erroribus circa Incarnationem.

51. — *Ratio hujus articuli.* Expositione errorum ac proinde authenticarum declarationum, quibus notio et definitio alicujus dogmatis fuit adulterata aut propugnata, melius hæc notio intelligitur, tutius præcavetur error, et efficacius refellitur, faciliusque intelliguntur testimonia, quibus illud dogma asseritur atque vindicatur. Hic igitur præcipuos errores circa mysterium Incarnationis breviter recensere perutile visum est.

In Christo autem considerare possumus vel *missionem divinam*, seu qualitatem Messiæ ab origine mundi promissi; vel *unionem hypostaticam Verbi* cum natura humana. Prius negant Judæi, Pagani et quotquot fuere omnium temporum increduli : hi omnes jam confutati sunt in Tract. *de Revelatione.* Posterius impugnant hæretici, et isti veniunt in præsenti Tractatu confutandi.

Porro triplici modo hæretici unionem hypostaticam impugnarunt, nimirum, a Christo detrahunt vel personalitatem Verbi, vel humanæ naturæ veritatem, vel partim finem et fructus Incarnationis. Itaque

§ I

De Hæreticis, qui a Christo detrahunt personalitatem Verbi divini.

Præcipui hujusmodi hæretici sunt Cerinthiani et Ebionitæ, Nestoriani, Protestantes plerique, Rationalistæ, Massones.

52. — 1° *Cerinthiani* et *Ebionitæ* in primo seculo, Paulus Samosatenus et Photinus in tertio seculo, confixere in Christo fuisse divinitatem per adoptionem tantum, seu per eximiam sanctitatem, aut per quamdam excellentem divinæ gloriæ participationem, quam per opera meruerat. Ariani etiam divinitatem ipsius Verbi rejiciendo, eo ipso Christi divinitatem negarunt.

Contra Cerinthum et Ebionem S. Joannes, jam ætate confectus, tota Asiæ Ecclesia illum instanter deprecante,

scripsit Evangelium suum, in quo miris et disertissimis verbis divinitatem Christi præcipue docet. Paulus autem Samosatenus damnatus est ac depositus a Conc. Antiocheno, an. 269, et Arius a Conc. Nicæno I, an. 325.

53. — 2° *Nestoriani* eumdem errorem renovarunt. Scilicet, juxta illos, 1. unio Verbi cum natura humana non est in Christo *personalis*, sed tantum *moralis* aut *mystica*, sicut in aliis hominibus sanctis, n. 43. Proinde 2. Christus non est vere Deus, sed merus homo quoad personam et naturam. Consequenter 3. B. Virgo genuit merum hominem, et nonnisi Filium Dei adoptivum per gratiam; et ideo non est *Deipara*, sed solummodo *Christipara*.

Attamen illi hæretici, dum separarent personas, ac ponerent aliam esse personam Filii Dei et filii hominis in Christo, simul eas sibi dicebant esse invicem unitas; scilicet, 1. secundum *inhabitationem*, in quantum Verbum Dei habitavit in illo homine sicut in templo; 2. per *unitatem affectus* quatenus voluntas illius hominis est semper conformis voluntati Verbi Dei; 3. secundum *operationem*, prout dicebant hominem illum esse Verbi Dei instrumentum; 4. secundum *dignitatem honoris*, prout omnis honor, qui exhibetur Filio Dei, coexhibetur filio hominis propter conjunctionem ad Filium Dei, 5. secundum *æquivocationem* seu communicationem nominum, prout dicimus illum hominem esse Deum et Filium Dei, Christum, Dominum, Sanctum aliquo sensu accommodatitio, ratione illius inhabitationis, unitatis, affectus, operationis et dignitatis. S. Th., 3 p. q. 2, a. 6.

Ita errarunt Theodorus Mopsuestenus, ejusque discipulus Nestorius, qui tanto ardore præfatam hæresim propugnavit, ut illius præcipuus assertor factus sit. Nestorius, Germanicia, Syriæ oppidulo ortus, prius monachus, deinde clericus et presbyter fuit in Antiochena Ecclesia. Jam vero, dicendi facundia celebris, moribus in speciem austerus, fucata modestia ac pietate, ad sedem C. P. (Constantinopolitanam), anno 427, evectus est. At non multo post, conceptum errorem evomere cœpit. Ita etiam, octavo

seculo, Felix Urgelitanus et Elipandus Toletanus, n. 89.

Contra Nestorium præcipuus catholicæ fidei defensor fuit S. Cyrillus, Patriarcha Alexandrinus, qui et nomine Papæ Cœlestini I præfuit Concilio Ephesino, generali III, anno 431, n. 11. In hoc Concilio damnata est hæresis Nestoriana; et ipse Nestorius pertinax anathemate percussus, jussu Theodosii Junioris Imperatoris, oasim Ægypti oppidum relegatus est, ubi ærummis calamitatibusque confectus, putrido toto corpore, linguaque consumpta vermibus, miserrimam vitam exitu dignissimo finivit.

54. — 3° *Protestantes* plerique et *Rationalistæ* nostris temporibus in Nestorianorum impietatem lapsi sunt, imo et eam facile superant. Nam, apud plurimos Protestantes, Christus, a Deo quidem missus, ut merus homo habendus est.

Juxta autem Rationalistas, Christus personalitate mere humana, sicut et cæteri homines, gaudet, atque conferri debet cum Pythagora, Socrate, Platone, Marco Aurelio, aut etiam cum Zoroastro, Confucio, Mahumeto, quos, ut ipsi autumant, Deus excitavit, ut dictis factisque populares suos edocerent, et a vitiis pravisque moribus arcerent. Attamen, juxta eosdem, inter illos famosissimos sapientes, primum locum sine dubio obtinet Christus doctrina, sapientia, sanctitate, omnibusque virtutibus.

Quinimo, apud quosdam hodiernos Rationalitas, Deus suiipsius conscientia non gaudet, nisi per animam humanam; ac proinde unio animæ humanæ cum corpore dicitur *Dei Incarnatio;* et hujusmodi sublimatio cujusque hominis per conscientiam, quæ est ipsius Dei conscientia, *Redemptio* nuncupatur. Cum vero Christus inter cæteros homines perfectione emineat, sequitur illam Dei Incarnationem et naturæ humanæ sublimationem seu Redemptionem in eo et per eum præ cæteris factam fuisse; ita ut Christus sit perfectissima expressio *ideæ humanitatis*. Vide Tract. *de Revel.*, n. 24.

At jam in pejus processere moderni Naturalistæ, quos fere omnes complectitur, ac in omnium errorum ac vitiorum

barathrum præcipites agit infanda ac impiissima Massonum secta, longe lateque diffusa et firmiter constituta. « Præcipua Massonum dogmata, inquit Leo XIII, Encycl. *Humanum genus*, 20 apr. 1884, tam valde a ratione ac tam manifeste discrepant, ut *nihil possit esse perversius*... Nihil enim jam dissimulantes consilia sua, excitant sese adversus Dei numen audacissime : Ecclesiæ sanctæ perniciem palam aperteque moliuntur, idque eo proposito, ut *gentes christianas, partis per Jesum Christum salvatorem beneficiis,* si fieri posset, *funditus despolient*,... moresque et instituta *ethnicorum* duodevirginti seculorum intervallo revocent... In hujusmodi voluntate vesana et tetra recognosci propemodum videtur posse *illud ipsum, quo Satanas in Jesum Christum ardet, inexpiabile odium ulciscendique libido.* » Unde pro illa adeo exitiali secta Jesus Christus est stultus vel audax felixque impostor, cujus regnum omni via ac conatu funditus evertere necesse est.

Hæc inter alia Rationalistarum ac Naturalistarum portenta orbi catholico gravissimis verbis denuntiarunt atque proscripserunt Gregorius XVI, Encyclica, *Alteram*, 1832; Pius IX, in Encyclica, *Noscitis*, 1846, et in allocutione, die 9 junii 1862, simul trecentis Episcopis adstantibus, et unanimi consensu adhærentibus. Eosdem Rationalismi errores recenset Conc. Vaticanum, cujus de hac re verba retulimus in Tract. *de Eccl.* n. 246. Tandem Leo XIII, in Encycl. *Humanum genus*, post iteratas prædecessorum suorum sententias in sectam Massonicam, eamdem iterum, ejus doctrinam universam, consilia, sentiendi consuetudinem et agendi denuntiavit, damnavit ac proscripsit ; vide Tract. *de Deo*, n. 12, 17 ; Tract. *de Gratia*, n. 124, 125. S. Th. *Cont. Gent.*, lib. 4, c. 28 et seq.

§ II

De Hæreticis, qui a Christo detrahunt humanæ naturæ veritatem.

Hi hæretici in Christo non agnoscunt vel realitatem corporis humani, vel animam rationalem, vel distinctionem naturæ humanæ a natura divina, vel duplicem voluntatem,

Tales fuere Phantasiastæ, Apolinaristæ, Eutychiani, Monothelitæ.

55. — 1° *Phantasiastæ* seu *Docetæ* corpus Christi fuisse mere phantasticum asseruere; ita Simon Magus, Marcion, Manes, etc. Juxta vero plures Gnosticos, in Christo fuit quidem verum corpus, sed cœleste et sidereum, nullo modo ex sanguine B. Virginis conflatum; ita Saturninus, Basilides, Valentinus, Apelles, Cerdo, Priscillianistæ, etc.

56. — 2° *Apollinaristæ* sentiunt Verbum assumpsisse corpus humanum absque anima rationali; Verbum enim creatum, ut aiunt, in corpore assumpto, mentis vices gerebat; ita Arius, Apollinaris et eorum asseclæ.

57. — 3° *Eutychiani*, ut in Christo unitatem personæ contra Nestorium servarent, dixerunt, ante unionem hypostaticam, duas fuisse naturas distinctas, divinam et humanam; in unione autem, duplicem illam naturam in unam coiisse; ac proinde Christi personam *ex* duabus quidem naturis esse, non vero *in* duabus naturis subsistere. Unde, quatenus asserebant ante unionem duas naturas et duas personas in Christo fuisse, in Nestorianismum, quem detestabantur, recidebant.

Quomodo autem ex duplici natura unam resultare dixerint illi hæretici, an per conversionem, vel confusionem, aut compositionem, disputatur. Probabilius tamen videtur humanitatem, juxta Eutychianos, a divinate, in quam conversa est, absorptam fuisse. Unde inferebatur B. Virginem non esse Deiparam; sicque iterum in impietatem Nestorii proruebant.

Illius erroris primus assertor præcipuusque propugnator fuit Eutyches, Presbyter et Archimandrita C. P., qui, ante medium seculi quinti, cum veritatem de unica Christi persona contra Nestorium acerrime propugnasset, in oppositum lapsus est.

Damnatus est Eutyches, anno 448, in Concilio privato C. P. Concilium istud approbavit S. Leo, Summus Pontifex,

qui egregiam de Incarnatione epistolam ad Flavinum, Patriarcham C. P., rescripsit, n. 24. Ab Imperatore Theodosio obtinuit tamen Eutyches, ut causa de novo expenderetur; atque ideo Ephesi coactum est Concilium, anno 449, quod, cum in eo per fas et nefas, duce Dioscoro, Patriarcha Alexandrino, omnia acta fuerint, *Latrocinium Ephesinum* dictum est. Tandem, sub Marciano, Theodosii successore, anno 451, Concilium generale IV Chalcedonense celebratum est, cui per suos Legatos præfuit S. Leo, Summus Pontifex, et in quo irreformabiliter damnata est Eutychiana hæresis, n. 25; atque Eutyches cum Dioscoro in exilium, jubente imperatore, deportatus est.

Innumeris cædibus ac turbis Orientalem Ecclesiam miscuerunt Eutychiani, etiam post Chalcedonense Concilium. Hactenus, maxime in Armenia, in Syria, Ægypto, Abyssinia, et sub regimine pseudo-patriarcharum Armeniæ, Antiochiæ, Alexandriæ, plures Eutychianæ hæresis vigent asseclæ, *Jacobitarum* nomine vulgo nuncupati, a Jacobo quódam Syro, qui deficientem eutychianismum fanaticis prædicationibus refocillavit. Attamen hoc nomen Jacobitarum hodie Nestorianis et Eutychianis in Ægypto et per totum Orientem commune est[1].

58. — 4° *Monothelitæ* consectarium hæresis Eutychianæ deduxerunt, scilicet, in Christo esse *unicam voluntatem* et *operationem*, ita ut natura humana in Christo actu proprio, imo et ipsa volendi facultate spoliata fuerit.

Hæc hæresis primum habuit defensorem Athanasium, Patriarcham Jacobitarum, anno 629, quem toto conatu subinde juvarunt plures, maxime Sergius, Pyrrhus et Paulus, Patriarchæ C. P.; Cyrus, Patriarcha Alexandrinus, et Macharius Antiochenus, inter Monothelitas celebrior.

1. Plerique ex hodiernis Jacobitis in eo duntaxat differre videntur a Catholicis (quos *Melchitas* seu Imperiales vocant, aut *Basilicos*, ob fidem Chalcedonensis Synodi, quam fingunt sola Imperatorum auctoritate fuisse susceptam), quod repudiant Chalcedonensem Synodum et Epistolam S. Leonis ad Flavianum, atque unam dici volunt Christi naturam, etiamsi in eo integritatem divinitatis et humanitatis agnoscant.

Inter præcipuos vero catholicæ fidei contra Monothelitas defensores, eminent Sophronius, Jerosolymarum Episcopus; S. Maximus, sub Constante martyr; Martinus I, et Agatho, sub cujus Pontificatu habita est, anno 580, III Synodus C. P., generalis IV, ad quam de duplici voluntate in Christo egregiam Epistolam scripserat Agatho, n. 26, et quæ Monothelismum irreformabili judicio damnavit, n. 28. Vide S. Th., *Cont. Gent.* lib. 4, c. 29 et seq.

§ III

De Hæreticis, qui a Christo finem et fructus Incarnationis partim detrahunt.

59. — Finis saltem proximus præcipuusque fructus mysterii Incarnationis, fuit condigna satisfactio divinæ justitiæ pro peccatis hominum, atque hominum reformatio per meritum et ad imaginem Redemptoris. Porro hunc finem atque fructum Incarnationis subruere conatum est triplex hæreticorum genus. Scilicet.

1° Alii, repudiantes peccatum originale, eo ipso negant Christum veram pro genere humano rependisse satisfactionem; atque autumant esse tantum doctorem et exemplar, ad cujus imitationem peccata nostra eluere debemus, semitamque vitæ æternæ ingredi. Ita Pelagiani, Sociniani, Protestantes plerique et Rationalistæ,

2° Juxta plures, homines ex ineluctabili Dei decreto prædestinantur alii ad gloriam, alii vero ad ignem æternum; et proinde Christus sanguinem suum obtulit pro solis ad gloriam prædestinatis. Ita Prædestinatiani, Wicklefus, Lutherus, Calvinus, Jansenius, n. 196.

3° Denique, iidem Protestantes et Janseniani, cum de medio sustulerint liberum hominis lapsi arbitrium, ejusdem hominis interiorem reformationem ad imaginem Christi impossibilem fecerunt; et ita etiam hodie Pietistæ et Methodistæ, etc.

Illas omnes hæreses de novo aut iterum damnavit Conc. Tridentinum, et postea etiam easdem proscripserunt SS. Pontifices. Hæc omnia fusius exponuntur in Tract. *de Gratia.*

Nunc vero, ex præfata expositione, patet omnes hæreses circa Incarnationis mysterium, ad duplicem negationem reduci posse, nempe, 1, ad negationem *ipsius unionis hypostaticæ* Verbi divini cum natura humana; 2, ad negationem, ex parte saltem, *finis* et *fructuum* hujusmodi unionis. Porro dogma contra primum errorem in sequenti capite statuetur; contra autem secundam erroris speciem, stabilietur dogma in cæteris hujusce Tractatus capitibus, et in Tractatibus *de Gratia* et *de Sacramentis*.

ARTICULUS III

De possibilitate Incarnationis.

Possibilitas est positiva vel negativa : prior est convenientia percepta inter duos terminos; posterior vero consistit, in eo quod nulla repugnantia inter duos terminos percipitur. Positiva autem Incarnationis possibilitas demonstrari nequit, bene vero negativa; unde duplex propositio.

PROPOSITIO PRIMA

74. — *Solius rationis ope, convenientia inter personam Verbi et naturam humanam, ad unionem hypostaticam, percipi nequit.* Ita communiter.

Prob. 1° ex modo loquendi Scripturæ et SS. Patrum. Illam enim vocant *investigabiles divitias Christi, sacramentum* et *mysterium absconditum a seculis et generationibus*, Eph. 3, ℣ 5; Colos. 1, ℣ 26; I Cor. 2, ℣ 7; *novum omnium novorum, omni humana cognitione superius*; SS. Damasc., lib. 3, c. 1; Cyrill. Alex. *de Incarn.* c. 7, etc.

2° *Ratione.* Ad perceptionem convenientiæ inter duos terminos, requiritur utriusque termini cognitio : atqui intellectus humanus non cognoscit personam Verbi, nec aptitudinem naturæ humanæ ad Verbi personalitatem recipiendam, nec omnipotentiam Dei ad constituendam illam unionem; ergo hujusmodi unionis convenientia ratione percipi et demonstrari nequit.

Insuper talis unio est in se factum omnino supernaturale, atque nullo modo contentum in causis et effectibus natura-

libus; ergo nec a priori, nec a posteriori ratio potest illam tanquam positive convenientem demonstrare. Cæterum nec magis positive conveniens demonstratur unio hypostatica corporis humani cum anima [1].

75. — Attamen, supposita fide hujus mysterii, ratio potest illud verisimile facere conjecturis, exemplis aut congruentiis.

Namque 1., ex dictis, n. 39, quo perfectius et nobilius est aliquod ens, eo aptius est, ut fiat pro alio centrum attributionis, et ideo ad unionem hypostaticam quasi propinquius videtur : atqui persona Verbi est summe perfecta et nobilis, natura autem humana est inter rationales creaturas, infima; ergo, ex parte Verbi divini, summa adest aptitudo, ut fiat centrum attributionis pro natura humana, et in hac natura maxima etiam adest aptitudo ad recipiendam Verbi personam.

2. Revera existit unio hypostatica inter corpus et animam ; atqui Verbum Dei multo specialiorem affinitatem habet cum natura rationali, quam anima cum natura corporali; et etiam, ratione suæ virtutis infinitæ, Verbum multo intimius et efficacius penetrare potest naturam rationalem, quam anima penetrat corpus, et corpus animam, ad unionem hypostaticam; ergo multo eminentius, intimius et ineffabilius Verbum cum natura rationali seu humana uniri potest, quam anima cum corpore. Unde, cum dicitur : « *Sicut* anima rationalis et caro unus est homo, *ita* Deus et homo unus est Christus, » n. 6, hoc exemplum non sic ponitur, ut omnimoda similitudo sit in

1. « Supposons pour un moment que l'homme, au lieu d'avoir une nature mixte, ait été créé pur esprit. On vient lui dire que la matière est susceptible de s'unir à l'intelligence, de prendre part à ses opérations, et d'entrer comme partie intégrante dans un composé, qui sera un être raisonnable. Le croira-t-il? se formera-t-il l'idée d'un pareil assemblage? Combien d'impossibilités prétendues se dresseront devant lui!... Mais parce que nous sommes bien obligés de constater en nous-mêmes une organisation semblable, toutes les impossibilités s'évanouissent; l'habitude nous a tellement familiarisés avec cette association des contraires, que nous finissons par trouver qu'il n'y a rien de plus simple. » P. Matignon, *La question du surnaturel*, 2e p., c. 7.

eo requirenda. Verbum enim divinum multo sublimius et intimius naturæ humanæ unitur, quam anima corpori. S. Th. *Cont. Gent.*, lib. 4, c, 41.

3. Tandem non parum hujus mysterii convenientiam probant, tum conscientia quam de illo habuit genus humanum, ut infra exponetur, n. 83; tum miræ congruentiæ, quas ex divinis attributis, ex totius universi perfectione, et ex bono hominis infra deducemus, n. 172, 175, 190.

PROPOSITIO II

76. — *Nulla repugnantia in mysterio Incarnationis ratione percipitur*. Certum est.

Ita contra Socinianos et Rationalistas. n. 54, Etenim 1. ab actu ad posse valet consecutio : atqui, ex dicendis, existit factum Incarnationis; ergo non repugnat.

2. Ut percipiatur inter duos terminos disconvenientia, requiritur utriusque cognitio : atqui, ex dictis, n. 74, ratione non cognoscimus Verbi personam, nec omnes humanæ naturæ aptitudines, nec Dei omnipotentiam ; ergo percipere non possumus aliquam disconvenientiam unionis inter Verbum et humanam naturam. Quare omnes difficultates, quæ in hac materia moveri solent, ex adulterata mysterii notione oriuntur; et ideo, ut statim evanescant, sufficit clara et simplex hujus mysterii expositio.

77. — *Obj.* 1° Verbum est immutabile : atqui incarnari non posset, quin mutaretur ; ergo, etc.

Resp. Nego minor. Etenim non magis mutatur Verbum in Incarnatione, quam Deus in creatione. Scilicet, Deus, cum ex non creante factus est creans, nihil tunc in ipso intrinsece recepit, nihil amisit, et proinde non mutatus est : porro similiter, in Incarnatione, Verbum in seipso intrinsece nihil recipit aut amittit, sed sola natura assumpta recipit Verbi personam ; ergo hæc sola natura mutatur.

Et vero, post Incarnationem, Verbum dicit : *Ego ambulo, Ego intelligo, Ego volo :* atqui sola vox *Ego* intrinsece spectat et afficit Verbum *post*, sicut *ante* Incarnationem ; *ambulare* autem, *intelligere*, *velle* totum perficitur in natura humana et per hanc naturam, ita ut Incarnatio proprie consistat, in eo quod τὸ *Ego* Verbi incidat in *intelligere, velle, ambulare*

naturæ humanæ; ergo nullo modo in se mutatur τὸ *Ego* Verbi divini.

78. — *Inst.* 1. Qui de novo aliquid acquirit, mutatur : atqui, per Incarnationem, Verbum de novo acquirit humanam naturam; ergo in Incarnatione mutatur.

Resp. Disting. major. Mutatur, qui aliquid acquirit, quod antea non habebat, ita ut exinde perficiatur, *conc.*; mutatur, qui aliquid acquirit, quo antea eminenter et infinite jam fruebatur, *nego.* Porro, sicut, *creando*, Deus non mutatur. quia, post creationem, sunt quidem *plura entia*, non autem adest *plus entis*, quo perficiatur ens infinitum; ita Verbum, dum fit terminus naturæ humanæ, non mutatur, quia, post Incarnationem, adest quidem *alia* et *nova dignitas* in natura humana, sed non *plus dignitas* aut *entis*, quo perficiatur Verbum divinum.

Revera, ad relationem et ideo unionem realem, sufficit relatio et ideo mutatio *realis in uno tantum* ex terminis relatis seu conjunctis : porro, in Incarnatione, relatio est realis ex parte naturæ assumptæ, et tantum rationis ex parte Verbi; sicut in creatione, relatio est rationis tantum ex parte Dei creantis, et realis ex parte naturæ creatæ. Etenim Deus creator et Dominus est, non quia ut talis ipse intrinsece refertur ad creaturas, alioquin in ipso esset aliquid contingens; sed quia creaturæ vere et realiter ad Deum, sicut ad primum principium et finem ultimum, referuntur, et proinde relatio est realis in creaturis, et rationis tantum in Deo. S. Th., 1 p., q. 13, a. 7.

Porro, similiter, Verbum est naturæ humanæ terminus, non quia ut tale ipsum intrinsece refertur ad illam naturam, alioquin in ipsa Verbi persona adesset aliquid contingens; sed quia natura assumpta vere et realiter ad Verbi personam refertur; ergo relatio est realis in natura assumpta, quæ ideo vere mutatur; et rationis tantum in Verbo, quod proinde immutabile permanet.

79. — *Inst.* 2. Repugnat Verbum incarnari, quin simul incarnentur tres personæ divinæ; opera enim ad extra sunt tribus divinis personis communia : atqui tamen, ex definitione mysterii Incarnationis, Verbum unice caro factum est; ergo repugnat hujusmodi mysterium.

Resp. Nego major. Nam Verbum a Patre et a Spiritu Sancto realiter distinguitur : atqui non repugnat personam

ab aliis distinctam cum natura huma uniri, quin simul et eodem modo uniantur aliæ personæ ejusdem essentiæ.

Revera, in Incarnatione, distingui possunt, *unio* seu factum ipsum, et *unitio* seu operatio facti : porro unitio seu operatio, qua humana natura Verbo conjungitur, est quidem *opus* ad extra, et ideo tribus divinis personis commune; *unio* autem non est actio aut operatio, sed terminus divinæ operationis ad extra; ergo non repugnat talem unionem esse Verbo propriam.

Itaque Verbum incarnatum considerari potest quasi indutum natura humana sicut *habitu* seu vestimento quodam, Philip. 2, ℣ 7; tres autem personæ divinæ sunt quasi hoc habitu Verbum induentes : atqui non repugnat tres personas divinas simul esse hoc habitu Verbum induentes, quin eo ipso et ipsæ hoc eodem habitu induantur.

80. — *Inst.* 3. Summe dedecet Verbum divinum in unitatem personæ assumere naturam creatam, mortalem, miseriis obnoxiam, saturatam opprobriis; ergo repugnat unio hypostatica Verbi cum natura humana.

Resp. Nego anteced. Etenim non repugnat infinitam bonitatem seu charitatem esse infinite diffusivam sui : atqui Deus *charitas* est; ergo non repugnat Deum ad bonum creaturarum infinite et ideo modo etiam passibili sese communicare, juxta illud ; *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*, Joan. 3, ℣ 16. Et vero, infra videbimus unionem Verbi divini cum natura humana opprobriis saturata, maxime consentaneam esse divinis attributis, totius universi perfectioni, et saluti hominum.

81. — *Obj.* 2° Post unionem hypostaticam cum Verbo, natura humana caret propria personalitate : atqui illud repugnat; ergo, etc.

Resp. Nego minor. Ex dictis enim, n. 38, personalitas propria non est essentialis naturæ creatæ; aliunde etiam constat Verbo inesse summam aptitudinem, ut fiat terminus naturæ humanæ, et similiter naturæ humanæ æqualem inesse aptitudinem ad hujusmodi personam recipiendam, n. 39, 75 : ergo, non solum non repugnat, sed maxime convenit naturam humanam, in unione cum Verbo, propria carere personalitate. Eadem ratione solvitur objectio ex infinita distantia inter Verbum et humanam naturam desumpta.

CAPUT II

DE FACTO INCARNATIONIS

Ad delineandam Christi *constitutionem*, quatuor erunt articuli : 1° de existentia et proprietatibus Incarnationis; 2° de persona assumente; 3° de dotibus animæ assumptæ; 4° de dotibus corporis assumpti.

ARTICULUS PRIMUS

De existentia et proprietatibus Incarnationis.

§ I

De existentia Incarnationis.

82. — Ut hoc totius Tractatus ponatur fundamentum, atque confutentur omnes hæreses supra recensitæ, n. 52-68, sub forma propositionis statuemus 1° unionem hypostaticam Verbi cum natura humana; 2° duplicem naturam; 3° duplicem operationem; 4° animam vere rationalem et corpus vere humanum in Christo; 5° ejus naturalem sive ex Deo Patre, sive ex B. Virgine filiationem; 6° tandem idiomatum in Christo communicationem in concreto. Cæterum, quinque posteriores propositiones nihil aliud sunt quam prioris consectaria aut evolutio quædam et applicatio.

PROPOSITIO PRIMA

83. — *Verbum divinum est hypostatice conjunctum cum natura humana in Christo Jesu.* De fide est.

Prob. Scriptura, Traditione et rationibus theolog., contra Cerinthianos, Nestorianos, Rationalistas, etc., n. 52-54.

Et quidem 1° *Script.* In *Vet. Test.* dicitur : « Ecce *Virgo* concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus *Emmanuel*... *Parvulus natus* est nobis, et filius datus est nobis, et factus est *principatus super humerum ejus*, et vocabitur nomen ejus *Admirabilis*, *Consiliarius*, *Deus*, *Fortis*, *Pater futuri seculi*, *Princeps pacis*. » Isai. 7, ỷ 14; 9, ỷ 6, 7. In hoc textu uni et eidem *personæ* tribuuntur nativitas ex vir-

gine et simul divinitas, et proinde in illis verbis agitur de individuo personaliter theandrico, quod ideo expresse et proprie *Emmanuel* denominatur ; porro, ex S. Matth., 1, ℣ 22, 23, illud individuum a Propheta prænuntiatum, est ipse Jesus Christus ; ergo Jesus Christus est persona divina in natura humana subsistens.

In *Nov. Test.* et in scriptis Apostolorum idem constanter exprimitur, vel manifeste supponitur. *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis;* Joan., 1, ℣ 14. Unde sic : Verbum factum est caro, vel per conversionem sui in naturam humanam ; vel per unionem moralem aut mysticam, n. 45 ; vel per unionem hypostaticam : atqui duo priora dici non possunt. Non *primum* quidem ; ex dictis enim, n. 40, personæ divinæ sunt essentialiter immutabiles. Nec *secundum* etiam ; nam quocunque gradu unus, v. g., Petrus, uniatur per affectum cum altero, v. g., cum Joanne, absurdum est dicere : Petrus factus est Joannes. Aliunde, unio moralis et mystica Dei cum Sanctis fit a constitutione mundi, et est tribus personis divinis communis : porro nusquam legitur quod, per hanc gratiæ unionem, Deus factus sit caro in unoquoque Justorum, seu factus sit Moyses, Jeremias, etc. Ergo Verbum factum est caro per unionem hypostaticam.

Idem sic affirmat S. Paulus : « Hoc sentite in vobis, quod et in *Christo Jesu ; qui,* cum in *forma Dei esset,* non rapinam arbitratus est esse *se æqualem Deo ;* sed semetipsum exinanivit, *formam servi* accipiens, in similitudinem hominum factus, et *habitu inventus ut homo..., factus obediens* usque ad *mortem, mortem* autem *crucis ;* » Philipp., 2, ℣ 4-8. Quibus verbis ille idem dicitur accepisse formam seu naturam servi, qui erat in forma seu natura Dei ; idem prædicatur æqualis Deo, propter formam Dei, qui minor est Deo propter formam servi ; idem dicitur exinanitus, qui, cum esset in forma Dei, formam servi accepit ; ergo idem Jesus Christus est persona divina subsistens in utraque natura, divina et humana.

Similiter, in Scripturis, unus et idem Jesus Christus sæpissime declaratur *Auctor vitæ,* et *interfectus ; Deus,* et qui Ecclesiam *proprio sanguine sibi acquisivit ;* Act., 3, ℣ 15 ; 20.

℣ 28; — *proprius* Dei *Filius, splendor gloriæ* et *figura substantiæ Patris*, et simul *factus ex muliere*, filius *hominis, traditus* pro nobis omnibus, *mortuus;* Rom., 5, ℣ 9, 10; 8, ℣ 32; Galat., 4, ℣ 4; Hebr., 1, ℣ 1-14; — Ille, *per quem, propter quem* sunt *omnia*, qui homines *in gloriam* adducit, qui est *auctor salutis humanæ;* et simul, qui *passus* est, et *mortuus;* Hebr., 2, ℣ 10; I Cor., 8, ℣ 6; — Ille, *in quo condita sunt universa* in cœlis et in terra, et simul, *primogenitus ex mortuis;* Coloss., 1, ℣ 15, 18. Porro, in illis textibus, agitur de una et eadem persona, de uno et eodem individuo, cui simul tribuuntur ea, quæ sunt naturæ divinæ et naturæ humanæ; ergo Jesus Christus est persona divina subsistens in utraque natura. divina et humana.

Revera, non solum illa personalitas divina in natura humana mire comprobatur ex *vita et doctrina* Jesu Christi, ex dictis in Tract. *de Revelat.*, n. 224, 227, 228, sed etiam *factis*, quibus quasi alternis vicibus et divinitas hominem illustrat, et humanitas divinitatem obscurare videtur. Scilicet, Christus in carne concipitur, sed ex Virgine, de Spiritu Sancto, et prænuntiante Angelo. — In humili et obscuro loco nascitur atque jacet; sed et præcones habet Angelos; stella de novo in Oriente præfulgens, illum manifestat; a pastoribus et Magis ut Deus, rex et homo agnoscitur et adoratur. — Fugit in Ægyptum, sed ex monitu Angelico, ibique idola sua præsentia subvertit. — Vivit pauper et abjectus; sed stupenda proprio nomine operatur; ac in monte, coram Apostolis, in corpus suum divina transfunditur gloria. — Baptizatur a Joanne; sed Spiritus Sanctus visibiliter super eum descendit, atque de cœlo clamat Pater : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* — Esurit in deserto, sed ministros habet Angelos. — Rapitur a militibus; sed eos prius voce prosternit, et auriculam Malcho restituit. — Cruci affigitur; sed scelus horret terra, et concutitur. — Moritur; sed obscuratur sol. sepulcra aperiuntur, mortui reviviscunt. — Sepelitur, sed propria virtute resurgit, in cœlum ascendit, Spiritum Sanctum ad suos mittit, atque a novemdecim seculis renovat faciem terræ. S. Th., 3 p., q. 44, a. 2, ad 3.

2° *Traditione*. SS. Patrum et Ecclesiæ fides de præsenti mysterio adeo constans et unanimis neminem præterit; aliunde illa fides, a primis seculis, contrahitur in Symbolis de Incarnatione præcipue exaratis, et in decretis Conciliorum, quæ de eadem pluries habita fuere. Namque, in Symbolis Apostolico, Nicæno, Constantinopolitano, Athanasiano, unus idemque Christus declaratur « *Unigenitus Filius* Patris, *Deus verus* de Deo vero, et simul *descensus* de cœlo, *incarnatus, factus homo* ex utero B. Virginis, *passus, crucifixus, mortuus, perfectus Deus* et *perfectus homo;* unus, non conversione divinitatis in carnem, sed *assumptione humanitatis in Deum;* unus, non confusione substantiæ, sed *unitate personæ;* » n. 6,

Idem expresse sic definivit Conc. Ephesinum, n. 12 : « Si quis non confitetur *carni secundum hypostasim unitum Verbum Dei Patris, unumque esse Christum* cum propria carne, *eumdem* scilicet *Deum simul et hominem : anathema sit.* » Idem definivit Conc. Chalcedonense, n. 25.

3° *Ration. theol.*[1]. 1. Christus, in plurimis Scripturæ locis, verbis apertissimis, omni modo et occasione se dicit vere et proprie *Deum;* scilicet, affirmat se esse *Unigenitum Filium Dei, principium omnium rerum, lucem mundi, viam,* ipsam *veritatem, vitam, resurrectionem, supremum* vivorum et mortuorum *judicem;* Joan., 8, ✝ 12, 25; 3, ✝ 16, 18; 11, ✝ 25; 14, ✝ 6; Matth., 24, ✝ 30; 25, ✝ 31. *In nomine suo* et miracula patratur, et peccata remittit, et promittit gratiam, quæ animas purificat et ad gloriam perducit; coram judice se esse *Filium Dei* aperte confitetur, et, ob hujusmodi affirmationem, reus mortis declaratur; Luc., 5, ✝ 20; 7, ✝ 48; Joan., 3, ✝ 17, 36; 10, ✝ 9; 19, ✝ 7; Marc., 14, ✝ 61, 62, 63. Tandem Apostolis committit missionem divinitatem suam docendi; eis jubet ut *in suo nomine* pec-

1. Rationes theologicæ aut congruentiæ in hujusce Tractatus decursu evolvendæ, forsan aliquando numerosiores, aliquando non omnino peremptoriæ videbuntur : si prius, nihil facilius quam quasdam prætermittere; si posterius, argumentum nihilominus tantum lumen faciet, in quantum requiritur, ut vere utile permaneat : « De rebus *nobilissimis* quatumvis *imperfecta cognitio maximam perfectionem* animæ confert, » ait S. Th. *Cont. Gent.*, lib. 1, c. 5.

cata remittant, rogent Patrem, miracula patrentur; atque in hac suæ divinitatis fide præcipuum ponit suæ Religionis fundamentum, et omnem spem salutis; Joan., 9, ỷ 35; 11, ỷ 25, 27; 14, ỷ 13, 23; Luc., 10, ỷ 19; Matth., 28, ỷ 18, 19, 20.

Unde sic : in Tract. *de Revelatione*, omni testimoniorum genere probatum est, Christum esse Messiam per quatuor millia annorum figuratum, prænuntiatum a Prophetis, a cunctis gentibus desideratum; ergo, dum se dicit proprium et Unigenitum Filium Dei, et Deum ipsum, non est deceptus, nec deceptor; ac proinde Christus est Verbum subsistens in natura humana.

Et vero, si Christus non est vere Deus, tunc, dum divinitatem omni modo et occasione sibi vindicat, atque fidem suæ divinitatis omnibus imponit, eo ipso fit omnium hominum stultissimus, vel præ omnibus cæteris impius : atqui tamen, juxta ipsos Rationalistas, Christus non solum stultus non est, nec impius, sed inter sapientes omnium seculorum primus eminet, doctrina, sapientia, sanctitate omnibusque virtutibus, n. 54; ergo, ex ipsis Rationalistis, necesse est quod Christus sit verus Deus et verus homo.

2. Ante Christum, mundus totus divisus erat in eos, qui sperabant in Messiam, qui Christus est, ex probatis in Tract. *de Revelatione*, n. 186; et in eos, qui infandos turpissimosque Deos colebant. A Christo autem ad nos usque, mundus totus etiam divisus est in Christianos, qui profitentur et adorant Verbum hypostatice conjunctum cum natura humana in Chisto Jesu, cujus vita, doctrina et cultus omnibus cupiditatibus sine requie, sine fine adversantur; et in Antichristianos, qui, scilicet, vel nullum Deum practice colunt, vel hactenus in turpissima idololatria jacent.

Præterea, quæcumque fuerunt ab origine mundi ad nos usque sanctæ cæremoniæ atque leges; quæcumque prophetiæ, miracula, martyria, præstantissima omnium virtutum exempla : quæcunque a novemdecim seculis scientiarum evolutiones, quilibet veræ civilisationis effectus, quæcunque barbarorum ad humanitatis officia informatio, dimanarunt a fide in Christum Messiam et Deum, quasi a pri-

mario principio et a suo naturali fonte, atque ideo il omnia semper et ubique hujusmodi fidem directe et pr prio pondere confirmaverunt et propagarunt.

Ergo nisi Christus sit vere Verbum in natura huma subsistens, 1. nunquam in terris viguit cultus veri De sed semper et ubique genus humanum ante falsi numin simulacra fuit provolutum.

Ergo 2. necesse est ut fides, doctrina et praxis Patria charum, Apostolorum, Patrum et quotquot fuerunt præ tantissimi ingenii, aut tota aut certe ex magna parte vi letur : « necesse est, ut omnes omnium ætatum fidele omnes Sancti, omnes casti, continentes, virgines, omn Clerici, Levitæ et Sacerdotes, tanta Confessorum milli tanti Martyrum exercitus, tanta urbium, tanta populoru celebritas et multitudo, tot insulæ, provinciæ, reges, ge tes, regna, nationes, totus postremo jam pene terraru orbis per catholicam fidem Christo capiti incorporatu tanto seculorum tractu ignorasse, errasse, blasphemass nescisse quid crederet pronuntietur ! » Vincent. Liri *Comm.* c. 24.

Ergo 3. nullum homini superest veri et boni criteriun nec est verus Deus in cœlis ; sed atheismus solus ration biliter profitendus manet[1].

1. « Il n'y a pas de Dieu dans le ciel, si un homme a pu concevoir et e *cuter, avec un plein succès*, le dessein gigantesque de dérober pour lui *seul* culte suprême, en usurpant le nom de Dieu. Jésus est le seul qui l'ait *osé* ; est le seul qui ait dit clairement, affirmé imperturbablement lui-même de l même : *Je suis Dieu*, ce qui est bien différent de cette affirmation : *Je suis Dieu*, ou de cette autre : *il y a des Dieux*, L'histoire ne mentionne aucun au individu, qui se soit qualifié lui-même de ce titre de Dieu dans le sens *abso* La fable n'établit nulle part que Jupiter et les autres dieux se soient eux-mên divinisés. C'eût été de leur part, le comble de l'orgueil et une monstruosité, u extravagance absurde...

« Comment donc un Juif, lui seul, le fils d'un charpentier, se donne-t-il t d'abord pour Dieu même, pour l'Etre par excellence, pour le Créateur de tou choses? Il s'arroge toutes sortes d'adorations... On s'extasie sur les conquê d'Alexandre ! Eh bien ! voici un conquérant qui confisque à son profit, qui un qui s'*incorpore* à lui-même, non pas une nation, mais l'*espèce humaine*. Q miracle ! L'âme humaine, avec toutes ses facultés, devient une annexe de l'ex tence du Christ !

« Et comment? Par un prodige qui surpasse tout prodige. Il veut l'*amour* d

4° *Ex conscientia generis humani.* Incarnatio adeo placuit omnium rationi et conscientiæ, ut illam velut necessariam ad reformationem generis humani æstimaverint et celebraverint nobilissimi ex philosophis et poetis gentilibus; atque vulgus gentilium non alia fere numina coluerit, quam Deos-homines, vel homines-Deos. Quin etiam hodierni Rationalistæ, qui incarnationem Verbi rident quasi mythum, assimilantque Gentilium fabulis, ipsi quoque mysterium hominis-Dei prædicant, et extendunt ad supremos usque absurditatis fines. Quid est enim pantheismus, quem plus minusve explicite profitentur illi increduli, nisi conventio Dei, hominis et mundi in unam non modo personam, sed et *substantiam?*

Idem mysterium comprobari posset miris *congruentiis*, quæ melius evolventur in tertio capite.

Objectiones autem, quæ contra thesim afferri solent, jam in Tract. *de SS.ª Trinit.*, n. 42 et seq., expositæ et discussæ fuerunt.

PROPOSITIO II

84. — *Duæ sunt in Christo naturæ realiter distinctæ, divina et humana.* De fide est.

Ita contra Eutychianos, n. 57. Deducitur ex thesi præcedenti. Etenim 1°, in probationibus præcedentis propositionis, uni et eidem Jesu Christo tribuuntur, quæ sunt propria naturæ divinæ et naturæ humanæ; Christus etiam omni modo se dicit Deum simul et hominem; denique ut talis ab orbe Christiano agnoscitur; ergo in Chisto Jesu duæ sunt naturæ realiter distinctæ, divina et humana.

2° Idem expresse prædicatur in Symbolis supra relatis,

hommes, c'est-à-dire, ce qu'il y a de plus difficile au monde d'obtenir, ce qu'un sage demande vainement à quelques amis, un père à ses enfants, une épouse à son époux, un frère à son frère, en un mot, *le cœur.* C'est là ce qu'il veut pour lui; il l'exige absolument, et *il y réussit tout de suite. J'en conclus sa divinité.* Alexandre, César, Annibal, Louis XIV, avec tout leur génie, y ont échoué. Ils ont conquis le monde, et ils n'ont pu parvenir à *avoir un ami.* » Napoléon Ier *à Sainte-Hélène.* Equidem illorum verborum authenticitas nostris diebus in dubium revocata est. Quidquid sit, tota nihilominus remanet vis ratiocinii præfatis verbis expressi.

n. 83; atque sic a Conc. Chalcedonensi definitum est « Confitemur *unum eumdemque Christum, Filium Dominum unigenitum, in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter* agnoscendum, nusquam *sublata naturarum differentia,* propter unitionem, magisque *salva proprietate utriusque naturæ;* » n. 25.

3º Revera hæc utriusque naturæ distinctio in Christo Jesu manere potuit et debuit. *Potuit* quidem; nam, e dictis, n. 44, unio duarum substantiarum aut naturarum in una et eadem subsistentia, per se non supponit unionem in una et eadem natura.

Debuit etiam. Duæ enim substantiæ in una et eadem natura uniuntur, quando utraque alterius concursu indiget sin ad omnes, saltem ad plures sibi naturales operationes: porro natura divina nullo modo indiget concursu naturæ humanæ, ad operationes sibi naturales; et similiter natura humana absque unione cum natura divina, potest operationes sibi proprias perficere; ergo utraque distincta re manere debuit.

Et vero, si una tantum ex duabus naturis post unionem in Christo remansisset, illud factum fuisset per *compositionem,* aut *confusionem,* aut *conversionem :* porro in his tribus casibus aliquo modo mutaretur natura divina, a qua tamen excluditur vel levissima vicissitudinis obumbratio Jacob. 1, ỳ 17; ergo illa duplicis naturæ unio in una et eadem natura repugnat.

Aliunde, si ex duabus naturis unica post unionem remansisset, tunc Christus passus et mortuus fuisset tam in divinitate, quam in humanitate : quod repugnat; sed etiam Incarnatio, sicut et natura divina, tribus divinis personis foret communis; quod falsum est, ex præcedenti propositione; ergo utraque natura, divina et humana, in Christo distincta permanet.

Itaque, cum dicitur in Symbolo, n. 6 : « *sicut* anima rationalis et caro unus est homo, *ita* Deus et homo unus est Christus, » hæc comparatio non in omnibus usurpari debet; sed penes personam, non vero naturam, se tenet, ita ut sensus iste sit : quemadmodum anima et corpus in uni-

cam *personam* conveniunt, sic Deus et homo in unica Christi persona subsistunt. Hæc responsio probatur ex aliis ejusdem Symboli articulis, qui duas in Christo naturas apertius exprimunt.

PROPOSITIO III

85. — *In Christo duplex est voluntas et operatio, divina et humana.* De fide est.

Ita contra Monothelitas, n. 58. Sequitur ex thesi præcedenti. Namque, ex jam dictis, n. 84, duplex est in Christo natura realiter distincta, divina et humana, seu duplex operationis principium : porro hoc nihil aliud est quam duplex voluntas et operatio, divina et humana; ergo utraque est in Christo.

Revera, in Scripturis, de Christo dicitur, quod fuit *obediens* usque ad mortem, *mitis, humilis, faciens* semper quæ *placita* sunt *Patri*, ita ut descenderit de cœlo, non ut faceret *voluntatem suam*, sed *voluntatem ejus*, qui misit eum : porro, in his verbis, expresse affirmatur in Christo voluntas libere subjecta seu humana, et voluntas Patris, cui prior subjicitur, et quæ per naturam divinam Verbo communis est ; ergo, etc.

Idem definivit Conc. Chalcedonense, n. 55 ; et etiam Conc. generale VI statuit « *duas naturales voluntates in Christo, et duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inconfuse,* secundum Patrum doctrinam, prædicandas esse ; » n. 28.

Demum, si in Christo non est voluntas et operatio divina, jam Christus non est vere Deus ; si autem in Christo deficit voluntas et operatio humana, Christus non est vere homo, et simul prorsus inutilis Deoque indigna evadit Incarnatio ; siquidem, in hac hypothesi, Verbum per humanam naturam nullum actum vere rationabilem, liberum, laudabilem, meritorium et satisfactorium operari posset.

86. — De ratione autem agendi Honorii Papæ in præsenti quæstione, hæc revocare sufficiat. Scilicet, in Tract. *de Ecclesia*, n. 53, demonstratum est Honorium circa hæ-

resim Monothelitarum nunquam locutum esse ex cathedra; et aliunde in Epistolis ad Sergium, ex quibus inculpatur, duplicem in Christo operationem expresse docuisse; fuisse tamen damnatum a Conc. VI, eo quod, utrique parti silentium imponendo, aut utendo nonnullis minus cautis locutionibus, atque incipientem hæresim exstinguere negligendo, huic favorem impendisse visus sit.

87. — *Obj.* In Christo unica est persona; ergo unica operatio, etc.

Resp. Nego conseq. Operationes enim multiplicantur, prout multiplicantur naturæ: atqui in Christo duplex agnoscitur natura; ergo duplex quoque in eo voluntas agnoscatur necesse est. Et vero, si operationes crescerent in proportione, qua multiplicantur personæ, sequeretur in Deo triplicem distingui operationem, cum in tribus personis subsistat: atqui tamen unica in Deo operatio est et voluntas; ergo, etc.

Inst. Juxta effatum vulgare, *Actiones sunt suppositorum* seu personarum; ergo ubi unicum est suppositum, ibi unica est operatio.

Resp. Dist. ant. Actiones sunt suppositorum attributive *conc.*, elicitive, *nego.* Itaque fateor actiones esse suppositorum *attributive*, hoc sensu quod suppositis tribuuntur, v. g., recte dicimus Verbum cum hominibus fuisse conversatum; sed nego actiones esse personarum *elicitive*, quasi producantur ab ipsis; non enim personæ, sed facultates actus eliciunt: sic, in homine, non ipsa persona cognitionem elicit, sed intellectus: porro, ut legitime ab unitate personæ inferri posset unitas operationis, necesse foret ut actiones non tantum essent suppositorum attributive, sed elicitive; ergo, etc.

PROPOSITIO IV

88. — *Christus habuit animam vere humanam seu rationalem*, et *corpus verum et humanum.* De fide est.

Ita contra Appollinaristas, Phantasiastas, etc., n. 55, 56. Sequitur ex triplici propositione præcedenti.

Etenim, ex dictis, n. 83, 84. Christus est perfectus homo, atque ideo habuit naturam humanam integram, completam, perfectam: porro natura humana constituitur anima rationali, et corpore vero et humano; ergo utrum-

que habuit Christus. Quare in Symbolo dicitur : « Christus est perfectus Deus et *perfectus homo, ex anima rationali* et *humana carne* subsistens ; » n. 7.

Insuper, ex dictis, n. 85, Christus præditus est voluntate et operatione vere humana : porro talis voluntas et operatio non est nisi in anima rationali ; ergo, etc. Aliunde, in Scriptura de Christo dicitur : « Non relinques *animam meam* in inferno ; » Ps. 15. « Tristis est *anima mea* usque ad mortem ; » Matth. 26, ℣ 38 ; ergo, etc. Jam autem, n. 50, soluta est objectio quæ vulgo desumitur ex voce : Verbum *caro* factum est.

Similiter Christus in Scripturis dicitur Verbum *caro* factum, *natus ex B. Virgine, factus ex muliere, carnem* et *ossa* habens, *passus, mortuus,* etc. : porro talia esse non possunt nisi in corpore vere humano, constituto in iisdem essentialibus conditionibus, ac corpus hominum in terris degentium ; ergo, etc.

PROPOSITIO V

89. — *Christus est naturalis Filius Dei Patris, et B. Virginis, quæ ideo vere est Dei Genitrix.* De fide est.

Ita contra Nestorianos, n. 53, Rationalistas, n. 54, et etiam contra Adoptianos seculi octavi, qui, auctoribus Felice Urgelitano et Elipando Toletano, asseruerunt Christum non esse Filium Dei naturalem, sed *adoptivum* quoad naturam humanam, sicque Nestorianam hæresim in Occidente jamdudum exstinctam instaurare conati sunt, n. 53.

Et quidem 1° *Christus est naturalis Filius Dei Patris,* non autem *adoptivus.*

Ex dictis enim, n. 83, Christus est Verbum seu naturalis Filius Dei, naturam humanam terminans : atqui filiatio proprie convenit personæ, non naturæ ; ergo Christus seu individuum ex persona Verbi et natura humana coalescens, est naturalis Filius Dei Patris.

Confirmatur Scriptura, Traditione et Ratione. Namque 1. in Scriptura, ut vidimus n. 83, Christus sæpe declaratur *unigenitus* et *proprius Filius Dei*, *Deus* ipse, qui *natus* est ex B. Virgine, *passus, mortuus,* etc. ; ergo individuum

illud ex persona Verbi et natura humana constitutum, est vere naturalis Filius Dei.

2. Idem definitum est a Conc. Ephesino, n. 13, et Chalcedonensi, n. 23, et etiam Francofordiensi, approbato a Rom. Pontifice Adriano I, contra Adoptianos, anno 794.

3. Revera adoptio est assumptio *personæ extraneæ* in propriam familiam : porro Christus seu Verbum naturam humanam terminans, dici nequit persona Deo extranea ergo Christus non est Filius adoptivus, sed naturalis.

2° *Christus est naturalis Filius B. Virginis*, quæ ideo vere est *Dei Genitrix*.

Etenim, ex jam dictis, Christus est Filius Dei naturalis atqui, ex dicendis, n. 130, B. Virgo vere et proprie genuit Christum, seu naturam humanam per naturalem Filium Dei terminatam; ergo Christus est naturalis Filius B. Virginis, quæ idcirco est vere Dei Genitrix.

Confirmatur Scriptura, Traditione et Ratione theologica. Etenim 1. dicitur : « Ecce *Virgo concipiet* et *pariet Filium*. et vocabitur nomen ejus *Emmanuel;* quod est interpretatum, *nobiscum Deus*. » Matth. 1, ℣ 23. — « Quod *nascetur ex te* Sanctum, vocabitur *Filius Dei*... » — « Unde hoc mihi ut veniat *Mater Domini* mei ad me ; » Luc 1, ℣ 35, 43. — « Misit Deus *Filium suum, factum ex muliere* ; » Galat. 4, ℣. 4.

2. Vox *Deipara*, græce Θεοτόκος, a primis sæculis usu receptissima fuit, uti Nestorio objiciebat S. Cyrillus Alex. Ipse Joannes Antiochenus, uti Nestorii fautor, ad hunc hæresiarcham scribebat : « Nomen illud *Deipara*, quod a multis sæpe Patribus usurpatum, scriptum ac pronuntiatum est; adjungere ne graveris, neque refutare pergas. Hoc enim nomen nullus unquam Ecclesiasticorum Doctorum repudiavit. » Quare Julianus Apostata ad Christianos dicebat : « Atqui vos *Mariam* non cessatis vocare Θεοτόκον, id est, *Dei Genitricem*. »

Hoc dogma in Symbolis consignatum, expresse contra Nestorianos a Conc. Ephesino sic definitum est : « Si quis non confitetur, Deum esse veraciter Emmanuel, propterea *Dei Genitricem* sanctam Virginem : peperit enim secundum

carnem; carnem factum Dei Verbum: anathema sit; » n. 11. Idem definivit Conc. Chalcedon.; n. 25.

3. Revera terminus generationis est suppositum aut persona: atqui B. Virgo genuit individuum, quod est personaliter naturalis Filius Dei; ergo B. Virgo genuit naturalem Filium Dei, ac proinde vere est Dei Genitrix. Equidem persona Verbi, ratione naturæ divinæ, est B. Virgini extranea; sed ratione naturæ humanæ, quam a B. Virgine via generationis assumit, Verbum fit B. Virgini proprium et verus ejus Filius; ergo, etc.

91. — Itaque prima divinarum personarum, communicando naturam divinam per viam *generationis*, est Pater Verbi, prout Verbum Deus est, seu terminus naturæ divinæ; ratione autem *unionis hypostaticæ*, eadem prima SS. Trinitatis persona est Pater Verbi, prout Verbum homo est, seu naturam humanam terminans.

E contra, B. Virgo, communicando naturam humanam per viam *generationis*, est Mater Verbi, prout Verbum est homo, seu humanam naturam terminans; ratione autem *unionis hypostaticæ*, B. Virgo est Mater Verbi prout Deus est, seu naturæ divinæ terminus.

Proinde Christus, seu Verbum caro factum, consubstantialis est Patri secundum divinam naturam, ratione *æternæ* generationis et originis; et consubstantialis est Matri secundum naturam humanam, ratione *temporalis* generationis et originis.

92. — *Obj.* 1° De divinis mysteriis non aliter loquendum est, ac Scriptura: porro nunquam in Scriptura B. Virgo dicitur mater aut Genitrix Dei; sed Mater *Christi* vel *pueri*, Matth. 1, ✝ 18; 2, ✝ 11; 13, 20; ergo non est dicenda Mater Dei.

Resp. *Nego minor*. Vox *Deipara* in Scripturis æquivalenter continetur. Etenim in Scriptura invenitur expresse; ex una parte, quod Jesus Christus sit *Unigenitus* et *proprius* Filius *Dei*, *verus Deus*, I Joan. 5, ✝ 20; et ex altera parte, quod B. Virgo sit *Mater Jesu Christi*, Matth. 1, v. 18; Luc. 2, v. 7; Joan. 2, v. 3; 19, v. 25; ergo ex verbis Scripturæ B. Virgo est quoad rem Mater Dei. At vero, dicitur etiam quod ex Judæis

sit *secundum carnem Christus*, *qui* est super omnia **Deus** benedictus in secula, Rom. 9, ℣ 5 : porro non ex Judæis, nisi mediante B. Virgine; ergo, qui est super omnia *Deus benedictus in secula*, est vere natus ex B. Virgine sicut ex sua matre.

93. — *Obj.* 2° B. Virgo divinitatem non genuit : porro, quæ divinitatem non genuit, Dei Genitrix dici non potest; ergo, etc.

Resp. Nego minor. Namque, ut B. Virgo vere dicatur Mater Dei, satis est eam genuisse secundum carnem, illum qui Dei filius est ac verus Deus : atqui res ita se habet, siquidem Verbum divinum, secundum naturam humanam sibi hypostatice conjunctam, ex B. Virgine natum est; ergo, etc.

Et vero, in humanis, etiamsi mulier non generet animam, quæ est pars hominis præcipua, tamen vere et proprie dicitur mater *hominis*, quia carnem generat animæ hypostatice conjunctam, non vero ab ea divisam, ita ut terminus hujusmodi generationis sit *persona humana*.

94. — *Inst.* Mater debet esse filio suo consubstantialis : atqui Maria non est Deo consubstantialis; ergo, etc.

Resp. Disting. maj. Debet esse filio suo consubstantialis, secundum aliquam filii sui naturam, *conc.*; secundum multiplicem naturam filii, *nego*. Scilicet, cum mater generat filium duabus constantem naturis, divina et humana, filio consubstantialis esse debet ratione naturæ humanæ,, non autem ratione naturæ divinæ : porro B. Virgo, ratione naturæ humanæ, consubstantialis est Verbo incarnato; ergo, etc.

95. — *Obj.* 3° Hoc nomen *Deus*, communiter prædicatur de Patre, et Filio, et Spiritu Sancto; ergo, si B. Virgo est mater Dei, sequitur eam esse matrem Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Resp. Nego conseq. Hoc nomen *Deus*, quamvis sit commune tribus personis, tamen adhibetur quandoque pro sola persona Patris, quandoque pro sola persona Filii, vel Spiritus Sancti; ergo, cum dicitur : Beata Virgo est mater *Dei*, hoc nomen *Deus* usurpatur pro sola persona Filii incarnata. S. Th. 3 p., q. 35, a. 4.

PROPOSITIO VI

96. — *Admittenda est in Christo communicatio idiomatum in concreto, non autem in abstracto.* De fide est.

1° *In concreto*, id est, nomina, proprietates, operationes utriusque naturæ, divinæ et humanæ, de Christo seu de persona Verbi subsistente simul in illa duplici natura, enuntiari debent.

Ita contra Nestorianos et Rationalistas, qui, cum rejiciant unionem hypostaticam Verbi cum natura humana, eo ipso negant personæ Verbi tribui posse sive naturam humanam, sive hujus naturæ proprietates et operationes; n. 53, 54.

Etenim, ex dictis, n. 83, in Christo unica Verbi persona terminus est utriusque naturæ, divinæ et humanæ; ergo, quidquid utrique naturæ proprium est, ad illam unicam personam refertur, et proinde de illa enuntiari debet.

Revera, jam sæpe vidimus. n. 83, in Scriptura et Traditione, quæ sunt propria duplici naturæ, divinæ et humanæ, uni et eidem Jesu Christo tribui, et de eodem enuntiari. Aliunde communicatio idiomatum in concreto est cujuslibet unionis hypostaticæ consectarium; n. 47.

Jam vero, idiomatum communicatio fit per terminos *concretos*, ex dictis n. 48. Concreti enim termini, in præsenti materia, sunt illi, qui exprimunt *ipsam Verbi personam* cum aliqua ex duabus naturis, aut cum aliqua alterutrius naturæ divinæ aut humanæ proprietate, aut cum aliqua alterutrius naturæ operatione; et ideo per hujusmodi terminos vere tribuitur personæ Verbi vel alterutra natura ipsi conjuncta, vel proprietas, vel operatio alterutrius naturæ personæ Verbi conjunctæ.

Sic 1., quoad *utriusque naturæ* enuntiationem in persona Christi, recte dicitur : *Deus est homo*, id est, divina persona habet naturam humanam; *homo est Deus*, id est, natura humana est divina quoad personam divinam, cui conjungitur; *Christus est Deus et homo*, id est, persona Christi habet simul naturam divinam, et naturam humanam.

2. Quoad *proprietatum* utriusque naturæ enuntiationem in persona Christi, recte dicitur : *Deus est mortalis*, id est, divina persona habet naturam mortalem, scilicet, humanam; *homo est æternus*, id est, natura humana conjungitur

personæ æternæ; *mortalis est æternus*, id est, eadem persona habet unam naturam mortalem et alteram æternam: *Christus est mortalis et æternus*, id est, persona Christi est mortalis in una natura, et æterna in altera natura sibi propria.

3. Quoad *accidentium* seu operationum vel passionum enuntiationem in persona Christi, recte dicitur: *Christus est creator et creatus*, id est persona Christi est creator per unam naturam, et creata per alteram naturam sibi conjunctam; *Deus est passus et mortuus*, id est, persona divina est passa, mortua per unam ex duabus naturis sibi conjunctis.

In hujusmodi enim propositionibus persona exprimitur in primo vel in secundo termino; et ideo, quod enuntiatur de una natura, tribuitur ipsi personæ, non vero alteri naturæ.

Excipiuntur tamen nomina concreta, quæ *inferunt suppositum creatum*, vel *quæ reduplicantur*, vel *quæ favent errori, hæresi*.

Sic., v. g., dici nequit: *Homo factus est Deus*, quia videtur his verbis supponere hominem fuisse constitutum antequam a Verbo assumeretur. Sed dici potest: *Deus factus est homo*, id est, persona divina assumpsit naturam humanam.

Similiter, dici nequit: *Christus quatenus homo, est Deus*, id est, Christus quatenus habens naturam humanam, est Deus; particula enim reduplicativa ipsam naturam afficit, non personam.

Tandem ista non sunt simpliciter enuntianda: *Christus est creatura, Christus incepit esse*. Licet enim talia sint in se vera, tamen favent hæresi Arianorum, qui, ex eo quod Christus diceretur creatura, vel initium habere, docebant eum absolute minorem esse Patre; et ideo addenda est aliqua restrictio, qua excludatur sensus Arianorum et Socinianorum, v. g., Christus, *quatenus homo*, est creatura, servus, incepit esse.

2° *In abstracto* non fit idiomatum communicatio in Christo, id est, *natura divina, nec ejus aliqua proprietas aut*

operatio, non enuntiatur de natura humana; et, vice versa, *natura humana, nec ejus aliqua proprietas, operatio aut passio, non enuntiatur de natura divina.*

Ita contra Eutychianos, qui cum admitterent naturarum confusionem, n. 57, eo ipso propugnabant posse prædicari de una natura, quod prædicatur de altera. Sed etiam eamdem idiomatum communicationem in abstracto, et ideo naturarum confusionem admiserunt aliqui Lutherani, dum senserunt naturam humanam in Christo esse *ubique;* unde *Ubiquistæ* dicti sunt illi.

Jam vero, ex dictis, n. 83, 84, unio inter duplicem naturam, divinam et humanam, non est *naturalis* in Christo, sed hypostatica, n. 42, 44, 49, ita ut duæ illæ naturæ conveniant in unicam personam Verbi, non autem in unam et eamdem naturam coalescant; ergo, cum utraque natura maneat omnino distincta, una natura, nec ejus aliqua proprietas, operatio, aut passio de altera natura enuntiari non potest; v. g., dici nequit in Christo *divinitas est humanitas, immortalitas est mortalitas, divinitas est nata, passa, humanitas est immensa,* id est; natura divina est natura humana, natura immortalis est natura mortalis, natura divina est nata, passa, natura humana est immensa.

Hæc idiomatum communicatio dicitur in *abstracto,* quia fit per terminos *abstractos*; quibus, scilicet, natura, aut proprietas, aut operatio, aut passio exprimitur quatenus abstracta a supposito, a persona, n. 48, v. g.; *divinitas, humanitas, mortalitas,* per se significant *naturam divinam, naturam humanam, moriendi necessitatem;* non autem simul exprimunt personam, cui tribuatur natura divina, natura humana, necessitas moriendi.

Unde illegitima est in Christo omnis idiomatum communicatio, excludens personam incarnatam, vel ab ea abstrahens. Ad judicandum autem de hac illegitimitate, sufficit interrogare acceptionem verborum communiter receptam; excepto casu, quo Ecclesia aliquam propositionem, aliunde veram, propter periculum erroris improbaret, uti jam diximus de formulis: *Christus est creatura, initium habuit.*

Cæterum, quoad errorem Ubiquistarum, refellitur in

ipsa Scriptura, cum dicitur Christum ante mortem ubique non fuisse; sed de loco in locum transiisse : « Lazarus mortuus est; et gaudeo propter vos ut credatis, quoniam *non eram ibi;* » Joan. 11, ℣ 15. « Jesum, qui crucifixus est, quæritis, *non est hic, surrexit;* » Matth. 28, ℣ 6. Neque etiam in statu gloriæ et exaltationis Christus per naturam humanam est ubique, sed in cœlo : « *Jam non sum in mundo;* et ego *ad te venio.* » Joan. 17, ℣ 11. « Quem (Christum) oportet *cœlum suscipere*, usque in tempora restitutionis omnium; Act. 3. ℣ 21.

Præterea doctrina ubiquitatis pugnat cum multis fidei articulis. Nam, si ubicunque Verbum est, ibi sit Christi humanitas, quomodo ex utero Virginis in lucem exire potuerit? Quomodo mortuus, si anima semper cum corpore, perinde ac cum Verbo, unita fuerit? Quomodo descenderit ad inferos, ascenderit in cœlum, ubi jam totus erat?

97.—*Obj.* 1° Humanitas est inseparabiliter unita Verbo : atqui Verbum est ubique; ergo et humanitas.

Resp. Dist. minor. Verbum *in se,* seu quatenus terminat naturam *divinam,* est ubique, *conc.*; quatenus terminat naturam *humanam,* est ubique, *nego.* Etenim natura humana *in se* sumpta, non est ubique : porro hæc natura unitur Verbo, prout in se est, siquidem, ex dictis, n. 84, in Christo remanet omnino distincta a natura divina; ergo, post unionem cum Verbo, ubicunque est natura humana, ibi est Verbum ei unitum, sed non vice versa. Sic, dum sol sua luce crystallum pervadit, ubicunque est crystallum, ibi est lux; sed ubicunque est lux, ibi non est crystallum.

98.—*Obj.* 2° De Christo dicit Apostolus : « In quo inhabitat plenitudo *divinitatis corporaliter;* » Coloss. 2, ℣ 9; ergo corpus Christi est ubique, sicut divinitas.

Resp. Nego conseq. In Christo inhabitat plenitudo divinitatis *corporaliter*, vel quia persona Verbi unita est non solum animæ, sed etiam corpori; vel quia illa persona habitat in natura humana non *umbraliter*, sicut habitavit in sacramentis veteris legis, sed *realiter;* vel quia divinitas habitat in Christo, et per essentiam, præsentiam et potentiam, sicut in cæteris creaturis, et per gratiam gratum facientem, sicut in Sanctis; et præsertim per unionem personalem, quod est proprium ipsi

Christo; S. Th. 3 p., q. 2., a. 10, ad 2. Ergo, quæcunque eligatur explicatio, nullo modo ex allato textu sequitur humanitatem esse ubique simul ac divinitas.

§ II

De proprietatibus Incarnationis.

99. — *Quæritur* 1° an unio hypostatica sit inter uniones creatas maxima?

Resp. affirmative. Ea enim unio est omnium maxima, qua extrema, summe a se invicem dissita, arctissimo et præstantissimo nexu colliguntur : atqui 1. extrema unionis hypostaticæ, nempe duæ naturæ, divina et humana, summe distant, sicut infinitum et finitum. 2. Medium in quod conveniunt, seu persona Verbi, est in se quid simplicissimum et maxime unum, atque cum uno extremo, seu natura divina, realiter unum et idem ; cum altero autem, seu natura humana, ita intime et intrinsece unitur, ut hanc naturam *suam* omnino faciat, eique suam unitatem et personalitatem tribuat. Unde dixit S. Bernard. *de Considerer.* lib. 5, c. 8 : « Inter omnia, quæ recte *unum* dicuntur, arcem tenet unitas Trinitatis, qua *tres personæ* una *substantia* sunt ; secundo loco illa præcedit, qua e converso *tres substantiæ* una in Christo *persona* sunt. » 3. Tandem nihil Verbo dignius cogitari potest ; ergo nihil præstantius illa unione, qua homo Deus verus evadit, omnesque proprietates et operationes naturæ humanæ dignitatem et valorem ipsius Dei participant. Unde « tam evecta est natura humana, ut *quod attolleretur altius, non haberet,* » ait August., *de Prædest. Sanct.*, c. 15.

100. — *Quæritur* 2° an natura humana Christi assumpta fuerit a Verbo eo instanti, quo concepta est ?

Resp. affirmative, et de fide est. Ita, inter alios contra Origenem, qui asseruit animam Christi ante Incarnationem exstitisse, atque quod illud mysterium fieret meruisse.

Contrarium autem omnino constat. Namque Conc. generale VI sic habet : « Incarnatur Verbum Deus penes nos, non *prius effectæ carni* copulatus, aut præformato atque *in*

sese præsubsistenti corpori implicatus, aut *præexistenti animo* compositus, sed his tunc ad *existentiam* venientibus, quando *ipsis Verbum* Deus *compositus* est. » — « Catholicæ mentes auresque non tolerant, *animam*, quam Salvator assumpsit *prius in cælis esse commoratam*, quam de Maria Virgine *nasceretur*, *eamque sibi Verbum in utero* copularet. » S. Leo Magnus, *Epist.* 25.

101. — *Quæritur* 3° an unio hypostatica *perpetua* sit et *indissolubilis*, ita ut *Verbum corpus* et *animam non reliquerit, nec unquam sit derelicturum?*

Resp. affirmative, et de fide est, contra Marcellum Ancyranum, qui, ex Eusebio, docuit Christum, peracto finali judicio, corpus et animam esse positurum.

Constat 1. *Script. Christus manet in æternum;* Joan. 12, ℣ 35. — *Hic* autem, *eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium... Jesus Christus heri, hodie* et *in secula;* Hebr. 7, ℣ 24; 13, ℣ 8.

2. *Traditione*. In symbolo Nicæno, de regno Christi dicitur : *Et regni ejus non erit finis*. Conc. Chalcedonense definivit utramque naturam concurrisse in eamdem personam *indivise* et *inseparabiliter*, n. 25.

3. *Ex axiomate* in Scholis pervulgato ; *Quod semel Verbum assumpsit, nunquam dimisit :* porro assumpsit animam et corpus ; ergo nullum ex his unquam dimisit.

102. — Hinc 1. *triduo mortis* Christi Verbum divinum neque a corpore, neque ab anima recessit. De fide est.

Sequitur ex jam dictis ; et aliunde confirmatur 1. *ex fidei Symbolo*, in quo *Christus* dicitur *mortuus, sepultus*, et *ad inferos descensus*, utique secundum animam : porro, qui *Christum* dicit, Verbum dicit cum humanitate aut tota simul, aut cum ejus partibus conjunctum ; ergo eadem persona Christi eodem tempore et apud inferos fuit, et in sepulcro jacuit.

Et vero, sola Verbi unio cum anima, aut cum corpore, non facit Christum. « Propterea, quamvis anima a corpore discesserit, nunquam tamen *divinitas* vel *ab anima*,

vel *a corpore separata* est; » Catech. Rom. 1 p., art. 4, 5.
2. *Ex SS. Patribus.* « Deus *mortis tempore a neutra*, quam semel assumpserat, *parte recessit*; » S. Greg. Nyss. « Quamvis sancta Christi anima ab immaculato corpore distracta sit per mortem, *divinitas* tamen *nec ab anima*, *nec a corpore unquam modo sejuncta est*; » S. Damasc. *de Fide*, lib. 3, c. 27.

103. — Hinc 2. corpus sicut et anima *immediate* Verbo fuit unitum. Certum est. Patet ex jam dictis; et etiam sequitur ex eo quod immediate Verbo tribuantur proprietates et operationes tam corporis, quam animæ, ut sæpe notatum est. Idem expresse asseritur in textu: *Verbum caro factum est*.

104. — Attamen corpus non fuit *immediate* unitum Verbo, nisi *propter suam cum anima habitudinem*; et hoc sensu dicitur corpus a Verbo fuisse assumptum *mediante anima*.
Etenim caro a Verbo non assumitur, nisi quia est caro *humana*, atque ad fines Incarnationis attinere potest: atqui caro non est humana, nec ideo ejus assumptio ad fines Incarnationis attinet, nisi per ordinem quem habet ad animam rationalem; ergo caro non est assumptibilis, nec ideo assumpta nisi propter habitudinem quam ad animam dicit. S. Th. 3 p., q. 9. a. 1.
Et in hoc consentiunt SS. Patres. « Verbum... particeps *carnis* effectum est, rationali anima *mediante*; » S. August. *Epist.* 120, c. 4. « Quoniam misceri nequit Deus cum carne, anima vero et mens velut in interjecto spatio sunt; » S. Gregor. Naz. *Orat.* 1. Horum verborum sensus melius intelligitur ex antecedentibus et consequentibus, et ex dictis, n. 102, 103.
Et vero, cur Verbum cum carne sine anima rationali uniretur, per quam nullum actum liberum, laudabilem et meritorium perficere posset?

105. — *Quæritur* 1° an Christi persona sanguini, quem in passione *effudit*, *triduo mortis* hypostatice unita *permanserit*?

Resp. Controvertitur. Alii affirmant, eo quod Scriptura SS. Patres frequenter testantur nos sanguine Christi redem tos fuisse; et eo quod, dum corpus viveret, sanguis ejus er immediate Verbo unitus.

Alii vero negant, tum quia non sequitur sanguinem jam e fusum et a corpore separatum permansisse Verbo hypostati unitum, eo quod Deus statuerit redemptionem nostram Chri passione et sanguinis *effusione* consummandam esse; tu quia, si sanguis vivificans corpus, dum hoc vivit, sit pars n cessaria corporis, aliter sentiendum est de sanguine jam effu et a corpore separato; tum denique quia, juxta omnes, Verbu non permansit unitum sanguini, quem Christus in circumc sione effudit.

Cæterum hic agitur tantum de sanguinis effusione cu Verbo *triduo mortis*. Omnes enim consentiunt, post resurre tionem, Verbum non fuisse unitum nisi sanguini corpus red vivum vivificanti.

ARTICULUS II

De Persona assumente.

Ex articulo præcedenti constat personam Filii incarna tam fuisse.

106. — *Quæritur* autem 1° an *sola* Filii persona si incarnata?

Resp. De fide est *solam* Filii personam assumpsisse natu ram humanam. Patet omnibus testimoniis et argumenti in articulo præcedenti allatis, in quibus Filius Dei specia liter dicitur incarnatus, quod nunquam de Patre aut d Spiritu Sancto asseritur.

Præterea definitum est a Concilio generali v, can. 4, e Later. iv. cap. *Firmiter,* « *unum* de SS. Trinitate incarna tum esse; *unigenitum* Dei *Filium* Jesum Christum *a tota Trinitate* esse *incarnatum;* » ergo solum Verbum caro fac tum est.

Et revera Incarnatio unius tantum divinæ personæ suffi ciens erat, ut ad divinam dignitatem eveheretur natura humana, atque finis Incarnationis obtineretur.

107. — *Quæritur* 2° *cur* Filius, potius quam Pater aut Spiritus Sanctus, incarnatus sit?

Resp. Plures afferuntur congruentiæ, quarum præcipuas hic indicare sufficiet. Scilicet 1. ut homo collapsus restitueretur, et ad consummatam perfectionem duceretur, tria ei necessaria erant, nimirum, doctrina, exemplum, et gratia ex merito profluens : porro Verbum est ipsa substantialis doctrina seu *fons sapientiæ in excelsis*, Eccli. 1, ℣ 5; divinum est etiam exemplar, juxta quod omnia facta sunt; et tandem quasi media est persona inter Patrem et Spiritum Sanctum; ergo decuit Verbum præ cæteris personis divinis incarnari, ut pro hominibus esset et visibile Verbum, et sensibile exemplar perfectissimum, et supremus mediator seu gratiæ causa, merendo scilicet, gratiam apud Patrem, eamque in cordibus infundendo, per invisibilem missionem Spiritus Sancti.

2. Homo perierat per inordinatum scientiæ et similitudinis Dei appetitum : atque Filius est substantialis scientia et vivens similitudo Patris; ergo magis congruum videtur, ut per Filium redimeretur homo.

3. Demum, convenientius fuit, ut, qui ab æterno erat Dei Filius, in tempore fieret filius hominis; atque homines fierent adoptivi Filii Dei, mediante naturali Dei Filio, juxta illud : « Quos *præscivit*, et *prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui;* » Rom. 8; S. Th., 3 p., q. 3, a. 8.

108. — *Quæritur* 3° an, ratione Incarnationis Verbi, Pater et Spiritus Sanctus sint in natura a Verbo sumpta, *singulari* et *altiori modo* quam in cæteris creaturis?

Resp. *affirmative*. Etenim tres personæ divinæ simul subsistunt in una et eadem natura divina; ergo Verbum naturæ humanæ hypostatice uniri nequit, quin Pater et Spiritus Sanctus *per concomitantiam* sint eidem naturæ assumptæ intime præsentes. « Quemadmodum, ait S. Basilius, in catena, qui unius annuli summitatem apprehendit, hoc ipso simul alterum insertum attrahit; ita et hic, qui *vere Filium* apprehendit, habet et ipsum utrinque, hic Patrem illius, illinc Spiritum Sanctum *una compactum;* » *Epist*: 43,

— « Cum ergo *una* sit *divinitas*, inquit S. August., implevi quidem carnem Christi et Pater, et Spiritus Sanctus, sed *majestate*; non *susceptione*; » *Serm*. 3.

Itaque, si tres personæ divinæ jam non essent in omnibus rebus per essentiam, præsentiam et potentiam, Pater et Spiritus Sanctus, quia non possunt a Filio dividi; fierent, vi unionis hypostaticæ Verbi cum natura humana, huic naturæ intime præsentes, quamvis tali naturæ hypostatice non unirentur.

ARTICULUS III

De dotibus animæ assumptæ.

109. — *Dotis* aut *perfectionis* nomine hic intelligitur modus aliquis naturæ congruens, quem ipsi melius est habere, quam non habere. *Defectus* igitur proprie dictus est privatio perfectionis, quæ posset naturæ inesse, quæque eam ornaret, ipsique per se congrueret; et ideo hujusmodi defectus dicitur *privativus*; et non tantum mere *negativus* alicujus gradus entis. Porro dotes aut perfectiones animæ Christi attinent vel ad esse naturale, vel ad intellectum, vel ad voluntatem; unde

§ I

De dotibus animæ Christi quoad esse naturale.

110. — Ex dictis, n. 88, Verbum assumpsit « animam *rationalem* animabus nostris *contribulem*, et *mentem* nostræ menti *comparem*, » ut ait S. Sophronius in Epist., quæ refertur in Conc. generali VI, act. 1.

Quæritur autem *quantæ* naturalis perfectionis fuerit Christi anima?

Resp. Anima Christi, ratione naturalis perfectionis, conferri potest cum Angelo; aut cum aliis hominum animabus. Porro 1° anima Christi fuit *naturaliter perfectissima* inter omnes *creatas* aut *creandas* in *hominibus animas*. Namque anima Christi creata est, ut esset pars individui personaliter divini : atqui proportio et connaturalitas requiritur inter personam et naturam agentis, ita ut, quando persona est divina, hujus actus et natura debent esse ordinis etiam

divini, in quantum fieri potest; ergo, cum anima Christi non possit esse naturaliter divina, fuit naturaliter saltem perfectissima inter omnes hominum animas de facto creatas et creandas.

Et vero, si unus intellectus sit in se perfectior alio, credibile est, ait Suarez, Adam inter alios homines optimam animam fuisse sortitum, eo quod fuerit totius naturæ humanæ parens; et ab ipso Deo immediate productus [1] : porro Christus longe Adam superavit, tum dignitate personæ, tum altiori fine, ad quem anima Christi creata fuit et assumpta; ergo hæc anima fuit inter alias omnes naturaliter perfectissima. *De Incarn.*, disput. 24, sect. 1; vide n. 161.

2° Eadem ratione inferri potest, animam Christi fuisse naturaliter quocunque Angelo creato aut creando perfectiorem. Nullum enim concipitur motivum unione hypostatica efficacius perfectiorem substantiam rationalem creandi.

Equidem anima Christi Angelo inferior esse videtur, quatenus naturali destinatione corpori inhæret et corpore indiget tanquam instrumento sibi proprio, ad suas fere omnes sibi *naturales* operationes, n. 42. Angelica enim natura ab omni materiali elemento est abstracta et independens. In hoc sensu plures de Christo intelligunt hæc verba : *Minuisti eum paulo minus ab Angelis*, Ps. 8, ut dictum est in Tract. *de Angelis*, n. 55.

Quare S. Thomas, 3 p. q. 11, a. 4, « ait *scientiam* inditam animæ Christi esse infra scientiam angelicam quantum ad *modum cognoscendi*, qui est naturalis animæ humanæ, qui, scilicet, est per conversionem ad phantasmata et per collationem et discursum. »

At, non obstante illa ex parte *unionis* cum corpore inferioritate, non repugnat animam humanam, *in se* sumptam, esse naturaliter Angelo perfectiorem, quatenus, nempe, ex

1. « Ille primus homo terrigena, totius *princeps generis nostri*, ac *longe* utraque parte mihi videtur fuisse *præstantissimus anima* et *corpore*, ac *longe* omnibus, qui postea fuerunt, *utriusque dotibus antecelluisse*. Namque generatio nostra ex hominibus est; hunc autem *Deus ipse fabricavit* : atqui quanto præstabilior est artifex, tanto melius est opus. Insuper primus a Deo formatus homo, *vim* et *roborem generis nostri* fuisse videtur. » Philo, judæus, *de Opif.*, p. 31, 32.

se habet ampliorem diligendi et bonum prosequendi capacitatem, in qua proprie et vere consistit naturalis perfectio; atque revera ita esse animam Christi, infertur ex ejus, al ortu, destinatione ad unionem hypostaticam cum Verbo.

§ II

De dotibus animæ Christi, quoad intellectum.

111. — Dotes intellectus nituntur in perfectione vel scientiæ in se spectatæ, vel medii per quod obtinetur scientia. Utrumque igitur de intellectu animæ Christi inquirendum est.

NUMERUS PRIMUS

De perfectione scientiæ in anima Christi.

112. — Nonnulli, duce Themistio quodam diacono, seculo sexto, opinati sunt Christum, ut hominem, ante resurrectionem plura ignorasse, ac præsertim extremum judicii diem; et ideo ab ignorantia illa, quam Christo tribuebant, *Agnoetarum* nomen sortiti sunt. Eumdem errorem renovarunt Lutherus, Calvinus, Grotius, etc. Contra

PROPOSITIO

113. — *In anima Christi, a primo instanti conceptionis, fuit scientia perfecta.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* Dicitur enim de Christo : « Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus *sapientiæ* et *intellectus*, spiritus *scientiæ* et *pietatis;* » Isai. 11, ℣ 2. — « Verbum caro factum est, et *habitavit in nobis,* et vidimus eum *plenum gratiæ* et *veritatis;* » Joan. 1. — « *In quo* sunt *omnes thesauri sapientiæ* et *scientiæ* absconditi; » Colos. 2, ℣ 3. Unde sic : in his textibus, manifeste asseritur plenam et perfectam scientiam esse in Christo : atqui hoc de Christo ut homine, et a primo ortu affirmatur. Etenim 1. Christus dicitur plenus gratiæ et veritatis, quatenus Verbum caro factum, et habitans in nobis; ergo ut homo. Similiter asseritur Christum illam scientiam habere a Spiritu Sancto : porro Christus ut Deus nihil a Spiritu Sancto habet; ergo illam scientiam accepit ut homo.

2. In iisdem textibus, plenitudo scientiæ tribuitur Christo homini, eo quod fuit Verbum caro factum, unigenitus a Patre; ergo illam scientiam habuit a primo instanti unionis hypostaticæ, et ideo conceptionis. Aliunde illi textus, cum sint absoluti, non possunt ad unum tempus magis quam ad aliud restringi.

2° *Traditione.* « Ut ætate, et sapientia proficiebat Christus, non quod hæc in eo *incrementum* caperent; quid enim eo, quod *a principio perfectum erat,* perfectius esse possit? Sed quod hæc paulatim *detegerentur* et *elucescerent;* » S. Greg. Naz., *Orat.* 20. — « Credimus *ex ipso ventre,* atque *utero virgineo* ipsum Emmanuel, cum Deus esset, *hominem prodiisse plenum* procul dubio *sapientia* et *gratia,* quæ illi naturaliter inerat. Quodnam igitur is *incrementum* susciperet, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ?* » S. Cyrill. Alex. *contra Nestorium,* lib. 3. — « Quam plane ignorantiam nullo modo crediderim fuisse in *infante* illo, in quo Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis; nec *ullam* ipsius *animi infirmitatem* in Christo *parvulo* fuerim suspicatus, *quam videmus in parvulis;* » S. August. *de Peccat.,* lib. 2.

Insuper Concilium generale VI, act. 11, sic habet : « Anathema Themistius, qui fuit *ignorantiæ* pater et genitor, atque seminator *nefandissimus,* qui *Christum,* secundum quod *veraciter homo factus,* nostrum *diem consummationis* et *judicii nesciisse delirabat* et *purum eum* effecit *hominem*... Submittantur iisdem anathematibus *hæreses... Agnoetarum,* etc. » Idem de die judicii specialiter confirmatur, n. 119.

3° *Ration. theol.* Ut adsit, in quantum fieri potest, proportio et connaturalitas inter Verbum et naturam assumptam, requiritur hanc naturam esse perfectissimam; ergo a primo ortu omnibus donari debuit perfectionibus, ad quas elevari non repugnat, quarumque concessio finibus Incarnationis non opponitur, sed potius maxime consentanea est : atqui 1. non repugnat animam Christi ab ortu donari perfectissima scientia, ut patet; 2. nec talis scientia Incarnationis finibus opponitur, siquidem coexistere potest

cum libertate, passibilitate et mortalitate, ex dicend
3. maxime finibus Incarnationis convenit, tum ut, quæ s
mandata erant, accuratius et a primo instanti conceptio
exequeretur Christus; tum ut summæ sapientiæ indiciis
Hominem-Deum ostenderet; tum denique, quia Angel
primo instanti perfectam scientiam habuerunt, nec est c
dibile caput Angelorum seu Christum in primo insta
fuisse ratione alicujus doni ab Angelis superatum; ergo, e

114. — Hinc 1° omne *judicium* ab anima Christi s
interius, sive exterius prolatum, fuit *verum*, *infallib*
certum et *evidens*. Certum est.

Etenim 1. scientia eximia et perfecta excludit errore
falsitatem, dubium et obscuritatem : atqui, ex jam dict
talis fuit scientia a primo ortu in anima Christi; ergo. e
2. Persona Verbi sua facit omnia judicia, quæ ab ani
assumpta proferuntur; ergo hæc anima, ratione unio
hypostaticæ cum Verbo, in omnibus suis judiciis fuit *ess*
tialiter vera, certa et infallibilis. Et vero, ut talis sem
in Scriptura perhibetur Christus.

115. — Hinc 2° animæ Christi ab ortu concessa est c
nitio *omnium præsentium*, *præteritorum* et per totam æte
nitatem *futurorum*. Certum est.

Namque 1, ex dictis, n. 113, Christus, ut homo, in Scr
turis declaratur simpliciter plenus veritatis, omnibus s
pientiæ et scientiæ thesauris cumulatus, ita ut, ju
SS. Patres et Concilia, nunquam in scientia profecer
atqui talia dici non possunt, si anima Christi ab ortu n
cognoverit omnia præterita, præsentia et futura.

2. Ex dicendis, Christus, ut homo, est omnium creat
rum caput, rex atque judex, et omnia præterita, præse
tia et futura sunt ei subjecta, *quia filius hominis est*, Joa
5, ✝ 27; ergo status, dignitas et munera Christi postula
ut illa omnia sibi subjecta ab ortu perfecte cognoverit.

Itaque anima Christi a primo ortu cognovit omnia co
tingentia, quæ quocunque modo fuere, sunt, vel erun
sive substantiæ et accidentia, sive facta, dicta, cognita

quacunque rationali creatura, et secundum quodcunque tempus. S. Th. 3 p., q. 10, a. 2.

Attamen non cognovit omnia possibilia. Nam possibile est illud omne, ad quod se extendit divina virtus : porro divina virtus est infinita ; ergo anima Christi, cum sit finita, nec adæquate illam Dei virtutem comprehendere, nec ideo omne possibile cognoscere potest.

116. — Hinc 3° Christus *aliquid ab homine non didicit.* Qui enim aliquid discit ab homine, in scientia proficit : atqui, ex dictis, anima Christi ab ortu habuit perfectam omnium scientiam, ita ut nunquam in scientia profecerit; ergo nihil ab homine didicit. Et vero, ex dicendis, Christus ita constitutus est a Deo caput omnium hominum, ut omnes per ipsum doctrinam veritatis reciperent, Joan. 18, ỳ 37 ; ergo non fuit ejus dignitati conveniens, ut a quocunque homine doceretur. S. Th. 3, p., q. 12, a. 3.

117. — *Obj.* 1° *Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines.* Luc. 2, v. 52 ; ergo ab ortu non habuit scientiam perfectam.

Resp. Disting. anteced. Proficiebat exterius et apparenter, majora, scilicet, in dies sapientiæ suæ præbendo argumenta, *conc.* ; intus et realiter, *subdist.*, quoad modum sciendi, *experiendo* ea quæ per scientiam infusam a primo ortu noverat, *conc.* ; quoad substantiam crescens, cognoscendo quæ antea minime cognoverat, *nego*.

Scilicet, triplici modo dici potest Christum scientia profecisse : 1. vel quia *Verbum*, qua proportione humanitas ab eo assumpta crescebat, majores per eam sapientiæ suæ effectus produxit, sicque suam paulatim sapientiam magis explicavit. et divinitatem suam amplius expressit ; ita SS. Athan., Gregor. Naz., etc. 2. Vel quia *anima* ejus suam sapientiam manifestavit per gradus, secundum diversa ætatis incrementa, et prout Incarnationis œconomia exigebat ; ita SS. Gregor. Naz., Cyrill. Alex., Damasc., Bernard., Gregor. Papa. S. Th. 3. p., q. 12, a. 3, ad 3. Denique 3. vel quia multa jam sibi per scientiam infusam cognita, rursus novo modo, nempe experiendo, secundum varia ætatis suæ incrementa, didicit ; ita SS. Gregor. Naz., Ambros., Damasc., Th. *ibid.* a 2.

118. — *Obj.* 2° Christus ubi Lazarus esset positus inquir Joan. 11, ỳ 34; quasi dubitans postulat an a Petro ametu Joan. 21, ỳ 15; miratus est Centurionis fidem, Matth. 8, ỳ 1 porro hujusmodi inquisitio, interrogatio, admiratio sunt ign rantiæ signa; ergo, etc.

Resp. Nego min. Etenim, 1 « Dominus interrogabat, non aliquid addisceret, sed ut interrogans erudiret. Ex uno quip fonte manat et interrogare, et respondere sapienter; ita Or genes, *super Luc. Homil.* 18. Unde interrogationi respond Petrus : « Domine, *tu omnia nosti; tu scis* quia amo te ».

2° Admiratur Christus, non quia ad rei antea ignotæ con pectum attonitus est, sed ut pretium rei sibi antea cognit mirifice laudet, et ut eximium commendet. « Quod mirabatu Dominus, nobis mirandum esse significat, quibus adhuc opu est sic moveri. Omnes ergo tales motus ejus non perturba animi signa sunt, sed *docentis magistri;* » S. August. *supe Gen.* c. 8; S. Th. 3 p., q. 15, a. 8.

3. Demum tales loquendi et agendi humanas rationes usur pavit Christus, ut se verum hominem proderet, et more homi num loqueretur et ageret.

119. — *Obj.* 3° Christus ignoravit diem ultimi judicii; nam ipse dixit : « De *die* autem illo, vel *hora nemo* scit, neque *An geli* in cœlo, neque *Filius*, nisi Pater, » Marc. 13, ỳ 32; ergo ejus scientia non fuit perfecta.

Resp. Dist. anteced. Christus negat se scire diem judicii, qui veluti sub secreto illum sciebat et non ad dicendum aliis *conc;* negat se ullo modo illum scire, *nego.*

Et quidem 1. hæc expositio optime quadrat phrasi Scrip turæ, in qua interdum Deus dicitur *nescire*, quia non faci scire : « *Omnia* quæ *audivi* a Patre meo, *nota feci vobis*; » ai Christus, quasi nihil aliud sciret; et tamen postea dicit « *Multa* habeo *vobis dicere*, quæ non potestis portare modo; » ergo non illis dixerat omnia, quæ a Patre audierat illis reve landa; et nihilominus hæc vocat *omnia* simpliciter. 2. Eadem expositio consonat communi et prudenti loquendi modo, quo ea quæ sub secreto accepimus, nescire dicimus. 3. Hanc in terpretationem tradunt SS. Hierony., Chrysost., August., Ambr., Athan., Basil., Gregor. Papa., Hilar., S. Th. 3 p., q. 10, a. 2., Bossuet, *Méditat. sur l'Evang.*, journ. 77-79.

Et vero Agnoetæ, qui contenderunt Christum ante resur rectionem ignorasse præsertim ultimumjudicii diem, damnati

sunt, ut jam vidimus, n. 113. Talis enim ignorantia repugnat sive dignitati personali Christi, sive muneri supremi Judicis. Pugnat etiam cum revelationibus ab ipso Christo factis. Nam Christus prædixit omnia signa diei judicii, et quæ ante et post illum futura sunt ; quomodo ergo illum ignorasset ? Præscivit qualiter oporteat judicare ; ergo multo magis datum est ei scire quod minus est, scilicet, tempus judicii. Præscivit quid alii facturi essent, scilicet, qui essent in ipsum credituri, quis esset eum traditurus : quomodo ergo ignoraverit quid et quando ipse esset facturus ?

Itaque novit Christus Homo-Deus diem et horam judicii ; cur autem nos eam ignorare voluerit Deus ? neminem suæ Religionis non ignarum latet, nempe, ut semper vigiles et in bonis operibus ferventes essemus ; *exspectatio quippe perpetua* inquit S. Basilius, lib. 4 contra Eunomium, *ferventiores ad pietatem reddit ; id vero nosse, multum tempus interfuturum, negligentiores... effecisset.*

NUMERUS II

De medio scientiæ Christi.

120. — Scientiæ *medium* est id *per quod* res aliqua cognoscitur. Porro triplex hujusmodi medium distingui potest, scilicet, *lumen gloriæ*, *species infusa*, et *sensus*.

1. Per *lumen gloriæ*, anima Deum in seipso intuitive cognoscit, et res in Deo seu in Verbo, ope ipsius divini luminis ; in hoc consistit scientia *beatifica*.

2. Per *species* seu notiones a Deo infusas, res et veritates sive supernaturales sive naturales in seipsis cognoscuntur ; et inde scientia *infusa* est per se aut per accidens, prout non aliter quam infusione, aut aliunde et naturaliter comparari potest. Vide Billuart., dissert. 11, a. 1.

3. Denique per *sensus* et *exercitium rationis* plura hactenus ignota aut jam per scientiam infusam cognita, *experiendo* cognoscuntur ; unde scientia *acquisita* seu *experimentalis*. Jam vero quæritur an triplex illa medii et scientiæ species fuerit in anima Christi.

PROPOSITIO

121. — *Anima Christi intuitive Deum vidit a principio unionis hypostaticæ.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* « Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cendit de cœlo, *Filius hominis, qui est in cœlo;* » Joan. ℣ 13. Unde sic : quo tempore hæc dicebat Christus, n dum corpore in cœlum ascenderat : atqui tamen tunc filius hominis erat in cœlo ; ergo erat in cœlo per vision intuitivam. Insuper, « Deum *nemo vidit* unquam ; unige tus Filius, *qui est in sinu Patris,* ipse *enarravit;* » Joan. ℣ 18 : porro narravit ut homo ; ergo ut homo tunc e in sinu Patris. Equidem illi textus omnino non cogunt; n parum tamen assertam propositionem innuere videntur.

2° *Traditione.* Pauci occurrunt ex SS. Patribus, qui scrte apertéque propositionem asserant ; sed eamdem omnino certam propugnant Theologi ; « nec hactenus *ul* catholicus scriptor exstitit, ait Petavius, qui existima Christum *unquam, ex quo vivere cœpit, divino aspectu c ruisse, summumque felicitatis æternæ gradum non attigisse* *de Incarn.* lib. 11, c. 4, n. 8.

3° *Ration. theol.* 1. Ex dictis, n. 113, Christus ab or fuit plenus veritatis, omnibus sapientiæ et scientiæ thesa ris cumulatus, ita ut perfectissimam absque ullo profec et incremento habuerit scientiam ; atqui, ex S. Paulo, q nondum visione intuitiva fruitur, cognoscit tantum *parte,* videt *in ænigmate* et *per speculum, per fidem* ambul et non *per speciem, peregrinatur a Domino;* I Cor. 13, ℣ 1 13, ac proinde sub omni respectu imperfectam scienti habet, atque vere in sapientia et scientia proficere pote et debet ; ergo visione intuitiva ab ortu suo fruita est an ma Christi.

2. Carere divina felicitate magna est imperfectio : por talis defectus nec pro nostra salute necessarius erat, cum ex dicendis, visio intituiva coexistere possit cum libertat passibilitate et actu meritorio in Christo ; nec divinam pe sonam decebat, quæ, ut vidimus, n. 110, per se requir in anima assumpta statum et operationem divinam, quantum fieri potest ; ergo Christus potuit et debuit semp habere visionem beatificam.

3. Christus de justitia aliis meruit gratiam et gloriam ex dicendis : porro, etsi visio Dei per se et proprie non re

quiratur ad meritum, tamen maxime conveniens fuit, ut perfectissimum principium omnis meriti esset gratia consummatum ; ergo, etc.

Quanta fuerit autem visio intuitiva in anima Christi, infra dicetur, n. 137.

122. — *Quæritur* 1° an per visionem intuitivam, anima Christi ab ortu cognoverit *essentiam divinam* in *trinitate personarum*, et *omnia contingentia?*

Resp. affirmative. Et quidem 1. *Deum in trinitate personarum.* De fide est enim *Deum ut trinum* esse primarium visionis beatæ objectum, ex dicendis in Tract. *de Gratia*, n. 365.

2. *Omnia contingentia.* Namque, ex ibidem dicendis, juxta communem sententiam, omnis Beatus videt in Verbo seu per lumen gloriæ omnia, quæ ad statum suum pertinent : atqui omnia contingentia præterita, præsentia et futura pertinent ad statum, dignitatem et munera Christi, n. 115; ergo hæc omnia ab ortu cognovit per visionem intuitivam. Et vero, perfectior est modus visionis per lumen gloriæ, quam per aliud quodcunque medium; ergo omnia hoc divino modo cognovit anima Christi.

123. — *Quæritur* 2° an *fides* theologica in Christo esse potuerit?

Resp. negative, et certum est. Objectum enim fidei theologicæ est res divina non visa : atqui, ex dictis, n. 122, anima Christi ab ortu Deum ut trinum intuitive vidit; ergo in ea fides esse non potuit.

Attamen quidquid perfectionis est in fide habuit Christus, sed absque defectu visionis, quem importat fides. Nam meritum fidei consistit in eo quod homo ex obedientia erga Deum assentiat veritatibus, quas non videt : porro Christus obedientiam ad Deum plenissime habuit, juxta illud : *Factus obediens usque ad mortem;* ergo ipse excellentius habuit id, unde meritum fidei sit in nobis.

124. — *Quæritur* 3° an *spes* theologica fuerit in Christo?

Resp. negative, et certum est. Namque objectum principale et proprium spei theologicæ est beata Dei fruitio nondum adepta : porro anima Christi a primo instanti illam fruitionem habuit; ergo in ea nunquam fuit spes theologica. Proinde quidquid perfectionis est in spe theologica, scilicet, unio cum bono divino, fuit in anima Christi, sed absque spei imperfectione seu exspectatione boni nondum habiti.

Objectum autem secundarium spei est gloria corporis, quæ ex animæ gloria redundat, et etiam exaltatio nominis : porro hæc a primo instanti non habuit Christus, ut pro nobis satisfacere posset; ergo illa speravit, juxta illud : *In te, Domine, speravi;* Ps. 30.

125. — *Quæritur* 4° an Christus fuerit simul *comprehensor* et *viator ?*

Resp. affirmative, et certum est. Etenim comprehensor est ille, qui jam beatitudine fruitur : viator autem, qui est in via ad beatitudinem qua caret, et ideo in statu merendi : porro anima Christi a primo instanti Deum intuitive vidit, et proinde beatitudinem sibi propriam ab ortu obtinuit; Christus autem ante resurrectionem caruit beatitudine corporis, atque fuit in statu merendi sibi et aliis, ex dicendis; ergo, ante resurrectionem, fuit comprehensor simul et viator. S. Th. 3. p., q. 15, a. 10.

126. — *Quæritur* 5° an, præter scientiam beatificam fuerit in anima Christi *scientia infusa ?*

Resp. Controvertitur. Alii negant; namque, per scientiam beatificam, Christus omnia ad suum statum et dignitatem pertinentia perfecte cognoscit; ergo inutile videtur, quod eadem per scientiam infusam cognoscat. Et vero, per lumen gloriæ anima res cognoscit *in Verbo divinitus;* per scientiam autem infusam res *in propria natura* cognoscuntur, et proinde modo et medio minus perfecto : atqui cognitio perfecta per se excludere videtur imperfectam ejusdem rei cognitionem.

Alii affirmant. Christus enim a primo instanti fuit non

solum comprehensor, sed etiam viator, n. 125; ergo debuit habere aliquam cognitionem viatori propriam et ideo infusam de rebus in se supernaturalibus et etiam naturalibus. Et revera, ad perfectionem intellectus creati, etiam elevati per gratiam, pertinet ut cognoscat res in propria natura. Ita S. Thom. et Thomistæ. Attamen « de scientia in Christo infusa, præter beatificam, nihil apud antiquos liquidi ac definiti reperitur, » ait Petavius, *de Incarn.*, lib. 11, c. 4. Juxta autem Suarez, « negare in Christo scientiam supernaturalem et per se infusam, distinctam a beata, est falsum et minus probabile. » *De Incarn.* disput. 25, sect. 3.

127. — *Quæritur* 6° an fuerit in anima Christi scientia *acquisita?*

Resp. affirmative. Christus enim usus est sua ratione, et sensibus visus, auditus, tactus, etc.; similiter sitim aliasque naturales humani corporis necessitates et dolores expertus est, ex dicendis; ergo nova ratione seu experiendo cognovit multa, quæ jam antea per scientiam infusam aut beatificam noverat.

Itaque, juxta S. Thom., 3 p., q. 9, a. 4, per scientiam beatificam Christus habuit modum cognoscendi proprium et connaturalem soli Deo; per scientiam infusam, modum cognoscendi proportionatum naturæ angelicæ; et per scientiam acquisitam, modum cognoscendi humanæ naturæ connaturalem.

§ III

De dotibus animæ Christi, quoad voluntatem.

128. — Dotes Christi quoad animæ voluntatem, sunt sanctitas *negativa* ex immunitate a peccato, sanctitas *positiva* ex gratia unionis et ex gratia sive habituali sive actuali, et *libertas*. De his tribus sigillatim dicemus.

NUMERUS PRIMUS

De sanctitate negativa Christi ex immunitate a peccato.

PROPOSITIO

129. — *Christus, ut homo, fuit ab omni peccato immunis, imo absolute impeccabilis.*

1° *Ab omni peccato immunis*, de fide est. Et quidem 1. *a peccato originali.* Dicitur enim de Christo : « Quod nascetur ex te *Sanctum*, vocabitur Filius Dei; » Luc. 1, ℣ 35; ergo ab ipsa conceptione Christus fuit sanctus seu ab omni peccato immunis. Et revera, ex dicendis in Tract. *de Gratia*, n. 238, 239, soli homines ex Adamo naturaliter geniti, peccatum originale contrahunt : porro Christus non naturaliter ex semine Adæ, sed operante Spiritus Sancti virtute conceptus est, ex dicendis, n. 153; ergo non fuit contentus in lumbis Adæ peccantis, nec proinde in ipso peccavit.

2. *A peccato actuali.* Christus enim de seipso dixit : *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Joan. 8, ℣ 46; nec a novemdecim seculis aliquid tali inaudito verbo contrarium allatum est, sed Christus coram amicis et inimicis personam Dei gerens, divinos mores ita perfecte est imitatus, ut a Deo distingui nequeat. Insuper : « Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris : tentatum per omnia pro similitudine *absque peccato*... Decebat ut nobis esset Pontifex *sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus*, et excelsior cœlis factus. » Hebr. 4, ℣ 15; 7, ℣ 26.

Unde Conc. Ephesinum definivit, « Christum obtulisse sacrificium pro nobis solis, *non pro se*, quia *peccatum omnino nescivit*; » n. 20.

Et vero, si Christus aliquod peccatum contraxisset aut patrasset, persona Verbi seu Deus ipse vere peccator fuisset : hoc autem omnino repugnat; ergo, etc. Sed etiam, ex dicendis, finis Incarnationis fuit destruere peccatum, et divinam doctrinam verbo et exemplo persuadere; ergo maxime opportuit peccati destructorem, et talis doctrinæ prædicatorem esse summa innocentia et virtute præditum.

Cæterum Christus, etsi non peccaverit, præbuit tamen perfectissimum pœnitentiæ exemplum, sive dolendo de alienis peccatis propter sincerum et perfectum Dei amorem, eaque detestando uti Dei injurias et offensiones; sive voluntarie pœnam pro peccatoribus sustinendo, et pro illis satisfaciendo.

Itaque « Deus eum (Christum), qui *non noverat peccatum*, pro nobis *peccatum fecit*, » II Cor. 5, ℣ 21, non quidem ut in se peccatum haberet, sed vel quia fecit eum hostiam pro peccato, juxta illud : *Posuit in eo iniquitatem omnium*, Isa. 53, ℣ 6; vel quia fecit Christum habentem *similitudinem carnis peccati*, Rom. 8, ℣ 3, id est, corpus passibile et mortale sicut peccatores. S. Th., 3 p., q. 15, a. 1, ad 4.

2° *Absolute impeccabilis*; certum est. Constat 1. *Traditione*. Hoc enim diserte testantur SS. Patres. « Per assumptionem *voluntas humana impeccabilis* facta est; » S. Athan. *Serm*. 2, *contra Apollin*. — « Voluntas humana Christi ita fuit *deificata* per unionem ad Verbum, ut *non posset* divinæ repugnare; » S. Greg. Naz. *Orat*. 36. — « Beatissima Christi anima in Deo semper existens, *quidquid agit, quidquid intelligit, Deus est;* et ideo *inconvertibilis* est, et *immutabilis;* quam inconvertibilitatem *ex Dei Verbi unione* indeficienter ignita *possedit*. » Orig. *de Principiis*, lib. 2, c. 6.

2. *Ratione theolog*. Verbum utpote terminus permanens naturæ humanæ, suas facit omnes illiusce naturæ operationes; ergo anima assumpta peccare non posset, quin persona Verbi hoc peccatum suum faceret, sicque ipsa peccatrix evaderet : atqui prorsus repugnat Deum fieri posse vere peccatorem; ergo anima Christi ex unione hypostatica cum Verbo, est absolute impeccabilis.

130. — *Quæritur* 1° an in anima Christi fuerit *imperfectio voluntaria?*

Resp. Negative, et certum est. Etenim voluntaria imperfectio in ordine morali, est violatio alicujus divini consilii : atqui prorsus repugnat personam Verbi suam facere voluntariam alicujus consilii divini violationem; ergo anima

assumpta fuit essentialiter immunis ab omni voluntaria imperfectione, sicut et ab omni peccato. Proinde, inter varia opera, Christus semper illud elegit quod, habita sui status et omnium circumstantiarum ratione, *optimum* erat et divinis consiliis maxime consentaneum, juxta illud : *Quæ placita sunt ei* (Patri), *facio semper;* Joan. 8, ℣ 29.

131. — *Quæritur* 2° an in anima Christi fuerit *peccati fomes* seu *concupiscentia?*

Resp. negative, et certum est. In hoc enim consentiunt SS. Patres et Theologi : « Quisquis credit *carnem Christi contra spiritum concupisse*, anathema sit, » inquit S. Aug., *Opus imperf.* lib. 4, c. 47. — « Mens Christi divinitati suæ ita fuit conjuncta, ut non solum peccare non potuerit, verum *neque interius concuti*, aut *perturbari;* » S. Gregor. Papa, *Homil.* 16. Concilium generale v damnavit quemdam Theodorum, qui dicebat « Christum *aliquo tempore* vitæ suæ *rebellionem appetitus inferioris passum esse*, et virtutis exercitio illum superasse; » *Collat.* 8. *can.* 12.

Et vero 1. fomes peccati est indeliberatus quidam motus rectæ rationi repugnans, et declinans ad peccatum : atqui maxime indecens et incongruum fuit, ut Verbum quatenus terminans naturam quamlibet, ejusmodi motibus obnoxium esset; ergo Christus tales motus nec expertus est, nec experiri potuit.

2. Nullus fuit in Christo motus nisi voluntarius, et ideo nullus motus indeliberatus, et a fortiori rectæ rationi contrarius. Nam, ex dictis, anima Christi actualem usum rationis semper habuit, et etiam, ex dicendis, gratiæ et virtutis plenitudinem; ergo omnes motus inferioris appetitus prævidit, atque illos admittere aut vitare potuit.

Proinde nulla fuit etiam *involuntaria imperfectio in* anima Christi; scilicet, nulla distractio in intellectu, nullus motus indeliberatus in activitate, juxta illud : *Providebam Dominum in conspectu meo semper...; semper laus ejus in ore meo;* Ps. 15, 33.

Cæterum, licet Christus non sustinuerit interiorem impugnationem ex parte fomitis, sustinuit tamen impugna-

tionem exteriorem ex parte mundi et diaboli, quos superando, victoriæ coronam promeruit.

NUMERUS II

De sanctitate positiva Christi ex gratia unionis, et ex gratia sanctificante.

132. — *Quæritur* quid sit sanctitas *positiva*, sanctitas ex gratia *unionis*, et ex gratia *sanctificante?*

Resp. Sanctitas *positiva* est forma quædam seu *modus essendi* et *operandi*, quo creatura rationalis fit *positive* Deo *grata* in ordine ad finem suum. Hic agitur autem de illa forma, qua creatura rationalis fit positive Deo grata in ordine supernaturali.

Porro duplex esse potest in Christo hujusmodi forma Deo *gratum faciens* in ordine supernaturali, nempe gratia *unionis*, et gratia *sanctificans.*

Gratia *unionis* est non quidem ipsa *unio* hypostatica, sed *ipsum uniri personaliter Filio* Dei, seu ipsum *esse personale divinum* quatenus gratis concessum naturæ humanæ in persona Verbi; S. Th. 3 p., q. 6, a. 6; q. 7, a. 11; et talis gratia dicitur *substantialis*, sicut et ipsa unio hypostatica, n. 50. Sic, v. g., ipsum uniri hypostatice animæ, corpus humanum elevat supra quamlibet speciem animalium, gratumque facit in gradu dignitatis humanæ. Similiter, ipsum uniri personæ Verbi animam et corpus Christi elevat supra quamlibet creaturam, et utrumque facit Deo gratum in gradu dignitatis et sanctitatis ipsius Verbi divini.

Gratia *sanctificans*, sive habitualis, sive actualis, est ipsius naturæ et vitæ divinæ participatio, qua *anima* Christi in sua *substantia* et *operatione* fit *deiformis, deifica;* et hæc gratia dicitur *accidentalis*, eo quod illa substantiæ et operationis deificatio fiat per modum *accidentis* tantum. Vide Tract. *de Gratia*, n. 187, 190. Nunc vero quæritur utrum Christus, ut homo, fuerit sanctus et Deo gratus ex utraque illa gratia.

PROPOSITIO PRIMA

133. — *Christus, ut homo, vi ipsius gratiæ unionis, est absolute et simpliciter sanctus et Deo gratus.* Certum est,

Prob. 1° *Script.* Dicitur enim de Christo: « *Unxit te, Deus,* Deus tuus, oleo lætitiæ *præ consortibus tuis;* » Ps. 44. — *Ungatur Sanctus Sanctorum;* Daniel 9, ℣ 24. — « Ideoque et quod nascetur ex te *Sanctum,* vocabitur *Filius Dei;* » Luc. 1, ℣ 35. Porro in illis textibus, agitur de unctione superexcellenti, constitutiva Sancti sanctorum, substantivum in modum ennuntiata, de Christo homine prædicata, et quia est *Deus, Filius* Dei; ergo illa eximia singularis unctio est ipsamet Verbi divinitas quatenus redundans in ipsam naturam humanam Verbo hypostatice conjunctam.

2° *Ex SS. Patribus,* « Deus Pater *unxit* Christum oleo exsultationis præ consortibus suis, cum *humanitatem divinitate unxit,* ut *ambo unum* facerent... *Humanitas* fuit *delibuta, uncta, deificata ipsa unione ad Verbum,* » ait S. Gregor. Naz., Orat. 15, 42. — Christus vocatur *Unctus,* non sicut alii reges aut Sancti, sed *quia Verbum caro factum est*... Cum Verbum antea non esset Christus, *in ipsa carnis assumptione* dictum est *Christus,* » inquit S. Cyrill. Alex., *in Joan.* 29. — « Quando Deus factus est homo, tunc hoc nomen, *Christus,* inductum est. Ipse *seipsum unxit; divinitas* enim *humanitatis unctio est,* » juxta S. Damasc. *de fide,* lib. 4, c. 3, 4, 6. Unde sic: unctio est ipsa sanctitatis forma: atqui, ex illis textibus, divinitas seu persona Verbi in ipsa unione facta est unctio humanitatis; ergo, vi gratiæ unionis, Christus, ut homo, factus est infinite seu absolute sanctus et Deo gratus.

3° *Ration. theolog.* Ille dici debet absolute et simpliciter sanctus et Deo gratus, qui est naturalis Filius Dei, ad infinitam et omnino divinam dignitatem elevatus, et cui debetur omne donum creatum, ipseque latriæ cultus: atqui hæc omnia ad Christum, ut hominem, pertinent vi gratiæ unionis; ergo, vi hujusmodi unionis, Christus ut homo, est absolute et simpliciter sanctus et Deo gratus. Proinde gratia unionis est *unctio simpliciter dicta,* atque individuum illa unione seu unctione constitutum, merito nuncupatur *Christus* seu Unctus simpliciter, *Sanctus sanctorum.*

Itaque *Verbum* est quasi *forma* naturam humanam sanctificans, et constituens hunc hominem per se et simpliciter

sanctum; *unio* autem *hypostastica* est quasi *via* seu *conditio* ad illam sanctificationem necessaria. Tandem, *unitio* seu *operatio*, qua perficitur unio hypostatica, Spiritui Sancto appropriatur, 79; et ideo Christus aliquando in Scripturis dicitur Spiritu Sancto *unctus* in ipsa unione hypotastica, eodem sensu, scilicet, quo Christus dicitur de Spiritu Sancto *conceptus* atque *natus*, n. 157.

PROPOSITIO II

134. — *Anima Christi habet gratiam habitualem et actualem*. Certum est.

Prob. 1° *Script.* « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis : et vidimus gloriam ejus... *plenum gratiæ* et *veritatis*... et *de plenitudine ejus* nos omnes *accepimus :* » Joan. 1, ℣ 14. — *Jesus plenus Spiritu Sancto;* Luc. 4, ℣ 1. — « Requiescet super eum *Spiritus* Domini ; » Isa. 11, ℣ 2. Porro 1. vox *gratia* sine addito semper in Scriptura significat gratiam habitualem et actualem ; 2. nos de plenitudine Christi accipimus habitualem et actualem gratiam, n. 200, 220; 3. Spiritus Sanctus non dicitur in nobis esse, nisi per illam gratiam actualem et habitualem; vide Tract. *de Trinit.*, n. 92, 98; ergo ex illis textibus constat hujusmodi gratiam habere animam Christi.

2° *Ex SS. Patribus.* « Christus *humano more Spiritum Sanctum accepit,* » ait S. Cyril. Alex., *De fide*. — « Dominus ipse Jesus non solum Spiritum Sanctum dedit ut Deus, sed etiam *accepit ut homo;* et propterea dictus est *plenus gratia*, quia unxit eum Deus Spiritu Sancto, non utique oleo visibili, sed *dono gratiæ;* » S. August., *de Trinit.*, lib. 15. c. 26. — « Quod Virgo genuit *Sanctum*, procul dubio ac *singulariter* sanctum fuit et per *sanctificationem*, et per *Verbi assumptionem ;* » S. Bernard., Homil. 4 in *Missus est*.

3° *Ration. theol.* Christus omnino divinus est in persona ; ergo divinus etiam esse debet in anima, ut hujus et modus essendi, et dispositio, et operatio fiant connaturales et proportionatæ personæ agentis : atqui anima, cum non possit esse substantialiter divina, fit divina saltem accidentaliter,

seu naturæ et vitæ divinæ consors, in quantum potest, per gratiam habitualem et actualem; ergo hujusmodi gratia est in anima Christi diffusa.

Et vero, gratia unionis dat quidem esse *personale* divinum, sed per se non afficit ipsam animæ *substantiam* atque *vitam;* ergo, ut ex omni parte Christus habeat perfectionem proportionatam et consummatam, quam in Christo fuisse tradunt omnes SS. Patres et Concilia, requiritur deificatio substantiæ et operationum animæ assumptæ per naturæ et vitæ divinæ participationem.

135. — Hinc 1° gratia habitualis et actualis in Christo est *gratiæ unionis consectarium*. Certum est.

Etenim, ex jam dictis, gratia habitualis in Christo requiritur, ut modus essendi et operandi ex parte animæ sit connaturalis et proportionatus personæ agentis; ergo illa gratia in Christo est naturale et quodammodo necessarium unionis hypostaticæ consectarium, ut ait S. S. August. *Enchir*. 40, quem sequuntur omnes Theologi.

Propterea Filius per gratiam unionis in mundum *visibiliter missus* dicitur, tanquam gratiæ habitualis et actualis seu sanctificationis *auctor;* Sanctus autem Spiritus dicitur per gratiam habitualem et actualem *invisibiliter missus*, ut hujus gratiæ seu charitatis *operator;* vide Tract. *de SS. Trinit.*, n. 92, 98, 106.

136. — Hinc 2° gratia unionis per se Christum sanctificat perfecte *intensive*, gratia autem habitualis et actualis perfecte *extensive*. Certum est.

Etenin gratia unionis Christo confert personam in se vere et proprie divinam; ergo per se Christum sanctificat modo *personaliter* prorsus *divino*, *infinite* et perfecte *intensive*, ita ut illa gratia cæteras omnes gratias *eminenter* contineat, easque ut consectaria secum afferat. Gratia vero habitualis et actualis animam Christi facit in substantia et in operatione, non vere et proprie *divinam*, sed *deiformem*, seu *deificam;* ergo per se Christo non confert *altiorem* sanctitatis *gradum*, seu *plus sanctitatis*, sed *aliam* sanctita-

tem ; et ideo Christum *extensive* tantum sanctificat. Unde non *sanctior* est Christus per utramque gratiam simul sumptam, quam per solam unionis gratiam; sed tantum magis *completam* seu ex omni parte connaturalem et proportionatam sanctitatem habet.

137. — *Quæritur* 1° an adeo eximia et singularis *plenitudo gratiæ* habitualis et actualis, et ideo *gloriæ* data sit Christo, ut ei *æqualis* non sit, nec erit in hominibus aut Angelis etiam simul sumptis?

Resp. affirmative, et certum est. Etenim 1., ex allatis Scripturæ textibus, n. 113, 134, Christus, ut homo, habuit *omnes thesauros sapientiæ* et *scientiæ* atque *gratiæ plenitudinem* simpliciter : atqui plenitudo simpliciter dicit gratiam in maxima excellentia, quæ de facto habetur et unquam erit, et in maxima extensione ad omnes gratiæ effectus. S. Thom. 3 p., q. 7, a. 9.

2. Ita communiter docent SS. Patres. « Gratia Christi *incomparabiliter excedit gratias aliorum*, » juxta SS. August. et Bonavent. — « Gratia cujusque aliorum est quasi *gutta parva*, gratia vero Christi est *immensus abyssus* et *infinitum pelagus*, » ait S. Chrysost., Homil. 13 *in Joan.* — « Christus plenus fuit ut *fons*, Maria ut *aquæductus*, alii ut *rivuli*, » inquit S. Bernard., Serm. *de Nativ. Mariæ*. Ergo, etc.

3. Revera nullus gradus finitus gratiæ habitualis et actualis assignari potest, ita conveniens ac decens dignitatem personæ Christi, quin major gradus sit etiam decens et proportionatus tantæ dignitati; ergo, si possibilis esset infinita gratia habitualis et actualis, illa sola haberet veluti adæquatam maximeque connaturalem proportionem cum tali dignitate. Porro gratia habitualis et actualis in se absolute summa et infinita est impossibilis; ergo saltem hujusmodi gratiæ tanta plenitudo concessa fuit animæ Christi, ut ei æqualis non sit, nec futura sit in hominibus aut Angelis etiam collective sumptis. Aliunde, quanto aliquod receptivum est propinquius causæ influenti, tanto magis participat influentiam ipsius : atqui anima Christi, ex dic-

tis, n. 99, per unionem hypostaticam, quam maxime accedit ad Deum, qui *dat gratiam et gloriam*, Ps. 83: ergo, etc.

Tandem, ex dicendis, Christus est caput hominum et Angelorum et secundum influentiam gratiæ et gloriæ: atqui caput, fons et causa eminenter continet quidquid est in membris, in rivulis, in effectu; ergo, etc.

138. — *Obj*. Plenitudo gratiæ interdum in Scriptura tribuitur aliis Sanctis, v. g., B. Virgini, Luc. 1, ỳ 28, S. Stephano, Act. 6, ỳ 8; ergo plenitudo gratiæ non est Christo propria.

Resp. *Disting*. *anteced*. Aliis Sanctis tribuitur plenitudo gratiæ alio sensu ac de Christo prædicatur, *conc.*; eodem sensu, *nego*. Nam plenitudine gratiæ in Scriptura significatur vel magna in genere abundantiam gratiæ et sanctitatis, v. g., *Repleta est Elisabeth Spiritu Sancto*, Luc. 1, ỳ 41; vel sufficiens gratia ad merendam vitam æternam, quæ in plena Dei fruitione consistit, v. g.: *Ut impleamini in omnem plenitudinem Dei*, Ephes. 3, ỳ 19; vel sæpius gratia proportionata dignitati et muneri, ad quod quis est a Deo electus: sic B. Virgo dicitur *gratia plena*, quia habebat sufficientem gratiam ad statum maternitatis divinæ. Idem etiam dicitur de S. Stephano, qui habebat gratiam sufficientem, ut esset idoneus minister et testis Dei, ad quod erat electus.

Hæc igitur *respectiva* plenitudo multiplex est, et major vel minor, pro diversitate et perfectione statuum et dignitatum: atqui dignitas Christi, sicut et ejus munus, est omnium suprema, et eminenter omnes alias continet; ergo plenitudo gratiæ tali dignitati et muneri proportionata, in plenitudinem simpliciter et ideo omnino singularem et Christo propriam redundavit.

139. — *Quæritur* 2° an gratia habitualis et actualis, et ideo gloria, *primo instanti conceptionis* infusa sit in anima Christi, secundum *plenitudinem quam perpetuo erat* habitura, *absque ullo* illius *augmento* vel *mutatione*?

Resp. *affirmative*, et certum est. Ex dictis enim, n. 137, gratiæ et gloriæ plenitudo simpliciter data est animæ Christi propter hujus animæ unionem hypostaticam cum Verbo: atqui hæc unio fuit a primo instanti conceptionis; ergo et illa gratiæ et gloriæ plenitudo. Idem constat ex dic-

tis, n, 113. Et vero, si gratia in tota sua intensitate, quam erat habitura, ab ortu non fuisset in anima Christi, tunc hæc anima in principio caruisset sanctitate requisita et debita perfectione : hoc autem in Christo repugnat ; ergo, etc. Præterea Conc. generale v sic definivit : « Si quis defendit impium Theodorum Mopsuestunum, qui dixit... *Christum a deterioribus paulatim recedentem*, et *sic ex profectu operum melioratum*....., talis anathema sit. »

Proinde in Christo non fuit gratia actualis *excitans*, sed tantum *cooperans*. Christus enim ab ortu et ad optima quæque fuit semper pervigil et erectus; ergo excitante gratia non indiguit. At, ut omnes ejus actus essent deifici seu in se divini ordinis, indesinenter necessarius fuit pro intellectu et voluntate divinus concursus seu gratia cooperans.

140. — *Quæritur* 3° an in Christo fuerint omnes virtutes, quæ cum ejus perfectione et felicitate non pugnabant?

Resp. affirmative. Etenim virtutes sunt *convenientes dispositiones ad actum bonum* : porro, ex dictis, Christus perfectum cognitionis et sanctitatis actum semper habuit ; ergo et omnes perfectas dispositiones ad hujusmodi actum. Proinde Christus ab ortu et in summo quodam perfectionis gradu habuit virtutes charitatis, misericordiæ, prudentiæ, justitiæ, religionis, obedientiæ, gratitudinis, fortitudinis, temperantiæ, mansuetudinis, humilitatis, castitatis, paupertatis, etc.

141. — *Quæritur* 4° an in Christo fuerint *dona* Spiritus Sancti?

Resp. affirmative. Etenim dona de quibus agitur, sunt quidam habitus seu perfectiones, quibus anima *disponitur* ad hoc, quod *prompte* et *expedite* Spiritui moventi obsequatur, ex dicendis in Tract. *de Gratia*, n. 319 : porro, ex dictis, n. 130, Christus semper in omnibus actibus suis optimum elegit, et optime perfecit ; ergo semper prompte et expedite Spiritus Sancti motioni obsecutus est ; et ideo

habuit quidquid perfectionis est in illis donis. Propterea dicitur : « Requiescet super eum Spiritus Domini : spiritus *sapientiæ* et *intellectus*, spiritus *consilii* et *fortitudinis*, spiritus *scientiæ* et *pietatis* ; et replebit eum spiritus *timoris* ; » Isai. 11, ℣ 2 ; S. Th. 2, 2, q. 8, a. 6 ; 3 p., q. 7, a. 5, 6. Aliunde illa dona necnon ac virtutes infusæ, infunduntur simul ac gratia habitualis, ut dicitur in Tract. *de Gratia*, n. 322.

142. — *Quæritur* 5° an gratia habitualis et actualis sit ejusdem speciei in Christo, ac in hominibus justis?

Resp. affirmative, juxta omnes. Etenim 1. Scriptura et Patres eodem modo loquuntur de gratia Christi ac de nostra. 2. Gratia est in Christo sicut fons, in nobis autem sicut rivulus ; ergo in utroque casu est ejusdem naturæ. 3. Anima Christi est exemplar gloriæ et justitiæ nostræ ; nam « Quos præscivit, et prædestinavit *conformes fieri imaginis* Filii sui, » Rom. 8, ℣ 29 : porro exemplar et imitatio ejusdem rationis sunt, in quantum fieri potest. 4. Denique gratia in nobis est participatio naturæ et vitæ divinæ : porro nulla excellentior in anima diffusa concipi potest, ex dictis in Tract. *de Gratia* n. 187, 196 ; ergo, etc.

143. — *Quæritur* 6° an in Christo fuerint *gratiæ gratis datæ*?

Resp. affirmative, et certum est. Etenim gratiæ gratis datæ a Deo conceduntur homini, ut aliorum saluti cooperetur, divinam doctrinam exterius docendo et persuadendo, ex dictis in Tract. *de Gratia*, n. 94, 351 : atqui divinæ doctrinæ et fidei primus et principalis doctor est Christus, juxta illud : *Magister vester unus est, Christus*, Matth. 23 ; ℣ 10. — *Ego sum lux mundi*, Joan. 8, ℣ 12 ; ergo in Christo, sicut in primo et principali fidei Doctore, excellentissime fuerunt omnes gratiæ gratis datæ.

Et vero 1. Christus, cum ab ortu perfectam omnium scientiam habuerit, eo ipso perfecte donatus est gratiis gratis datis *fidei*, *sermonis sapientiæ* et *scientiæ*, *prophetiæ* et *discretionis spirituum*, *linguarum* et *interpretationis ser-*

monum. Propterea in Scripturis sæpe vocatur *Propheta magnus;* Deuter. 18, ℣ 15; Luc. 3, ℣ 24.

2. Similiter humanitas Christi, quatenus instrumentum Verbi sibi uniti, habuit instrumentalem virtutem ad omnes *sanitates* miraculosas et *operationes virtutum* perficiendas, quæ pertinerent ad Incarnationis finem. Unde talis virtus miracula patrandi per totum Evangelii decursum in Christo relucet. Disputant autem Theologi utrum illa virtus instrumentalis in natura assumpta fuerit *moralis* tantum, vel etiam *physica,* ut expositum est de sacramentis, in Tract. *de Sacram. in genere,* n. 58.

144. — Hinc omnes gratias gratis datas habuit Christus *permanenter* et per modum habitus, ita ut ipse arbitrio suo et ad suæ voluntatis nutum, illis gratiis uteretur. Tales enim gratiæ sunt consectarium unionis hypostaticæ, quæ est permanens et perpetua. Alii autem homines gratias gratis datas non recipiunt nisi per modum cujusdam actionis transeuntis; et ideo illis uti non possunt ad nutum suæ voluntatis.

NUMERUS III

De libertate animæ Christi.

145. — Libertas definiri potest : *facultas sui determinativa,* quæ, positis omnibus ad agendum prærequisitis, *agere* potest vel *non agere,* vel etiam *contrarium agere.*

Unde duplex nascitur libertatis species, scilicet, *contradictionis* et *contrarietatis.* Prior circa *bonum* duntaxat versatur, atque ideo est facultas *hoc* vel *illud bonum* operandi, præceptum hoc vel illo *modo,* hujus vel illius virtutis *motivo,* in his vel illis *circumstantiis* adimplendi. Posterior *bonum* et *malum* respicit, atque est potestas *bene agendi* vel *peccandi.* Proinde quæri potest. 1. utrum anima Christi fuerit libera; 2. quodnam in ea fuerit libertatis objectum; 3. quomodo illa libertas coexistere potuerit cum impeccabilitate et visione beatifica. Sit ergo

PROPOSITIO

146. — *Voluntas humana Christi fuit proprie et perfecte libera, saltem circa plurima.* De fide est.

Prob. 1° *Script.* « Ecce virgo pariet filium... butyrum et mel comedet, ut sciat *reprobare malum* et *eligere bonum;* » Isa., 7, ℣ 15 : porro electio est actus facultatis liberæ; ergo, etc. In hoc sensu illum textum de Christo interpretantur SS. Basilius, Hieron., August., Th., 3 p., q. 18, a. 4. Dicitur etiam : « Oblatus est *quia ipse voluit;* » Isa., 53, ℣ 7. — « *Ego pono* animam meam ; nemo tollit eam a me, sed ego pono eam *a meipso*... Ego Patris *præcepta* servavi, et maneo in ejus dilectione; » Joan., 10, ℣ 18; 15, ℣ 10 : porro illis verbis Christus, ut homo, diserte sibi adscribit liberam facultatem moriendi, præcepta servandi, et proinde veram libertatem.

2° *Traditione.* In hoc consentiunt omnes SS. Patres. « Omni necessitate calcata, cum voluit, mortem sponte suscepit Christus, » ait S. Greg. Papa, *Moral.*, lib. 24, c. 2. — « An ideo non illi *libera voluntas* erat, quanto magis peccato servire non poterat? » inquit S. August., *de Prædestin.*, c. 15.

Insuper Concilia generaliter definiunt in Christo fuisse omnes proprietates naturales, et propriam operationem naturæ humanæ, n. 25, 29, 30 : atqui una ex his proprietatibus est liberum arbitrium, et operatio libera est maxime homini propria; ergo, etc.

3° *Ratione theolog.* Ex dictis, Christo imposita fuere præcepta; his præceptis Christus fuit obediens; et, ex dicendis, per hanc obedientiam meruit, et pro nobis satisfecit : atqui præceptum, obedientia et meritum in eo nullum possunt habere locum, in quo nulla est libertas, juxta omnes. Nemo enim alteri præcipit actum, a quo ille abstinere nequit; nemo actui necessario meritum obedientiæ tribuit, et illum præmio dignum putat : « Nulla *laude* esset homo dignus, nisi esset ad utrumque flexibilis, » ait S. Justinus, *Apolog.* 1. — « Ubi *necessitas*, ibi nec *corona;* ideo liberi arbitrii nos condidit Deus, » inquit S. Hieronym., lib. 2, *contra Jovin.* Aliunde, de fide est ad *merendum* vel demerendum in statu naturæ lapsæ, requiri *libertatem a necessitate;* vide Tract. *de Gratia*, n. 342; ergo a fortiori in statu perfectiori, qualis fuit in anima Christi.

147. — *Quæritur* autem 1° quodnam fuerit *objectum* libertatis Christi?

Resp. Non consentiunt auctores propter difficultatem conciliandi in Christo libertatem cum impeccabilitate et visione beatifica. Scilicet, omissis pluribus non ita probabilibus sententiis, alii putant Christum non fuisse liberum circa præceptorum substantiam, sed tantum circa circumstantias, quæ non cadunt sub præcepto. Attamen, juxta eosdem, liber fuit Christus circa ipsum moriendi præceptum, vel quia illius præcepti dispensationem petere potuit; vel quia tale præceptum non fuit Christo impositum, nisi sub conditione liberæ acceptationis. Alii vero sentiunt Christum liberum fuisse tum circa præcepta sive naturalia, sive positiva, tum circa circumstantias eorumdem præceptorum. Quædam igitur de hac valde intricata controversia notare satis erit.

Scilicet, Christus non videtur liber potius circa circumstantias, quam circa substantiam præceptorum.

Etenim 1. violatio divini consilii in Christo prorsus repugnat, ut vidimus, n. 130 : porro quælibet præceptorum circumstantiæ cadunt saltem sub consilio divino. Nam Deus nihil videt aut vult in abstracto et in genere, sed omnia etiam minima, juxta divinæ sapientiæ regulam et gubernationis motum procedere debent : porro hæc providentia magis necessaria videtur circa voluntatem Christi, ut specialius et proximius a divina regatur, maxime in re gravissima Redemptionis; ergo, ut ait S. Th., « Christus *nihil voluntate humana voluit*, nisi quod scivit *Deum velle;* nihil *operatus* est, vel *agendo* vel *patiendo*, nisi quod *voluntas divina disposuit*, juxta illud : *Quæ placita sunt ei, facio semper ;* » 3 p., q. 21, a. 4 ; *Cont. Gent.*, lib. 4, c. 36. Et revera, fere omnes circumstantiæ, quæ ad Christum attinent, fuere adamussim a Prophetis prænuntiatæ, et proinde a Deo prædefinitæ. Quomodo igitur eligere potuerit Christus potius circa circumstantias sub consilio impositas, quam circa præceptorum substantiam?

2. Nec facilius concipitur libertas circa facultatem acceptandi præceptum moriendi, vel de eodem dispensationem

petendi. Deus enim ab æterno aliquid sane statuit circa illam acceptationem aut dispensationem, atque de iisdem saltem consilium manifestavit animæ Christi; ergo hæc anima juxta illud consilium etiam circa hujusmodi petitionem aut acceptationem agere debuit. Aliunde ipse Christus dicit quidem quod, si rogasset Patrem, a morte fuisset liberatus; sed statim addit : « Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, *quia sic oportet fieri?* » Matth., 26, ✝ 53, 54; ergo non ei licitum fuit præcepti moriendi dispensationem petere, aut illud præceptum non acceptare.

3. Tandem, si Christus liber non fuerit circa præceptorum substantiam, tunc pars melior et principalior libertati subtrahitur, sicque valde in Christo deprimitur actionis et meriti perfectio. Itaque

148. — *Quæritur* 2° quomodo *coexistere* potuerit in Christo *libertas* cum *impeccabilitate?*

Resp. Ut humana voluntas in Christo sit simpliciter et absolute impeccabilis, requiritur et sufficit auxilium efficax, ei intrinsece, essentialiter et continuo debitum et concessum : porro hujusmodi auxilium facile cum libertate coexistere potest; ergo Christus potuit esse simul liber et absolute impeccabilis.

Prob. major. Et quidem 1. *requiritur auxilium efficax.* Namque humana voluntas etiam in Christo declinare a malo et bonum perficere non potest, nisi ex concursu efficaci, qui ipsam voluntatem immediate afficiat; ergo auxilium semper efficax requiritur. Et vero, persona Verbi per se quidem est essentialiter sancta et impeccabilis, sed per se non movet voluntatem animæ assumptæ: ergo, præter essentialem impeccabilitatem personæ Christi, requiritur concursus efficax, qui humanam voluntatem ad bonum semper impellat; n. 134.

Insuper humana Christi voluntas, ratione personæ cui tribuitur, de facto et etiam absolute est impeccabilis; ergo auxilium efficax, quo revera declinat a malo et bonum eligit illa voluntas, huic *intrinsece, essentialiter* et *continuo debetur* et *conceditur*, ita ut omnino repugnet talem volunta-

tem efficaci auxilio unquam carere, aut etiam carere posse.

2. *Sufficit* hujusmodi auxilium. Etenim ille est intrinsece et essentialiter impeccabilis, cui intrinsece et essentialiter debetur et conceditur auxilium semper efficax ad non peccandum, et ad bonum eligendum : atqui ita est de humana Christi voluntate, ex jam dictis; ergo illud auxilium efficax sufficit, ut Christus, quatenus homo, sit absolute et intrinsece impeccabilis.

Et vero, Sancti in gratia confirmati habent quidem auxilium semper efficax, et ideo nunquam *de facto peccant*; sed in se nullo modo repugnat illos tali efficaci auxilio carere, et ideo semper sunt *peccabiles*. E contra, omnino repugnat voluntatem humanam, quatenus est voluntas Christi, unquam efficaci auxilio destitui; ergo repugnat illam voluntatem, tali auxilio suffultam, esse peccabilem.

Prob. minor., scilicet, auxilium efficax essentialiter et continuo debitum et concessum, coexistere potest cum libertate. Nam auxilium *efficax* illud est, cui de *facto* quidem et *infallibiliter*, sed *non necessario*, voluntas consentit, et ideo illud auxilium per se non tollit libertatem : porro, quæcunque sit ratio propter quam concedatur auxilium efficax, hujus auxilii natura in se eadem remanet; ergo efficax auxilium, etsi essentialiter debitum et concessum, cum libertate coexistere potest. Vide Suarez, *de Incarn.*, disp. 37, sect. 3.

149. — *Quæritur* 3° quomodo *libertas* in anima Christi coexistere potuerit cum *visione beatifica?*

Resp. Hic etiam in plures sententias abeunt auctores. Scilicet, positis visione beatifica et amore consequente, qui perfecte et adæquate intellectum et voluntatem adimplent, jam nulla remanet facultas aliud objectum eligendi; ergo, sub influxu visionis beatificæ, voluntas non potest Deum non diligere et quidem perfecte, ac proinde non velle omnia media seu præcepta et consilia cum illo amore perfectissime connexa et in illo implicata. Porro Christus ab ortu fuit perfecte comprehensor; ergo non potuit non velle omnia præcepta et consilia sibi imposita.

Hæc defficultas diverso modo ab auctoribus solvitur. Alii in Christo distinguunt vel duplicem amorem, unum, scilicet, regulatum scientia beata et necessarium, et alterum scientia infusa regulatum et liberum ; vel in eodem amoris actu duplicem terminationem, unam ad divinam bonitatem in se consideratam, ex qua procedit amor necessarius, et alteram ad divinam bonitatem, ut est ratio diligendi creaturas, ex qua amor liber oritur. Billuart, *de Incarn.*, dissert, 18, art. 4, § 3.

Alii vero distinguunt duplicem divini concursus speciem. Scilicet, actus amoris beatifici est in se distinctus a visionis actu, atque ex alio divino concursu producitur ; ergo, etsi visio beatifica per se et ex lege ordinaria. motionem necessitantem circa voluntatem induceret, tamen non repugnat Deum, etiam stante illa visione, saltem *extraordinarie* ex influxu non necessario determinante movere voluntatem. Et revera, « *Il n'y a dans les choses, que ce que Dieu y met.* Comme donc un homme est, dès là que Dieu veut qu'il soit ; il est libre, dès là que Dieu veut qu'il soit libre ; et il *agit librement*, dès là que Dieu *veut* qu'il agisse librement ; et il fait librement telle ou telle chose, dès là que Dieu le veut ainsi. » Bossuet, *Traité du libre arbitre*, c. 8. Ergo Christus potuit esse liber simul et comprehensor.

ARTICULUS IV

De dotibus Corporis assumpti.

Dotes corporis Christi spectant ejus originem, naturalem perfectionem, et supernaturalem sanctitatem. Unde triplex erit paragraphus.

§ I

De origine Corporis Christi.

PROPOSITIO PRIMA

150. — *Christus, ut homo, fuit genitus a B. Maria.* De fide est.

Prob. 1° *Script.* Dictum est enim : « Ecce *concipies* et *pa-*

ries filium, et vocabis nomen ejus Jesum... et quod *nascetur ex te* Sanctum, vocabitur *Filius Dei;* » Luc. 1, ✝ 35. Propterea Christus sæpe in Scriptura dicitur *filius hominis, filius David,* vel *Abrahæ, flos de radice Jesse, factus ex muliere, ex semine David* secundum carnem.

2° *Traditione.* Illud consignatur in Symbolis, et definitum est a Conc. Ephes., n. 11. Quare SS. Patres specialiter B. Mariam vocant *thronum, thalamum, tabernaculum, templum Dei,* atqque B. Virgo dicitur *Dei Genitrix,* n. 90.

3° *Ration. theol.* 1. Deus voluit sese omnibus modis hominibus communicare : porro unus ex illis modis valde perfectus, est quod Deus, non solum sit homo, sed etiam filius hominis ; ergo, etc. Et revera, ad gloriam Dei et ad naturæ humanæ exaltationem maxime confert personam humanam cum Deo conjungi, in quantum fieri potest : atqui B. Maria, dum fit mater Christi, *affinitatem* cum ipso Deo contrahit, *finesque divinitatis* propinquissime attingit, ita ut infinite superet quidquid infra Verbum incarnatum excogitari potest ; ergo maxime conveniens fuit Christum ab aliqua persona humana generari. S. Th. 2. 2, q. 103, a. 4, ad 2.

2. Christus naturam humanam assumpsit, ut eam a corruptione purgaret, ex dicendis : atqui natura humana purgatione non indigebat, nisi secundum quod infecta erat per originem vitiatam, qua ex Adamo descendebat ; ergo decuit ut illam naturam curaret, carnem sumendo ex materia ex Adamo derivata. Cæterum, ad majorem dignitatem naturæ humanæ pertinuit, ut ex illo genere victor diaboli nasceretur, quod per diabolum fuerat victum.

3. Sicut uterque sexus cooperator fuerat in lapsu generis humani, ita et ad liberationem uterque cooperari debuit : porro virilis sexus, cum sit nobilior, assumptus est ; ergo conveniens erat ut femineus sexus illum Redemptorem generaret. Unde S. August. dicit : « Nolite vosipsas contemnere, feminæ : Filius Dei natus est ex *femina ;* » *De agone Christ.* c. 11. Tandem, si Christus non ex materno utero corpus sumpsisset, sed repentino aspectibus appa-

ruisset, nonne sic aliquo modo confirmaretur error, quod non sit verus homo?

151. — *Obj.* « Dixit Jesu quidam : *Ecce mater tua et fratres tui foris stant, quærentes te.* At ipse respondens ait : *Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei?* » Matth. 12, ỳ 27, 48; ergo Matrem non agnoscebat.

Resp. Nego conseq. Etenim illis verbis Christus matrem suam non negavit; sed reprehendit eos qui se concionantem importune interpellabant; docuit etiam propter consanguineos non esse opus Dei omittendum; denique quorumdam jactantiam frænare voluit, qui de Christi consanguinitate gloriabantur, significando eam sine spirituali cognatione nihil prodesse, hanc vero per se multum valere; ideo « extendens manum in Discipulos suos, dixit : « *Ecce mater mea et fratres mei.* Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, et soror, et mater est. »

152. — *Inst.* Christus sæpe Mariam vocat *mulierem*, nunquam vero *matrem*; imo dicit nihil esse commune inter ipsum et Mariam, Joan. 2, ỳ 4; 19, ỳ 26; ergo non fuit ab illa genitus secundum carnem.

Resp. Nego conseq. Namque 1. Christus Mariam non vocat *matrem*, tum propter suam modestiam et gravitatem, tum propter exemplum nostrum; dixerat enim, Matt. 23, ỳ 9: « Nolite vocare vobis *Patrem* super terram. » 2. Matrem autem vocat *mulierem* in nuptiis Canæ, atque ibi dixit nihil esse commune inter ipsum et Mariam, ut indicaret illud opus et miraculum quod Maria postulabat, esse divinæ virtutis, non vero proprium humanitatis, quam solam a matre susceperat, sicque significaret ipsum quatenus Deum non habuisse matrem; S. August. *de Fide et Symb.*, c. 4. Denique 3. Christus, dum in cruce penderet, Mariam vocavit *mulierem*, non vero *matrem*, ne eam amplius commoveret; vel ut magis proprie declararet Mariam eadem hora fieri matrem Joannis seu potius omnium hominum.

PROPOSITIO II

153. — ***Christus ut homo conceptus est ex B. Maria, solo operante Spiritu Sancto.*** De fide est.

Prob. 1° *Script.* Dictum est enim : « Quum esset desponsata mater ejus (Christi) Maria Joseph, *antequam con-*

venirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto ; » Matth. 1, ℣ 18, 25. — « Dixit Maria ad Angelum : *Quomodo* fiet istud, *quoniam virum non cognosco.* » Et respondens Angelus, dixit ei : « *Spiritus Sanctus superveniet in te*, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur *Filius Dei ;* » Luc. 1, ℣ 35. Illa verba per se clara sunt[1]. Unde Melchisedech sine patre, et sine matre assimilatus est Filio Dei, qui ut Deus non habet matrem, et ut homo patre caruit ; Hebr. 7. ℣ 3.

2° *Traditione.* Omnia Concilia, quæ de Incarnatione tractant, hoc in primis supponunt aut definiunt, n. 11, 25, 28. Idem propugnatur a SS. Patribus, et consignatur in Symbolis, dum dicitur ; « Qui *conceptus est de Spiritu Sancto, natus* ex Maria *Virgine.* »

3° *Ration. theol.* 1. Christus est verus et naturalis Dei Filius : porro non fuit conveniens dignitatem Dei Patris transferri ad alium ; ergo Christus non debuit alium habere patrem, quam Deum. 2. Omnes homines ex Adamo naturaliter geniti, peccato originali sunt obnoxii, ex dictis in Tract, *de Gratia,* 238. 239, 241 : atqui repugnat Christum esse quocunque modo alicui peccato obnoxium ; ergo repugnat Christum naturaliter seu ex Adæ semine conceptum fuisse. 3. Maxime decuit dignitatem sive prolis, sive matris, ut absque corruptione matris conciperetur caro Verbi. 4. Tandem Verbum incarnatum est, ut homines filii Dei nascerentur, non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo seu ex ipsa Dei virtute ; ergo « oportuit caput nostrum insigni miraculo secundum carnem nasci de *virgine ;* quo significaret membra sua de virgine Ecclesia secundum spiritum nascitura ; » S. August., *de Virginitate,* c. 6.

1. « *Spiritus Sanctus superveniet in te*, quasi ad præparandam et formandam materiam corporis Christi ; et *virtus* Altissimi, id est, Verbum, *obumbrabit tibi*, seu corpus in te humanitatis accipiet incorporeum lumen divinitatis : umbra enim a lumine formatur et corpore. *Altissimus* autem intelligitur Pater, cujus virtus est Dei Filius. » S. Th., 3 p., q. 32, a. 1, ad 1. Vide Tract. *de SS. Trinitate*, n. 70.

154. — *Obj.* Christus in Scriptura dicitur habere patrem, sicut et matrem Mariam, Luc. 2, ỷ 33, 48; ergo conceptus est de Spiritu Sancto.

Resp. Disting. anteced. Joseph in Scriptura dicitur pater Christi putativus, *conc.*; realis, *nego*. Nam Joseph appellatur pater Salvatoris, quia ut talis ab omnibus æstimabatur ad famam Mariæ conservandam, donec placeret Deo virginalis conceptionis miraculum hominibus manifestare atque probare. Quare in Evangelio dicitur : « Ut putabatur, filius Joseph, » Luc. 3, ỷ 23; hoc autem nunquam de B. Virgine dictum est. Similiter Evangelium docet B. Mariam concepisse et peperisse filium; sed nullibi dicit Joseph genuisse Christum.

155. — *Inst.* 1. Maria sæpe in Scriptura appellatur mulier; atqui, ex consueto loquendi modo, mulier dicitur ea quæ non est virgo; ergo Joseph est pater Christi.

Resp. Nego minor. Etenim usus hebraicæ linguæ mulieres dicit feminas in genere, seu femineum sexum. Aliquando etiam mulier dicitur, quæ jam ad nuptias apta est, vel quæ etsi cum viro desponsata, permanet virgo.

156. — *Inst.* 2. S. Mattheus probat Christum fuisse Abrahæ et David filium, eo quod Joseph sit ex progenie David : porro talis probatio nulla est, nisi Joseph fuisset pater Christi; ergo, etc.

Resp. Nego minor. Etenim ex semine David erant Joseph et Maria : porro non consuetudinis est Scripturarum, ut mulierum in generationibus ordo texatur; ergo Mariam et ideo Christum esse ex semine David probari potuit et debuit per genealogiam Joseph.

Et revera, S. Matth. 1, ỷ 1, 18, et S. Luc. 1, ỷ 32, 35, docent Christum esse David filium, et simul non esse filium Joseph; ergo Christus non est filius David nisi per matrem. « Si les Évangélistes se sont attachés à marquer la descendance de Joseph, plutôt que celle de Marie, c'est qu'on savait qu'ils étaient de même race, et si proches parents, que tout le monde connaissait leur parenté. » Bossuet, 5e *Élévat.*, 13e *sem.*

157. — *Quæritur* 1º cur formatio corporis Christi tribuatur Spiritui Sancto?

Resp. Conceptio corporis Christi est opus ad extra, et ideo commune toti Trinitati; attamen specialiter appropriari

debet Spiritui Sancto. Etenim Filius Dei incarnatus est ex maximo Dei amore, non ex alicujus meritis, sed ex sola gratia, et ut homo ille, qui concipiebatur, esset Sanctus et Filius Dei : atqui Spiritus Sanctus est amor Patris et Filii, illique appropriantur sive gratia, quæ ex amore provenit sive sanctitas et filiatio per gratiam concessa; ergo Christi conceptio specialiter accommodari debet Spiritui Sancto; S. Th. 3 p., q. 32, a. 1. Vide Tract. *de Trinit.*, n. 106.

158. — *Quæritur* 2° an Spiritus Sanctus dici possit *pater* Christi secundum carnem, sicut Maria dicitur *mater* ejus?

Resp. negative. Etenim ille pater est, qui de sua substantia et vi productionis efformat suiipsius imaginem substantialem et viventem, ex dictis in Tract. *de Trinit.* n. 56 : atqui Spiritus Sanctus nec de sua substantia, nec ideo vi productionis efformavit corpus Christi, nec proinde Christus secundum carnem est Spiritus sancti vivens et substantialis imago; ergo Spiritus Sanctus non est pater Christi. E contra vero Christus, ut homo, vi productionis, et secundum naturæ similitudinem, de substantia B. Virginis oritur; ergo B. Maria vere est mater Christi hominis.

159. — *Quæritur* 3° *an et cur* Christus per matrem suam sit David filius, et proinde de tribu Juda, et ex semine Abrahæ?

Resp. Ex jam dictis, 156, omnino constat Christum per Mariam esse David filium. Propterea dicitur *Leo de tribu Juda, radix David*, Apoc. 5, ℣ 5. Et etiam : « Egredietur *virga* de radice *Jesse*, et *flos* de *radice ejus;* » Isa. 11, ℣ 1 : porro, juxta SS. Patres, illa virga est Maria, flos autem Christus. Aliunde « Ascendit Joseph in civitatem *David*, quæ vocatur Bethleem, *eo quod esset de domo et familia David*, ut profiteretur *cum Maria,* » Luc. 2, ℣ 4; ergo et Maria erat de familia David.

Jam vero 1. Abraham fuit pater gentis et hæres promissionis, quarum finis erat Christi nativitas, et ideo generis humani redemptio per Christum, ex semine Abrahæ

natum; Gen. 22, ℣ 18; Galat. 3, ℣ 16, 24, 29; Rom. 10, ℣ 4; ergo ex semine Abrahæ nasci debuit Christus.

2. David autem fuit pater regiæ familiæ apud Hebræos: porro Christus, ut homo, est rex regum in ordine præsertim spirituali, ex dicendis; ergo ex illa regia stirpe, sed cum jam ab omni honore esset destituta, oportuit Christum oriri. « Il fallait que Jésus-Christ eût pour aïeux tous les rois de Juda, sortis de David, afin de marquer au peuple que, vrai roi des Juifs, ce titre lui était comme héréditaire. Mais toutefois l'humble Jésus, à qui Dieu avait destiné une race royale, ne sort point de cette maison dans son grand éclat, mais dans les temps de sa décadence, où, déchue de la royauté, elle subsistait dans les plus vils artisans; par où aussi il devait paraître que son trône était *d'une autre nature et d'une autre élévation* que celui de ses ancêtres. » Bossuet, 5ᵉ *Elév.*, 13ᵉ *sem.*

3. Tandem sacerdotium veteris legis proprium erat tribui Levi, atque ideo per viam generationis tradebatur: porro Christus, ut homo, sacerdotium habet non ejusdem ordinis ac Leviticum sacerdotium, ex dicendis; ergo, ut melius significaretur ille novus ordo, non ex Levi, sed « ex Juda ortus est Christus, in qua tribu nihil de Sacerdotibus Moyses locutus est; » Hebr. 7, ℣ 11, 14. « Le sacerdoce de Jésus-Christ devant être d'un autre ordre que celui d'Aaron, si Jésus-Christ était de son sang, on aurait cru qu'il aurait tiré son sacerdoce comme héréditaire de la famille d'Aaron; au lieu qu'il le devait tirer d'une autre origine. » Bossuet, *ibid.*

Attamen sacerdotium Christi non est prorsus alienum a levitico sacerdotio, cum sit hujus consummatio et veritas, ex dicendis; ergo conveniens fuit, ut aliquam affinitatem cum tribu Levi Christus nascendo contraheret. Unde Elisabeth dicitur *cognata* B. Mariæ; Luc. 1, ℣ 36.

160. — *Quæritur* 4° cur SS. Matthæus et Lucas, tradendo Christi genealogiam, circa multa adeo inter se discrepent?

Resp. Hæc quæstio ex omni parte intricatur difficultati-

bus in quibus solvendis multum insudarunt SS. Patres, Theologi et omnes Scripturæ interpretes. Ideo quod verisimilius a plerisque perhibetur, exponendum est.

S. Matthæus ponit patres *carnales*, S. Lucas autem patres *legales*. Scilicet, Mathan et Mathat successive habuere eamdem uxorem, quæ ex Mathan genuit Jacob, et Heli ex Mathat. Heli autem sine liberis defuncto, Jacob frater ejus, ex mandato legis, Deuter. 25, ỳ 5, 6, accepit uxorem Heli, et ex ea genuit Joseph, qui proinde fuit *naturalis* filius *Jacob*, filius vero *legalis* et *adoptivus Heli*.

Hanc interpretationem tradiderunt S. Justinus, secundo seculo; Julius Africanus, ineunte seculo tertio, qui eam a Salvatoris secundum carnem propinquis accepisse asserit; Euseb. *Hist. Eccl.* lib. 1, c. 7. Eamdem secuti sunt SS. Gregor. Naz., Damasc., Hierony., Ambr., August., Anselm., Thomas, Beda, Eusebius, Bossuet, et plerique recentes auctores.

Et revera, S. Matthæus in toto decursu genealogiæ quam tradit, utitur verbo, *genuit;* dum S. Lucas verbum, *fuit*, semper adhibet : porro « Il y a beaucoup de raisons de croire que S. Matthieu, qui se sert partout du mot d'*engendrer*, l'a choisi pour marquer plus expressément la généalogie *naturelle*, plus propre à la désigner, que le terme plus vague et plus général dont s'est servi S. Luc. » Bossuet, *ibid.*

Insuper, S. Lucas dicit : « *Joseph*, qui *fuit Heli*..., *qui* fuit *Adam*, qui *fuit Dei :* » porro Adam fuit adoptivus tantum Dei filius per gratiam; ergo per verba, *qui fuit Heli*, significatur adoptiva tantum seu legalis filiatio.

Jam vero, præfata distinctione præsupposita, cætera sat facile evolvuntur. Videlicet, ex dictis, S. Matthæus enarrat generationem naturalem atque regiam; ergo ejus genealogia 1. susceptionem peccatorum nostrorum indicat, in quantum, per carnis originem, similitudinem carnis peccati assumpsit Christus; 2. ponitur in Evangelii principio : initium enim vitæ et ideo historiæ alicujus hominis est a nativitate; 3. est descendens, sicut hominis generatio et transmissio peccati originalis; 4. incipit ab Abraham, qui fuit, ut diximus, n. 159, pater gentis, cujus specialis

finis erat Christi nativitas; 5. a David descendit per Salomonem, qui fuit rex, et in cujus matre ille peccavit; similiter « nullam sanctarum mulierum recenset, sed eas quas Scriptura (aliquo modo) reprehendit, ut, qui propter peccatores venerat, de peccatoribus nascens, omnium peccata deleret, » ait S. Hieron.: *in Matth.* 1; tandem 6. concluditur illa genealogia in ipsa nativitate, sicut omnis generatio carnalis.

S. Lucas autem, ex dictis, exhibet Christi generationem legalem et sacerdotalem; ergo ejus genealogia 1. significat peccatorum nostrorum abolitionem; 2. a baptismate Christi exoritur, id est, a tempore quo Christus, jam pontificis ætatem adeptus, incipit publicam et sacerdotalem vitam, et cum, jam ut *Agnus Dei, qui tollit peccata mundi* designatus, Joan. 1, ℣ 29, revera in se visibiliter suscepit peccata mundi, baptismum pœnitentiæ a Joanne recipiendo; atque etiam cum a Patre cœlesti declaratus est Filius Dei naturalis; mundi Doctor, et ideo supremus Sacerdos; 3. eadem genealogia est ascendens sicut Sacerdos qui, ex hominibus assumptus, ascendit ad Deum; 4. ad David ascendit per hujus filium Nathan; per cujus hominis prophetam Deus peccatum David expiavit; 5. transit per Abraham, qui fuit hæres promissionis sive Redemptoris, sive divinæ adoptionis; 6. tandem pervenit usque ad Deum: Christus enim, cum susceperit peccata nostra, ascendit ad Deum; atque in sacrificium sese offerendo, nos a peccato redimit; sicque per Christum Sacerdotem Deo reconciliati, iterum divinam *adoptionem* per gratiam recipimus. Vide S. Th. 3 p., q. 31. a. 3.

§ II

De perfectione naturali Corporis Christi.

Hæc perfectio pendet ab ipsa corporis forma seu constitutione, et ab impassibilitate. Porro,

PROPOSITIO PRIMA

161. — *Christus assumpsit corpus humanum perfectum et bene dispositum, juxta conditionem ex natura rei debitam illi corpori.* Ita communiter:

Etenim, ratione unionis cum Verbo, omnis defectus, qui non confert ad satisfactionem et meritum, ab humana natura Christi removendus est: atqui defectus perfectæ constitutionis et dispositionis per se nihil confert ad hominum redemptionem; ergo Christus assumpsit corpus perfectum et bene dispositum.

Et vero 1. Christus perfectissimam animam, vique perfecta intelligendi præditam habuit; ergo proprium illius animæ instrumentum seu corpus debuit esse perfectissimum. 2. Corpus Christi fuit virtute Spiritus Sancti immediate formatum: atqui *opera Dei sunt perfecta*, Deuter. 32, ℣ 4; ergo, etc.; n. 110. Tandem 3. quo perfectius est corpus, eo acriorem quoque sentiendi vim habet: atqui, ut diximus, corpus Christi fuit passibile ad satisfaciendum pro hominibus; ergo, quo perfectius corpus Christi, eo melius per illud Christus satisfacere potuit. « Corpus Christi Jesu, cum *Spiritus Sancti virtute* formatum esset, *multo perfectius* et *temperatius* fuit, quam *aliorum hominum* corpora *esse possunt;* atque ideo *acriorem* quoque *sentiendi vim* habuit, et *gravius tormenta omnia perpessum est;* » ita Catech. Rom. 1 p., art. 4, n. 21.

162. — Hinc Christus assumpsit corpus cum omnium membrorum *integritate*, et *debita proportione*, atque *perfecta complexione* seu temperamento.

Nam sine his tribus non est corpus perfectum et bene dispositum. Aliunde, juxta SS. Patres, Christus assumpsit omnia, quæ nobis sunt naturalia: porro integritas et proportio membrorum, atque conveniens complexio sunt quid humano corpori naturale; ergo, etc. Præterea corporis aptitudo ad opera vitæ exercenda, maxime pendet ab integritate et proportione membrorum, et temperamenti perfectione: atqui decuit corpus Christi perfecte inservire perfectissimæ animæ; ergo, etc.

163. — *Quæritur* autem utrum Christus assumpserit perfectam corporis *pulchritudinem*, quæ in corpore humano et virili esse potest?

Resp. Non consentiunt auctores. Juxta quosdam, magis decuit ut, qui venerat ad contemptum rerum sensibilium animis nostris suo exemplo ingerendum, esset mediocri gravique venustate.

Attamen communis est sententia Sanctorum, ait Suarez, corpus Christi pulchritudine perfecta donatum fuisse. Dicitur enim : *Speciosus forma præ filiis hominum*, Ps. 44. Equidem illa verba de pulchritudine divinitatis commentantur SS. Cyrillus et Basilius; alii vero de pulchritudine gratiæ; sed eadem de corporis pulchritudine intelligunt Clem. Alex., SS. Hierony., Chrysost., August., Th., Suarez, etc. « Sicut insignis perficiendis miraculis fuit Christus, ita *visu gratiosissimus* fuisse dicitur, » ait S. Chrysost., *in Matth.* Homil. 18. — « Absque passionibus corporis, *universis pulchrior* est Christus, virgo de virgine; qui non ex sanguinibus, sed ex Deo natus est, » inquit S. Hierony., *Epist.* 160.

Et revera, 1. ad corporis pulchritudinem tria requiruntur, nempe integritas et proportio membrorum, et quædam claritas coloris nativi, qui ex optimo temperamento et complexione oritur; S. Dionys. *de Divinis nom.*, c. 4; S. August., *de Civit.*, lib. 22, c. 19; S. Th. 2. 2. q. 145, a. 2 : porro, ex dictis, corpus Christi fuit perfectum integritate et proportione membrorum, et complexione; ergo et pulchritudine.

2. Corpus Christi fuit immediate virtute Spiritus Sancti formatum, atque futurum est objectum beatitudinis et pulchritudinis exemplar corporis nostri; ergo ipsum est pulcherrimum; n. 110.

3. Denique pulchritudo cum summa virtute et modestia conjuncta, maxime decet et ornat quemcunque sanctum virum, et incitat ad reverentiam et dilectionem; præsertim quando, propter labores et afflictiones corporis, ita est moderata, ut per se ostendat solum ab ipsa naturali constitutione perfecta proficisci, non autem ex humana curiositate seu affectione.

Tandem, quoad habitum externum et speciatim vultus expressionem, suadet legitima inductio animæ Christi per-

fectionem in faciem ejus, et totam corporis habitudinem, qualiscunque aliunde fuerit, mirabiliter resilire debuisse. et *igneum quiddam ac sidereum radiasse ex oculis Christi*, et *divinitatis majestatem luxisse in ejus facie,* » ut ait S. Hieron. in c. 22. S. Matth.; sicque sub hoc saltem respectu Christus fuit speciosus forma præ filiis hominum.

PROPOSITIO II

164. — *Christus assumpsit corpus passibile et mortale.* De fide est.

Prob. 1° *Script.* « Nonne oportuit *pati* Christum, et ita intrare in gloriam suam? » Luc. 24, ℣ 26. Idem constat ex toto Evangelii decursu, in quo affirmatur Christum esuriisse, fuisse fatigatum, crucifixum, mortuum etc.

2° *Traditione.* Hæc enim veritas in Symbolis consignatur n. 7, et definita est a Conc. Ephesino, n. 22, Chalcedon., act. 5, a Generali VI, act. 8, etc.

Ration. theol. 1, Defectus corporales, sicut sitis, fames, dolor, mors et similia, sunt pœna peccati originalis : porro ex dicendis, Christus in mundum venit ut pro peccatis satisfaceret, pœnam pro peccato homini debitam in se suscipiendo; ergo debuit corpus passibile et mortale assumere. 2. Insuper Christus pati debuit, tum ut nobis perfectum patientiæ exemplum præberet, Hebr. 12, ℣ 3, tum ut melius se verum hominem probaret.

Equidem impassibilitas erat pro corpore Christi quasi proprietas unionem cum Verbo et gloriam animæ consequens; et aliunde Christus absque passione corporali, sed per actum doloris aut tristitiæ in sola anima consummatum, potuisset pro qualibet pœna ab hominibus debita satisfacere. Attamen ob rationes allatas, quæ infra evolventur, omnino fuit *expediens* passibile corpus suscipere.

165. — Hinc Christus obnoxius fuit *communibus* naturæ humanæ infirmitatibus, v. g., siti, frigori, dolori, morti, non autem *accidentalibus*, puta, morbis. Certum est.

Communes enim infirmitates ex peccato originali consequuntur, atque in statu præsenti sunt naturales : porro

Christus sumpsit humanam naturam qualis est in hom... lapso, dempto peccato; ergo, etc. Accidentales autem i... firmitates ex causa accidentali proveniunt; ergo nec u... nec decens fuit Christum illas suscipere. S. Th. 3 p., q. ... a. 4. Bossuet, *Médit. sur l'Evang.*, journée 93.

166. — *Quæritur* 1° an Chistus *voluntarie* simul et *na*...*raliter* illis infirmitatibus fuerit obnoxius?

Resp. affirmative, et ita communiter sentiunt Theolo... Et quidem *voluntarie*, sive quia illas non suscepit, nisi ... satisfaciendum pro nobis; sive quia, ratione unionis cu... Verbo et propter animæ gloriam, impassibilitas ad hoc co... pus pertinebat.

Naturaliter etiam. Corpus enim Christi in se *sumptum* fuit in eadem conditione ac corpus nostrum, ut per omni... tentaretur, et assimilaretur fratribus absque *pecca*... Hebr. 2, ỿ 17, 18; ergo, ex naturali statu humanitatis a... sumptæ, prædictis infirmitatibus obnoxius fuit Christus.

167. — *Quæritur* 2° an in Christo fuerit non solum *dolor*, sed et *tristitia* atque *timor*?

Resp. affirmative, et certum est. Dicitur enim: « Cœpit Jesus *constristari*, et *mæstus* esse, *pavere* et *tædere*... Tunc ait illis: *Tristis* est anima mea usque ad mortem. » Matth. 26, ỿ 37, 38; Marc. 14, ỿ 33, 34.

Et vero, dolor causatur ex læsione sensu tactus percepta; tristitia autem ex mali præsentis apprehensione per rationem; denique timor ex apprehensione mali futuri, quando adest aliqua spes evadendi; quæ si desit, malum apprehenditur ut præsens, et sic magis causat tristitiam, quam timorem. Porro Christus apprehendere potuit aliquid in præsenti aut in futuro nocivum quoad se, et quantum ad alios, sicut peccata discipulorum, vel Judæorum ipsum occidentium, vel omnium hominum, et præsertim plurimorum æternam reprobationem.

Attamen nec dolor, nec tristitia, nec timor in anima Christi unquam dominata sunt; sed omnes motus sensitivi appetitus juxta rationis dispositionem et liberæ voluntatis

moderamem oriebantur, atque se exerebant. Quare in Christo non fuit *passio*, sed solum *propassio*. *Passio* enim simpliciter est appetitus sensitivi motus, qui rationi dominatur; *propassio* autem est appetitus sensitivi motus *inchoatus*, qui sub rationis moderamine se exerit. Quare dicitur : *Cœpit* Jesus contristari, pavere et tædere. S. Th. 3 p., q. 15, a. 4.

168. — *Obj*. Christus ab ortu habuit visionem beatificam : atqui dolor et tristitia stare nequeunt cum tali visione; ergo in Christo non fuit dolor, nec tristitia.

***Resp*. *Nego minor*. Equidem, ex lege ordinaria, beatitudo quam ex visione intuitiva percipit pars superior animæ, in partem ejusdem animæ inferiorem, quæ scilicet circa res sensibiles occupatur iisque afficitur, redundare debet. At nullo modo repugnat extraordinarie illam beatitudinem in parte superiori cohiberi, ut pars inferior tristitiam et dolores percipiat : porro, ante Christi resurrectionem, sufficiens erat ratio, ut res ita se haberet in ejus anima; ergo, etc.**

§ III.

De sanctitate Corporis Christi.

169. — *Quæritur* an corpus Christi, juxta modum sibi proprium, *speciali et eximia sanctitate* donatum sit, ex ejus unione cum Verbo et sanctissima anima?

Resp. affirmative, et certum est. Etenim 1°, ratione unionis hypostaticæ cum Verbo, caro Christi 1. specialiter Deo consecratur, vel potius fit quasi Deo propria, atque ideo digna supremo cultu et reverentia ; 2. proinde purissima est et mundissima, incapax omnis maculæ, non solum culpæ, sed etiam fomitis, et omnis inordinationis aut defectus, qui aliquam indecentiam includit ; 3, consequenter etiam conjungi debuit cum anima sancta et beata, n. 121, 166, atque ipsa beatudine frui, quantum illius potest esse capax : unde speciale miraculum fuit, ad tempus illa privari propter homines, n. 168 ; 4. non solum sancta, sed etiam sanctificatrix et vivificatrix effecta est, ut ait Conc. Ephes., n. 21, juxta illud : « Qui manducat *meam carnem*, habet *vitam æternam* ; » Joan. 6, ℣ 55.

2° Idem corpus, quatenus socium et proprium organum animæ Christi, fit templum et organum sacratissimum Spiritus Sancti, cujus plenitudo in illa anima diffusa est, proinde instrumentum nostræ redemptionis, præsertim dum in ara crucis fuit immolatum, ut in sequentibus dicetur.

CAPUT III

DE FINE INCARNATIONIS

170. — Finis est *terminus alicujus operis* aut *operantis*, et ideo *motivum, causa finalis* seu *ratio propter quam fit illud opus*. Porro, « si quis diligentér et pie Incarnationis mysterium considerat, inveniet tantam sapientiæ profunditatem, quod omnem humanam cognitionem excedat, atque semper magis ac magis admirabiles rationes hujusmodi mysterii manifestentur. » S. Th. *Cont. Gent.* lib. 4, c. 54. Unde præcipuas tantum nobis cognitas Incarnationis rationes hic indicare possumus, ad triplicem classem illas reducendo, prout ex parte Dei, vel Christi, vel creaturarum desumuntur. Tres igitur erunt articuli.

ARTICULUS PRIMUS

De fine Incarnationis ex parte Dei.

171. — Deus ad peragendam Incarnationem fuit absolute necessitatus, juxta Wiclefum ; vel ad illam bonitatis et sapientiæ legibus certe et infallibiliter inductus, juxta Leibnizium ; vel saltem in hypothesi creationis non potuit non incarnari, juxta Malebranchium. Talia utpote falsa jam confutata sunt in Prælectionibus philosophicis, et in Tract. *de Deo*, n. 129, 142, 143, 146, 147 ; sed etiam refelluntur in sequenti propositione.

PROPOSITIO

172. — *Verbum caro factum est, ut Deus ex bonitate modo perfectissimo ad extra se communicaret.* Certum est.

Constat 1° *Script.* Nam 1. Scriptores sacri Incarnationem

omnisi bonitati et charitati divinæ tribuunt : « *Deus charitas* est. In hoc *apparuit charitas Dei in nobis*, quoniam *Filium* suum unigenitum *misit Deus in mundum ;* » I Joan. 4, 8, 9. « Apparuit *benignitas* et *humanitas Salvatoris* nostri Dei ; » Tit. 3, ℣ 4. — 2. Hoc autem Incarnationis opus propter sui excellentiam, antonomastice in Scriptura dicitur, *Opus Dei*, Habac. 3, ℣ 2; Isa 28, ℣ 21 : opus *omnipotentis brachii* Dei, Luc. 1, ℣ 51 ; dum cœli, luna et stellæ, opera *digitorum* Dei esse dicuntur, Ps. 8, ℣ 4 ; ut innuatur hujusmodi unionem esse excellentissimum et supremum opus Dei ; et de potentia ejus absoluta majus et perfectius fieri non posse, sicut non potest aliquid melius esse Deo, ut ait S. Th., 1 p., q. 25, a. 6, ad 4 ; ergo, ut perfectissimo modo et ex bonitate Deus ad extra sese communicaret, Verbum caro factum est.

2° *Traditione*. SS. Patres toti sunt ut miris encomiis bonitatem cæteraque Dei attributa in hoc mysterio perfectissime explicata, extollant. Siquidem Incarnationis opus exhibent tanquam abyssum impenetrabile, mare profundum, pelagus incrustabile, oceanum immensum, Dei magnificentiam, ultimam Patris gloriam, terminum immensitatis amoris Dei et potentiæ ejus, plenitudinem divinitatis inexplicabilem. « Cum enim Deus sit omnipotens, ait S. August., plus dare non *potuit;* cum sit sapientissimus, plus dare *nescivit;* cum sit ditissimus, plus dare non *habuit.* »

3° *Ration. theol.* Deus est summe perfectus, cui, sicut nihil detrahi potest, ita neque addi; ergo ad extra operatur, non propter suam perfectionem et ad bonum proprium, sed ad suam communicandam bonitatem, in qua communicatione gloria Dei externa consistit. Porro illa Dei communicatio et gloria externa *magna* est quidem in conjunctione sui cum omnibus rebus, per creationem et providentiam; *major* autem in conjunctione sui cum Justis, per gratiam; sed *maxima* fit in conjunctione hypostatica Verbi cum natura humana; S. Th. *Opusc.* 60; ergo ratio ob quam, ex parte sui, Deus ad extra sese communicat, maxima est in Incarnatione; ac proinde Verbum caro factum est, ut

Deus ex bonitate modo perfectissimo ad extra sese communicaret.

Et verò, bonum est diffusivum sui, seu ad rationem boni pertinet, ut sese aliis communicet: atqui Deus est summum bonum; ergo Deo summè convenit ut perfectissimo modo sese communicet. Porrò communicatio Dei ad extra omnimodo est consummata per incarnationem, qualis revera facta est. Namque 1. per ipsam unionem, personæ Verbi ac proinde dignitas verè infinita fit naturæ creatæ propria: et exinde cætera supernaturalia dona ut consectaria defluunt, n. 113, 135; 2. per assumptionem verò humanæ naturæ, creatura inter rationales infima, ad illum summum dignitatis gradum attollitur, n. 99; 3. demum, per assumptionem humanæ naturæ infirmitati et passibilitati obnoxiæ, creatura inter rationales in se jam infima, in infimo etiam statu ad illud dignitatis fastigium evehitur. Ergò, per Incarnationem, qualis facta est, communicatio Dei ad extra est omni modo consummata, et ideò Incarnatio maximè Deo convenit. Vide Tract. *de Deo*, n. 140.

173. — *Quæritur* 1° an, ex parte Dei, Incarnatio facta sit ex bonitate omninò *liberà* et plenè *voluntariâ?*

Resp. affirmativè, et certum est. Incarnatio enim est opus ad extra: atqui opus ad extra quodcumque nihil ad Dei perfectionem conferre potest, ex dictis; ergò Deus omninò fuit liber sese ad extra per Incarnationem communicare, vel non. Unde, cum dicitur bonum esse diffusivum sui, vel ad rationem boni pertinere, ut sese aliis communicet, in hoc sensu illud intelligi debet, quòd communicatio sit naturæ et quasi propensioni boni consentanea tantùm, licet nec necessariò illi conveniat, nec perfectionem addat; sic de homine liberali dicitur, ratione liberalitatis, ei conveniens esse bona sua aliis communicare.

174. — *Quæritur* 2° an modus communicationis Dei per Incarnationem, sit omnium præstantissimus?

Resp. affirmativè, et certum est. Nam communicatio, quæ non fit propter perfectionem illius, qui se communicat,

neque illum privat perfectione sua, est suo genere optima, et, cæteris paribus, tanto præstantior, quanto præstantius communicatur bonum : atqui communicatio per Incarnationem non solum nihil ad Deum confert, nec aliquid Deo detrahit, sed etiam pro termino habet bonum præ cæteris præstantissimum ; ergo, etc. Quare, ut ait S. August., « Incarnatio est *summum exemplum gratiæ*, nec potuit *gratia* Dei *gratius* commodari, quam ipse *Dei Filius hominem induceret;* » *de Civit.*, lib. 10, c. 29.

Quæ in hoc articulo tetigimus, in toto decursu præsentis capitis, et capitis quarti evolventur.

ARTICULUS II

De fine Incarnationis ex parte Christi.

PROPOSITIO

175. — *Verbum caro factum est, ut Deo condignum et perfectissimum cultum retribueret.* Certum est.

Constat 1° *Script.* Christus « *ingrediens mundum* dicit : *Hostiam et oblationem noluisti ; corpus* autem *aptasti mihi; in capite libri* scriptum est *de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam ;* tunc dixi : *Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam.* Deus meus, *volui, et legem tuam in medio cordis mei;* Ps. 39, ℣ 8, 9 ; Hebr., 10, ℣ 5-10. « Meus cibus est, *ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus*... Non quæro gloriam meam, sed *honorifico Patrem meum;* » Joan., 4, ℣ 34 ; 8, ℣ 49, 50. Ergo Verbum caro factum est in primis ut honorificaret Patrem, ejus voluntatem perfecte adimplendo, et quia sola illa Christi religio seu oblatio Patri cœlesti simpliciter placeret.

2° *Ex SS. Patribus.* Juxta illos, omnes fluctus divini amoris et excelsa sanctitatis Dei in animam Christi transierunt; atque in ea posuit Deus, sicut in utre aquas maris, omnium gratiarum et thesaurorum abyssos, et omnes divini amoris ardores, *ut perfecte* in spiritu et veritate ab illa et in illa anima, sicut in templo suo, *omnia religionis officia reciperet ; ut* eadem anima esset *deliciæ Patris*, et thalamus, in quo *ad gloriam suam suaviter requiescit ;* ergo Verbum

caro factum est, ut per cultum plane divinum fieret Patris perfectus adorator, deliciæ suavisque requies.

3° *Ration. theol.* Entia quæcunque rationabilia creata sunt, ut per æstimationem et amorem Deo cultum debitum retribuerent : porro Deus infinita æstimatione et amore dignus est; finita est autem æstimatio et amor creaturæ cujuslibet; ergo nulla pura creatura Deo condignum cultum retribuere potest. Christus autem actum æstimationis et amoris producit, qui, licet in se finitus, valorem tamen vere et proprie infinitum ex infinita dignitate personæ Verbi accipit; ergo Christus et quidem solus cultum et externam gloriam divinæ majestati proportionatam retribuere potest; ac proinde ad illum cultum retribuendum Verbum caro factum est.

Et vero, sicut maxime conveniens est Dei consummata communicatio ad extra, ita non minus convenit perfectissima erga Deum retributio creaturæ per cultum plane divinum. Si enim quibusdam regibus gloriosum fuit alios reges subditos habere, atque illorum ministerio ad vilissima uti; multo magis Deo gloriosum est, habere hominem-Deum a quo colatur, oretur, adoretur, et qui vilissimis quibuscumque ipsius causa se subjiciat.

Præterea, Pater ab æterno generat Filium. Pater et Filius ab æterno producunt Spiritum Sanctum : porro Filius ex se ab æterno nihil retribuit Patri, nec Spiritus Sanctus quidquam retribuit Patri et Filio : porro, quatenus terminans humanam naturam, Filius condignum honorem et gratitudinem retribuit Patri; et Spiritus Sanctus, dum quasi immenso gratiæ pelago animam Christi implet atque movet, per hanc animam aliquomodo honorem et gratitudinem Filio et Patri retribuit; ergo ad hujusmodi perfectissimam retributionem Verbum caro factum est.

ARTICULUS III

De fine Incarnationis ex parte creaturarum.

176. — Creaturæ, de quibus hic quæstio esse potest, sunt vel entia homine inferiora, vel homines post lapsum Adami, vel homines ante lapsum, vel Angeli : porro entia

homine inferiora in corpore humano quasi contrahuntur; ergo de illis hic sigillatim non tractabimus; sed de Incarnationis fine ex parte aliorum trium speciatim dicemus.

§ I

De Incarnatione Verbi propter generis humani Redemptionem.

177. — *Quæritur* quid et quænam sit redemptio, de qua hic agitur?

Resp. Redemptio, a voce *redimere,* est *actus* quo quis *rem, quam prius possidebat,* et casu aliquo *amiserat, pretio dato iterum acquirit.* In sensu morali et supernaturali, de quo hic agitur, Redemptio est *actus,* quo *genus humanum, prius* sub potestate et in *supernaturali amicitia Dei constitutum,* sed *postea,* per *protoparentis inobedientiam, factum Deo inimicum dæmonique venditum, per substitutionem Christi satisfacientis* et *merentis,* fuit a *potestate diaboli liberatum,* atque *in Dei amicitia redintegratum.*

Dicitur 1 : *actus;* agitur enim de recuperatione alicujus rei per solutionem pretii : hoc autem per aliquam actionem fieri necesse est.

Dicitur 2 : quo *genus humanum :* et sic determinatur redemptionis subjectum.

Dicitur 3 : *prius sub potestate et in supernaturali amicitia Dei constitutum; sed postea,* per *protoparentis inobedientiam,* factum *Deo inimicum dæmonique venditum :* in his indicatur, tum status generis humani, antequam per peccatum venundaretur; tum actus quo genus humanum ab illo statu decessit, atque diabolo fuit venditum; tum status a quo genus humanum redimendum erat.

Dicitur 4 : *per substitutionem Christi satisfacientis et merentis :* quibus verbis declaratur, tum illius redemptionis conditio, id est, *substitutio* alicujus; tum illius substitutionis subjectum redemptionisque auctor, nempe, *Christus;* tum opus et pretium, quo facta est generis humani redemptio, scilicet, *satisfactio* et *meritum* Christi. Nam satisfactio respicit injuriam Deo per peccatum illatam, quam compensat, sicque Dei inimicitiam et vindictam tollit; meritum autem

respicit bona per peccatum amissa; quæ recuperat, sicque Dei amicitiam iterum obtinet.

Dicitur 3: *fuit a potestate diaboli liberatum, atque in Dei amicitia redintegratum;* et in his exprimitur ipsa redemptio in facto esse. Videlicet, semel per satisfactionem Christi compensata injuria Deo per peccatum illata, tunc homines non possunt in æternum damnari, ac proinde eo ipso a diaboli potestate liberantur; similiter, semel consummato Christi merito, jam homines jus habent, positis ex sua parte ponendis, Dei gratiam et supernaturalem amicitiam recuperandi, omnibusque bonis illam consequentibus, et per peccatum amissis, iterum fruendi.

178. — Itaque 1°, in hac quæstione de generis humani Redemptione, duo in primis necessario supponuntur, scilicet, 1. totum genus humanum in protoparente fuisse a Deo donatum statu supernaturali gratiæ sanctificantis; sed etiam omnibus prærogativis dono gratiæ divinæ primitus annexis, nempe, immunitate ab ignorantia, ab inordinata concupiscentia, a dolore et a morte corporali, tandem spe et jure vita æterna aliquando fruendi; 2. per inobedientiam autem protoparentis, idem genus humanum fuisse peccatorem constitutum, ac proinde donis gratiæ omnibusque primigenii status prærogativis destitutum remansisse, et finaliter diabolo venundatum, atque in æternum damnatum. Illa duo breviter exponuntur in Tract. *de Revelat.*, n. [illegible], et demonstrantur in Tract. *de Gratia*, n. 200-247.

179. — 2° Hic igitur inquirendum superest, utrum Filius Dei factus sit homo, 1. ut, per sufficientem satisfactionem, compensaret injuriam Deo per peccatum generis humani illatam, atque a potestate diaboli nos liberaret; 2. ut, per sufficiens meritum, pro genere humano recuperaret omnia bona per peccatum amissa, atque homines iterum fierent filii Dei et hæredes. Utrumque expenditur in duplici numero, de Christi *satisfactione*, et *merito*.

Cæterum patet hic agi de uno ex præcipuis fidei christianæ fundamentis. Sublata enim generis humani Redemp-

tione per Christum, omnino corruunt dogmata, ethica et ascetica scientia Religionis christianæ, quæ in peccato originali et in Redemptione per Christum, quasi in duplici, ut ita dicam, cardine volvitur, ut ex dicendis clarius fiet.

NUMERUS PRIMUS

De Christi pro genere humano Satisfactione.

180. — *Quæritur* quid sit satisfactio de qua hic agitur?
Resp. *Satisfactio*, in genere sumpta, est *rei debitæ integra solutio*. In præsenti materia, satisfactio definiri potest : *Redditio libera honoris et reverentiæ, ad compensandam injuriam Deo per peccatum illatam.*

Dicitur 1 : *redditio;* satisfactio enim est actus justitiæ ad alterum, quo datur res debita ; et in hoc jam distinguitur a gratuita donatione.

Dicitur 2 : *libera*, tum quia injuria per peccatum illata, ab actu libero procedit, et ideo sine actu libero compensari nequit; tum quia sine aliqua voluntaria personæ honorantis submissione, nulla honoris satisfactio concipitur; tum quia satisfactio est actus virtutis justitiæ, cujus omnis actus est voluntarius. Exinde satisfactio distinguitur a redditione involuntaria seu coacta, quæ non tam est satisfactio, quam *satispassio*, qualis reperitur in damnatis ad triremes, ad exilium, ad carcerem, ad mortem, vel in inferno.

Dicitur 3 : *honoris et reverentiæ;* nam peccatum est actus, quo denegatur æstimatio et reverentia Deo debita ; et ideo talis injuria compensatur per æstimationem et honorem. Unde satisfactio respicit debitum omnino *personale*, sicque discrepat a restitutione, quæ debitum *reale* spectat, atque *res* seu bona fortunæ pro objecto habet.

Dicitur 4 : *ad compensandam injuriam Deo per peccatum illatam ;* quibus verbis indicatur, tum ratio ob quam honor debetur et redditur, tum ille qui fuit offensus, et cui satisfit; in hoc satisfactio, de qua agimus, distinguitur ab omni satisfactione, quæ aliquam creaturam respicit, et a merito, quod præmium spectat.

Quando autem adest æquivalentia inter valorem operis

satisfactorii et gravitatem offensæ, satisfactio dicitur *condigna* seu *æquivalens*.

Quibus expositis, quatuor circa satisfactionem Christi perpensanda sunt, scilicet, ejus necessitas, existentia, universalitas et perfectio.

PUNCTUM PRIMUM

De necessitate satifactionis Christi.

181. — Triplici ratione satisfactio Christi potuit esse necessaria, nimirum, vel ob necessitatem redimendi genus humanum, vel ob necessitatem satisfactionis æquivalentis, vel saltem ad hujus æquivalentis satisfactionis existentiam. Itaque

PROPOSITIO PRIMA

182. — *Redemptio generis humani non fuit necessaria, sed valde conveniens*. Certum est.

Et quidem 1° *non necessaria*. Etenim 1. Scriptura semper Dei charitati, misericordiæ et gratiæ tribuit generis humani Redemptionem : « Sic Deus *dilexit* mundum, ut *Filium suum* unigenitum *daret;* » Joan. 3, ℣. 16. *Secundum suam misericordiam salvos nos fecit;* Tit. 3, ℣. 5 : porro, quod fit ex misericordia et gratia, non est necessarium; ergo, etc.

2. Deus omnino liber est circa quodlibet opus ad extra : porro Redemptio est opus ad extra; ergo non est necessaria. Aliunde Deus potuit hominem non creare; ergo a fortiori non redimere.

3. Licet minus sontes sint homines quam Angeli mali, nec tanta pœna digni, tamen propter peccatum quod ex Adamo contrahunt, a Deo abjici et a regno cœlorum excludi merentur; ergo nec Redemptio generis humani, nec proinde, in hypothesi lapsus hominum, Christi satisfactio et incarnatio Verbi fuit necessaria.

2° *Sed valde conveniens*, ut constabit assignando rationem, cur Deus hoc beneficio cum hominibus, non autem cum Angelis malis usus sit. Scilicet, 1. Angelorum minor pars peccavit; tota vero natura humana cecidit : porro

valde fuit conveniens ut non periret tota species humana. Insuper singuli Angeli propria voluntate peccaverunt; homines autem unius voluntate prolapsi sunt; ergo decuit illos omnes non perire, sed unius etiam beneficio liberari.

2. Angelorum ruina potuit reparari per homines, ut dictum est in Tract. *de Angelis*, n. 50; hominum vero lapsus non poterat convenienter suppleri. Aliunde, si Deus utramque naturam lapsam, angelicam et humanam, sine remedio reliquisset, videretur aut ipse vinci malo peccati, aut ejus misericordia superari; atque gloriaretur dæmon explevisse invidiæ desiderium, ex quo impatienter sustinuit hominem elevari ad gloriam, quam ipse perdiderat.

3. Tandem natura humana quo imbecillior est et debilior angelica, eo magis divinam provocat misericordiam, atque Deus, illius miserendo, magis suam benignitatem manifestat; ergo valde conveniens fuit generis humani Redemptio, ac proinde sub hoc respectu Christi satisfactio et Incarnatio Verbi.

PROPOSITIO II

183. — *Satisfactio æquivalens ad reparationem generis humani non fuit necessaria, sed valde conveniens.* Certum est.

Et quidem 1° *non necessaria*. Etenim Deus, cum sit supremus Dominus, certe potuit vel de jure suo cedere, et culpam gratis condonare; vel in lege ab ipso contra peccatores lata dispensare, exigendo qualemcunque imperfectam satisfactionem; vel alicui homini puro[1] munus pro aliis satisfaciendi committere, etsi talis homo nonnisi imperfecte præstare id posset: nec tenetur Deus summum justitiæ rigorem semper servare; ergo, ad reparationem generis humani, nec satisfactio æquivalens, nec ideo Christi satisfactio et incarnatio Verbi fuit necessaria.

2° *Sed valde conveniens*, ut evidens est ex congruentiis infra indicandis, n. 190.

1. Hic loquimur de homine *puro*, per exclusionem personalis unionis cum Deo, id est, de homine qui non sit Deus quoad personam, sicut factum est in Christo; non vero de homine *puro*, per exclusionem gratiæ et auxilii supernaturalis.

PROPOSITIO III

184. — *In hypothesi satisfactionis æquivalentis, satisfactio alicujus personæ divinæ, et ideo hujus unio hypostatica cum aliqua natura rationali*[1] *fuit stricte necessaria.* Ita communiter.

Contrarium asserunt Scotistæ. Etenim, juxta illos, peccatum finitam tantum malitiam habet; ergo purus homo gratia instructus, operum suorum numero et dignitate, potuisset injuriam Deo per peccatum illatam compensare. Attamen vera manet thesis, posito quod nulla creatura, quantiscunque donis supernaturalibus exornata, non potuerit illam æquivalentem satisfactionem persolvere pro suis peccatis, nec pro peccatis aliorum : atqui

1° Talis est *universalis* SS. Patrum traditio, ait Suarez, *de Incarn.* disput. 4, sect. 2. — « *Tantum* fuit peccatum nostrum, ut salvari non possemus aliquando, *nisi unigenitus Filius Dei moreretur* pro nobis ; » S. Ambr., in c. 9 ad Hebr. — « *Nisi esset verus Deus, non afferret remedium*, et nisi esset verus homo, non præberet exemplum ; » S. Leo papa, *de Nativit.* Serm. 1. — « Neque per ipsum liberaremur unum mediatorem Dei et hominum, Christum Jesum, *nisi esset et Deus ;* » S. Aug. *in Enchir.* c. 108. — « *Cum Christus* Patris sit *Verbum*, et supra omnes, merito etiam *solus omnia recuperare potuit*, et *idoneus* fuit, qui pro omnibus pateretur, ac *apud Patrem intercederet ;* » S. Athan. *de Incarn.* — « Peccatum contra Deum commissum, *quamdam infinitatem* habet ex *infinitate divinæ majestatis ;* unde oportuit ad *condignam satisfactionem*, ut actus satisfacientis haberet *efficaciam infinitam*, utpote *Dei et hominis* existens ; » S. Th., 3. p., q. 1, a. 2, ad 2.

2° *Ratione* idem sic confirmatur. *Honor est in honorante, injuria autem in persona injuriata ;* ita ut, quo dignior est persona læsa, comparata ad personam offendentem, eo gravior sit injuria; et e contra, quo humilior est *persona*

1. Hic agitur, non præcise de unione Verbi cum natura humana, sed de unione hypostatica alicujus personæ divinæ, sive Filii, sive Spiritus Sancti, cum natura rationali, quæcunque sit. Hoc enim sufficeret ad condignam satisfactionem.

honorans seu satisfaciens, comparata ad personam offensam, eo minor sit honor et satisfactio.

Et revera 1. talis mensura injuriæ et satisfactionis sumitur ex communi judicio prudentum, quod in re morali plurimum valet. Sic, juxta omnes, servus, qui simili actu percutit regem et alium servum, gravius peccat percutiendo regem, quam servum; et e contra, servus, qui simili actu honoratur a rege et ab alio servo, longe majoris pretii æstimare debet honorem a rege præstatum, quam a servo. 2. Quo persona est dignior, eo major reverentia illi debetur ab inferiori; ac proinde eo gravior est injuria ei illata. 3. Denique per offensionem quodammodo despicitur, et quantum est in offendente, destruitur dignitas personæ offensæ: ergo ex dignitate personæ maxime crescit injuria, sicut et satisfactio.

Porro dignitas Dei est infinita; ergo injuria Deo per peccatum illata, quamdam infinitatem habet; dignitas autem personæ creatæ est finita; ergo persona creata qualiscumque finitum tantum honorem et finitam satisfactionem præstare potest, et ideo omnino imparem injuriæ per peccatum Deo illatæ.

Ex unione vero hypostatica alicujus personæ divinæ cum aliqua natura rationali, actus istius naturæ sic assumptæ ad infinitam dignitatem et valorem elevantur, n. 46, 96; ergo illi actus æquivalenter pro peccato satisfacere possunt; ac proinde, posito quod Deus statuerit peccata non dimittere, nisi dependenter a solutione satisfactionis æquivalentis, satisfactio alicujus personæ divinæ, et ideo hujus unio hypostatica cum aliqua rationali natura, fuit stricte necessaria. Quod sic in Catech. Romano traditur: « Cum ex altissimo dignitatus gradu concidisset genus nostrum, *sublevari inde*, et *in pristinum locum* restitui *nullo modo poterat hominum* aut *Angelorum viribus;* quare reliquum erat illud ruinæ et malorum subsidium, ut Dei Filii *infinita virtus*, assumpta carnis nostræ imbecillitate, *infinitam tolleret peccati vim*, et nos reconciliaret Deo in sanguine suo; » 1 p., art. 2, n. 2.

Cæterum eadem erit conclusio, licet injuria Deo per pec-

catum illata quamdam infinitatem non haberet. Etenim dignitas Dei et dignitas simplicis creaturæ sunt, juxta omnes, ordinis omnino diversi, et a se infinito intervallo distant : porro injuria superioris et absolute supernaturalis ordinis nunquam compensari potest per satisfactionem ordinis inferioris; quemadmodum, in rebus naturalibus, species gradus infimi, quantumvis multiplicentur, nunquam æquivalere possunt vel uni gradus superioris individuo; ergo nunquam pura creatura pro peccato æquivalenter satisfacere potest.

185. — *Obj.* 1° Plebeius aliquo præclaro facto regi, quem offenderit, æquivalenter satisfacere potest, quamvis tunc adsit diversus offensæ et satisfactionis ordo; ergo similiter, non obstante diversitate ordinis, purus homo, in quibusdam saltem circumstantiis, æquivalenter Deo satisfacere potest.

Resp. Nego conseq. Namque dignitas personæ regis non infinite distat a dignitate plebeii, nec est ordinis absolute supernaturalis respectu personæ plebeii offendentis; cum et ipse plebeius possit ipsam regiam dignitatem obtinere; ergo, quod deest valoris personalis operi satisfactorio plebeii, aliunde suppleri et compensari potest, nimirum, excellentia objecti, difficultate et aliis operis satisfactorii circumstantiis.

At vero dignitas majestatis divinæ est ordinis absolute supernaturalis respectu dignitatis creaturæ cujuslibet, et ab ea infinite distat; ergo, quod deest valoris personalis humanæ satisfactioni, per excellentiam objecti, difficultatem aut alias ejusmodi circumstantias suppleri et compensari nequit.

186. — *Obj.* 2° Homo per peccatum mortale aufert a Deo rationem ultimi finis, solum quoad affectum : porro, dum elicit actum charitatis, reddit Deo, quoad effectum, rationem ultimi finis, et ideo totum id, quod illi abstulerat per peccatum: ergo æquivalenter satisfacit per charitatis actum.

Resp. Dist. maj. Per actum charitatis homo reddit *affectum* per peccatum ablatum, *conc.*; reddit tantum honoris, quantum injuriæ fuit illatum per peccatum, *nego*. Nam, in priori casu, comparatur affectus ad affectum ejusdem personæ creatæ; ergo concipitur inter utrumque proportio : in posteriori autem casu, comparatio fit inter gravitatem injuriæ per dignitatem infinitæ personæ læsæ commensuratam, et valo-

rem obsequii ex dignitate finitæ personæ satisfacientis maxime procedentem; ergo hic nulla adest proportio; ac proinde, per charitatis actum, homo pro peccato æquivalenter non satisfacit.

187. — *Inst.* Per charitatis actum, homo meretur vitam æternam, quæ est aliquo sensu bonum infinitum; ergo per eumdem actum potest æquivalenter satisfacere pro peccato, licet in genere moris sit infinitum.

Resp. Nego conseq. Namque hic etiam comparatur actus ad actum ejusdem personæ creatæ; ergo concipitur inter utrumque proportio. Et revera, actus charitatis et actus in gloria elicitus sunt ejusdem ordinis, atque posterior est prioris perfecta evolutio tantum; vide Tract. *de Gratia*, n. 68, 371. At vero nulla est proportio inter personam divinam et personam creatam; ergo offensa priori illata compensari nequit per posterioris satisfactionem.

188. — *Obj.* 3° Dantur peccata alia aliis majora : atqui ita non esset, si peccata ratione injuriæ essent infinita : nihil enim infinito majus; ergo, etc.

Resp. Dist. minor. Non darentur peccata alia aliis majora, si forent infinita intrinsece et simpliciter, *conc.*; si forent infinita extrinsece tantum et secundum quid, *nego*. Scilicet, infinitas peccati provenit ex infinitate personæ læsæ : porro hæc persona est actui peccaminoso prorsus extrinseca; ergo peccatum non est infinitum nisi extrinsece et sub aliquo respectu tantum; sub aliis autem respectibus, seu ex parte ipsius actus, personæ offendentis aliarumque circumstantiarum, quæ ipsum peccatum intrinsece afficiunt, peccatum est finitum; et ideo, ex hac parte, esse possunt peccata alia aliis majora.

Et vero, supplicia peccatis mortalibus debita, sunt omnino æqualia quoad æternam durationem, qua parte infinitatem quamdam habent, nec tamen sunt ideo æqualia quoad gradum seu intensitatem.

Quæ hactenus dicta sunt, intelligi debent de necessitate Incarnationis ad condignam satisfactionem pro peccato mortali. De venialibus enim, utrum mera creatura pro iis condigne satisfacere possit, longe major est difficultas, quæ a paucis negative solvitur, cæteris communiter affirmantibus Theologis.

PUNCTUM II

De existentia satisfactionis Christi.

189. — Negarunt Christum pro genere humano satisfecisse, hi omnes, qui rejiciunt primævum supernaturalem statum, et ideo ab illo statu lapsum generis humani per originale peccatum; ita Pelagiani, Sociniani, et hodierni Protestantes non pauci, n. 59. Juxta illos omnes, Christus improprie tantum nos redemit, scilicet, nobis præstando exempli et doctrinæ suæ adjumenta ad vitandum peccatum; non autem, per veram substitutionem, pretium pro peccatis hominum solvendo. Contra sit

PROPOSITIO

190. — *Christus pro nobis vere et proprie satisfecit.* De fide est.

Prob. 1° *Script.* Etenim 1. Deus, statim post generis humani lapsum, deinceps per quatuor millia annorum, promisit venturum *Messiam*, qui *contereret caput serpentis, in quo benedicerentur omnes tribus terræ*, et qui esset *exspectatio gentium*, Gen. 3, ℣ 15; 22, ℣ 18; 49, ℣ 10, 18; ita ut, ab Adamo usque ad Christum, homines *unicam spem salutis* in illo venturo Messia posuerint; vide Tract. *de Revelat.* n. 146, 148, 186, 212

Unde sic : Ille Messias non potuit, solus inter omnes Dei legatos, caput diaboli seu ejus regnum conterere, nec esse exspectationem, benedictionem et salutem gentium, nisi ex se aliquid speciale, proprium et sufficiens contulerit ad expugnandum diabolum, et ad salvandas omnes tribus terræ, id est, nisi pro peccatis hominum vere et proprie satisfecerit : atqui omni genere probationum, ut dictum est in Tract. *de Revelat.*, n. 185 et seq., constat Christum esse illum Messiam; ergo Christus modo speciali, proprio et sufficienti pro peccatis hominum satisfecit.

Et revera, Isaias, c. 53, de venturo Messia, juxta omnes, prophetans, dicit : 1. Messiam « iniquitatem non fecisse, sed esse *justum servum* Dei; *nos* autem *omnes* quasi oves *errasse*, et unumquemque in viam suam *declinasse*; 2. *Deum*

vero *posuisse in illo Justo iniquitatem omnium nostrum*, atque ideo Justum illum *portasse hominum iniquitates*, et fuisse percussum, vulneratum et attritum *propter scelera nostra;* 5. consequenter *disciplinam pacis nostræ super eum* fuisse, *nosque livore ejus esse sanatos.* » Unde sic : in illis verbis, manifeste prænuntiatur illius Messiæ vera substitutio et satisfactio pro peccatis hominum, atque, per illam satisfactionem, liberatio et sanatio generis humani : porro, ex dictis, Christus est ille Messias; ergo Christus pro nobis vere satisfecit.

2. Idem in omnibus paginis novi Testamenti dilucide traditur. « Sicut *per unius delictum* in *omnes* homines *in condemnationem*, sic et *per unius justitiam* in *omnes* homines *in justificationem vitæ*. Sicut enim *per inobedientiam unius* hominis, *peccatores* constituti sunt *multi;* ita *per unius* (Christi) *obeditionem, justi* constituentur *multi;* » Rom. 5, ℣ 18, 19; ergo, sicut Adam fuit vere et proprie causa peccati pro suis posteris, ita et Christus fuit vere et proprie causa justificationis et ideo satisfactionis pro iisdem Adæ posteris.

Insuper Christus *venit dare animam suam redemptionem* (græce, *pretium redemptionis*) *pro multis*, Matth. 20, ℣ 28; — *dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*, I Tim. 2, ℣ 6; — « ut nos redimeret *ab omni iniquitate*, » Galat. 3, ℣ 13; — « *semel pro peccatis nostris* mortuus est, *justus pro injustis*, ut nos offerret Deo, » I Petr. 3, ℣ 18; — « ipse est *propitiatio pro peccatis nostris*, non pro nostris tantum, sed etiam *pro totius mundi*, » I Joan. 2, ℣ 2; — *non est in alio aliquo salus*, Act. 3, ℣ 12. Unde Angelus dicit : « Vocabis nomen ejus *Jesum :* ipse enim *salvum faciet populum suum a peccatis eorum;* » Matth. 1, ℣ 21. Talia verba commentario non indigent.

Idem probari potest ex textibus, quibus affirmatur Christum esse supremum Pontificem, n. 238.

2° *Traditione.* Fatentibus ipsis Socinianis, omnes SS. Patres docent Christum pro nobis per veram et proprie dictam substitutionem satisfecisse : atqui ille adeo unanimis consensus manifestum est doctrinæ apostolicæ signum; ergo, etc.

Eadem doctrina consignatur in omnibus Symbolis et

3. *Ex parte generis humani.* Namque, in privatis personis, sæpe quidem expedit gratuita et liberalis injuriarum remissio; sed e contra communi bono seu societati ordinarie utilius est eos, ad quos pertinet commune regimen, delictorum vindictam exigere : porro Deus est supremus humanæ societatis rector; ergo, ad majorem utilitatem, debuit ab illa societate condignam satisfactionem exigere.

Et vero, per Christi satisfactionem, maximum datur hominibus amoris divini argumentum, sicque ad amorem et fiduciam ardentius accenduntur erga Deum, qui « *sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret;* ut *omnis* qui credit in eum, non *pereat, sed habeat vitam æternam;* » Joan. 3, ℣ 16. Quare, « si amare pigebat, saltem redamare non pigeat, » ait S. August.; ostensio enim amoris est causa amoris efficacissima.

Insuper gravitas peccati tanto remedio indigentis, significatius declaratur, et homines ab eo perpetrando efficacius revocantur.

Tandem major quædam gloria homini accrescit, et quodammodo perfectior pax inter Deum et hominem constituitur, dum per æquivalentem Verbi incarnati satisfactionem ad divinam redit amicitiam. S. Thom. 3 p., q. 1, a. 2.

4. *Ex parte diaboli.* Ad majorem confusionem dæmonis conveniens fuit, ut in eadem natura, quam vicerat, vinceretur. Ergo omni modo conveniens fuit satisfactio Christi.

Ex iisdem congruentiis educitur convenientia Incarnationis in *natura passibili.*

191. — Hinc Christus satisfecit non solum pro peccatis hominum, sed etiam pro *pœna* peccatis debita. De fide est.

Etenim 1. Christus *vere languores nostros tulit, doloresque nostros portavit,* Isa. 53, ℣ 4; ergo fuit sponsor noster etiam quoad pœnam. Aliunde, majoris est valoris minimus dolor divinæ personæ, quam æternus cruciatus omnium hominum et Angelorum.

2. Ex dictis, n. 190, Christus nos redemit a potestate diaboli : porro, qui ad pœnam æternam damnatus remanet, a potestate dæmonis redemptus dici nequit; ergo Christus nos liberavit a pœna æterna, seu pro pœna peccatis debita vere satisfecit. Et revera, sublato peccato seu causa damnationis, eo ipso tollitur effectus seu pœna æterna : atqui, ex dictis, Christus vere satisfecit pro peccatis; ergo et pro pœna.

3. Christus, ex dicendis, nobis aperuit januam cœli; ergo pro pœna æterna peccato debita vere satisfecit.

192. — *Quæritur* 1° an satisfactio Christi fuerit omnino *spontanea*, tum ex parte Christi satisfacientis, tum ex parte Dei illam satisfactionem pro genere humano acceptantis?

Resp. affirmative, et certum est. Et quidem 1. ex parte *Christi*. Dicitur enim : *Oblatus est, quia ipse voluit*, Isa. 53, ℣ 7. — « Ego pono animam meam; nemo tollit eam a me, sed *ego pono eam a meipso;* » Joan. 10, ℣ 18. Aliunde hoc constat, ex dictis, n. 146.

Et vero, ille solus tenetur satisfacere, qui injuriam intulit : atqui solus reus erat genus humanum ; ergo Christus spontanee et omnino libere se præbuit sponsorem pro suis fratribus peccatoribus.

2. Ex parte *Dei acceptantis*. Namque Deus est absolutus et supremus Dominus; ergo nullus alius potest per se illum obligare ex justitia, seclusa ejus promissione. Revera, qui læsus est, jus strictum habet satisfactionem exigendi ab eo ipso, qui injuriam intulit : satisfactio enim est debitum *personale*, et non reale sicut in restitutione, n. 180; ergo Deus de jure suo cedit, dum acceptat Christum sponsorem pro genere humano culpabili; ac proinde omnino fuit liber satisfactionem Christi acceptare, vel non.

Equidem infinitus est valor operum Christi, et ex se Deo gratissimus; sed tamen valor ille est in se quid creatum et Deo extrinsecum; ergo non potest ex se ullam necessitatem inferre divinæ voluntati : imo ita est sub dominio ejus, ut

Deus libere possit non solum satisfactionem illam non acceptare, sed in alium, quem voluerit, usum ordinare; sicque decernere ut Christus opera sua pro hominibus non offerat.

193. — *Quæritur* 2° an *pactum* supponat satisfactio Christi?

Resp. affirmative, et certum est. Scilicet, ex una parte, Deus promittere debuit se cessurum de jure suo, et acceptaturum honorem atque reverentiam Christi, ad compensandam injuriam sibi illatam per hominum peccata; ita ut, post illam condignam Christi satisfactionem, aliam similem pro tota natura ab humano genere non exigeret, sed hominibus injuriam condonaret, positis tamen ponendis ex parte ipsorum cooperationis.

Ex altera parte, Christus debuit libere illas conditiones acceptare, et, quantum in ipso erat, eas adimplere, suam pro nobis satisfactionem offerendo Deo Patri, juxta divinæ dispositionis ordinem.

Sublato enim hujusmodi pacto, dici nequit Deum de jure suo cessisse, et acceptasse opera Christi in compensationem injuriæ a nobis illatæ, et in pretium nostræ redemptionis: nec proinde Christum, ad satisfaciendum pro nobis, sua opera Deo Patri obtulisse.

Et revera, illud pactum seu promissionem Dei ad Christum intercessisse, sic aperte declaratur: « *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum*, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur... *Ideo dispertiam ei plurimos*, et fortium dividet spolia, *pro eo quod tradidit in mortem animam suam*, et cum sceleratis reputatus est, *et ipse peccata multorum tulit*. » Isa. 53, ℣ 10, 12.

Itaque, sicut Adam, ex lege Dei *positiva*, constitutus fuerat caput et procurator totius generis humani, ad vitam vel ad mortem in ordine supernaturali, ut dicitur in Tract. *de Gratia*, n. 229; ita Christus, ex lege Dei *positiva*, constitutus est sponsor seu universalis causa satisfactionis pro genere humano culpabili in ordine supernaturali ex Adami inobedientia.

194. — *Obj.* Deus in Scripturis exhibetur velut gratis condonans hominum peccata : « Justificati *gratis* per redemptionem quæ est in Christo Jesu ; » Rom. 3, ℣ 24 : atqui peccatorum remissio non potest esse gratuita simul et ex vera satisfactione ; ergo Christus pro peccatis hominum non vere satisfecit.

Resp. Nego min. Etenim, licet pro nobis vere satisfecerit Christus, verum est tamen dicere nos a Deo justificatos esse *gratis*, tum respectu nostri, qui ultra proprium meritum justificamur ; tum ex parte Dei, qui gratuito decrevit adventum Christi, ut salvos faceret homines qui perierant, et ex mera liberalitate et misericordia, de suo jure cedens, homines a debito personali liberos fecit, in Christum illud transferendo ; tum ex parte Christi, qui sponte et ex amore officium sponsoris suscepit atque adimplevit.

195. — *Obj.* 2° Injustum est innocentem pro reo plecti, præsertim in causa capitali : porro Christus innocens pro nobis peccatoribus mortuus est; ergo ejus mors et satisfactio fuit quid injustum.

Resp. Disting. major. Injustum est innocentem pro reo plecti, præsertim in causa capitali, quando 1. ipse innocens libentissime fit sontis sponsor ; 2. sponsor constituitur ex legitima potestate ; 3. ex illa sponsione præcellentia bona consequuntur ; 4. mors ab impiis infertur, ita ut nec sponsor, nec potestas illum sponsorem constituens, active ad illam mortem concurrant, sed eam tantum patiatur sponsor, atque permittat illa potestas ; *nego ;* secus, *conc.* Positis enim quatuor illis conditionibus, omnis injustitiæ species evanescit, ut patet.

Porro hujusmodi conditiones fuerunt in Christi satisfactione. Et quidem 1. Christus, ut loco nostro satisfaceret, sponsor noster fit libentissime, ex dictis, n. 193. — 2. Ipse Deus a genere humano læsus, Christum constituit generis humani sponsorem, ut dictum est n. 193. — 3. Ex sponsione Christi, secuta sunt tum perfectissima attributorum Dei expressio, tum hominum liberatio atque salus, tum summa ac sempiterna Christi exaltatio et gloria, ut infra dicetur. — 4. Tandem Christus quidem passus est mortem, eamque Deus permisit, sed soli impii ex summo scelere illum crucifixerunt : *Tradebat judicanti se injuste*, I Petr. 2, ℣ 23. Ergo talis sponsio Christi nullam injustitiam implicat.

PUNCTUM III

De universalitate satisfactionis Christi.

196. — Satisfactionis Christi universalitas spectare potest vel homines, vel hominum peccata; et ideo quæritur utrum Christus vere satisfecerit pro omnibus omnino hominibus, et pro omnibus omnium hominum peccatis.

Juxta Jansenianos, Christus satisfecit pro iis solis, quibus confertur gratia efficax, n. 59; juxta Vasquez, Christus non satisfecit pro parvulis morientibus, antequam ulla diligentia humana Baptismus illis conferri potuerit. Contrarium autem facile deducitur ex thesi præcedenti, n. 190; et ideo illud breviter hic statuere satis erit, sigillatim tractando de fidelibus, de infidelibus adultis, de parvulis sine Baptismo decedentibus, et de omnibus illorum omnium peccatis. Itaque

PROPOSITIO PRIMA

197. — *Christus vere satisfecit pro omnibus fidelibus.* De fide est.

Etenim 1° « Speramus in Deum vivum, qui est *Salvator omnium* hominum, *maxime fidelium;* » I Tim. 4, ℣ 10. Hæc verba sunt ipsamet thesis.

2° Omnes fideles hunc Symboli articulum profiteri tenentur : « Credo..... in Jesum Christum..... *qui propter nos et propter nostram salutem descendit de cœlis*, crucifixus, passus et sepultus est, » etc.; ergo de fide est Christum pro fidelibus vere satisfecisse.

3° Definitum est a Conc. Trid. sess. 6, can. 1, 4, 10, « neminem posse *credere* sicut oportet *ad justificationem*, sine *gratia per Christum nobis* collata : » porro fideles sunt ii omnes, qui saltem credunt sicut oportet ad justificationem; ergo pro illis Christus meruit dispositionem fidei ad justificationem et ideo ad peccatorum remissionem recipiendam; ac proinde pro illorum peccatis vere satisfecit.

PROPOSITIO II

198. — *Christus vere satisfecit pro omnibus infidelibus adultis.* Certum est, et fidei proximum.

Namque, ex textibus allatis, n. 190, Christus promissus est ut *Salvator omnium gentium, omnium tribuum terræ;* Deus posuit in eo iniquitatem *omnium nostrum;* per Christum *omnes* homines constituuntur justi, sicut per Adam *omnes* homines constituti sunt peccatores; Christus est propitiatio *pro peccatis totius mundi*; missus est ut *gentes* justitiam apprehenderent, etc.; ergo satisfecit pro omnibus infidelibus saltem adultis.

Præterea S. Paulus obsecrat orari pro *omnibus* hominibus, et subdit: « Hoc *enim* bonum est et acceptum coram *Salvatore* nostro Deo, qui *omnes* homines *vult salvos* fieri, et ad *agnitionem veritatis venire.* Unus *enim* Deus, unus et *mediator Dei* et *hominum*, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro *omnibus;* » I Tim. 2, ỳ 1 et seq. Unde sic: S. Paulus obsecrat orationes fieri pro *omnibus* hominibus, quia Deus salvator noster vult *omnes* salvos fieri, et quia Christus dedit semetipsum redemptionem pro *omnibus :* porro constat mentem S. Pauli esse ut oremus pro *omnibus* hominibus simpliciter et sine limitatione; ergo cum eadem universalitate loquitur, quando pro ratione subjungit Deum velle *omnes* salvos fieri, Christum *omnes* redemisse. Aliunde verba *ad agnitionem veritatis venire*, satis indicant in illo textu agi etiam de infidelibus. Hoc iterum confirmatur ex propositione sequenti.

PROPOSITIO III

199. — ***Christus vere satisfecit pro parvulis etiam morientibus, antequam ulla diligentia humana Baptismus illis conferri potuerit.*** Ita communis SS. Patrum et Theolgorum sententia.

Etenim 1, nullibi in Scripturis aliqua innuitur exceptio, sed e contra ubique universalitas simpliciter et sine ulla limitatione affirmatur, ut constat ex jam dictis de infidelibus adultis.

Revera, de fide est parvulos quoscunque constitutos esse peccatores per Adami inobedientiam, ut probatur in Tract. *de Gratia*, n. 241 : porro, *sicut* per *unius delictum* in *omnes homines in condemnationem*, sic et per *unius justitiam* in *om-*

nes homines in justificationem, Rom. 5, ℣ 18; ergo similiter parvuli quicunque per justitiam Christi justificari possunt; ac proinde Christus pro illis vere satisfecit.

2° Ita sentiunt SS. Damasc., Chrysost., Athan., Ambr., Prosper., Iren., Hieronym., August., Th. 1 p. q., 19, a. 6. « Nunquid *parvuli* homines non sunt, ut non pertineat ad eos quod dictum est, *vult homines salvos fieri?* » S. Aug. *cont. Julian.* lib. 4. « L'explication qui ne donne aucune borne à la volonté de Dieu et de *Jésus-Christ*, prise *dans une entière universalité*, paraît plus digne de la bonté divine, plus conforme aux expressions de l'Écriture, et plus propre à la consolation des fidèles. » Bossuet, *Avert. sur le liv. des Réflexions morales.*

3° Valde consentaneum est divinæ bonitati et misericordiæ, ut nullum a participatione suæ gratiæ et redemptionis ex parte sua excludat, et ut neminem deserat, nisi prius deseratur a seipso. Nec minus etiam ad gloriam et charitatem Christi interest, ut sit, quantum in se est, Salvator omnium omnino hominum.

PROPOSITIO IV

200. — *Christus vere satisfecit tam pro originali lapsu generis humani, quam pro universis hominum peccatis, quæ quovis tempore commissa sunt, aut committentur.*

Assertio de fide est, pro omnibus peccatis fidelium ; certa est et fidei proxima, pro omnibus peccatis infidelium adultorum ; communis est sententia, pro originali peccato parvulorum sine baptismo decedentium.

Nam 1°, ex textibus Scripturæ supra allatis, n. 190, Christus nos redemit *ab omni iniquitate;* propitiatio est *pro peccatis totius mundi;* mortuus est, non solum pro peccatis, quæ sunt sub novo Testamento, *cujus mediator est*, sed etiam *in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori Testamento*, et ideo dicitur *Salvator mundi, Jesus* simpliciter, in quo *solo* stat *salus*, etc.; ergo pro omnibus omnino peccatis vere satisfecit.

Revera, nisi Christus pro omnino peccatis satisfecisset, dici non posset simpliciter et sine ulla limitatione Salvator

et Redemptor hominum, solus mediator Dei et hominum, in quo solo stat salus et benedictio singulorum et omnium hominum.

2° De fide est « *hominem* absque divina *per Jesum Christum gratia*, non posse *justificari* coram Deo; » vide Tract. *de Gratia*, n. 271, 304; ergo nullum remittitur peccatum, quin illam remissionem meruerit Christus, nempe satisfaciendo : porro nullum est peccatum irremissibile, alioquin Christus non esset Salvator omnium hominum, ut dictum est, n. 197, 198, 199; ergo Christus meruit gratiam remissionis peccati cujuscunque, ac proinde pro omnibus omnino peccatis vere satisfecit.

PUNCTUM IV

De perfectione satisfactionis Christi.

201. — *Quæritur* quotuplex esse possit satisfactio?

Resp. Triplex esse potest satisfactio, scilicet, congrua, condigna et perfecta. *Congrua* ea est, cujus valor debito per peccatum contracto non æquivalet, sed viribus satisfacientis proportionatur.

Condigna ea est, in qua servatur æqualitas, ita ut tantum honoris personæ læsæ reddatur, quantum ipsi per offensam abblatum est; et tunc satisfactio dicitur condigna *ex se, ex natura sua* et *intrinsece*. Cum vero operis satisfactorii valor non æquivalet gravitati injuriæ, sed tamen læsus illum acceptat, injuriamque remittit, tunc satisfactio dicitur condigna *extrinsece* seu ex personæ læsæ *acceptatione* partim mere *gratuita*.

Perfecta ea est, quæ fit non solum per æqualitatem ad offensam, et etiam *ad strictos juris apices;* id est, *ad alterum, ex propriis, ex alias indebitis*. Et quidem 1. *ad alterum;* nullus enim, proprie loquendo, suiipsius creditor ac debitor esse potest. 2. *Ex bonis propriis*, quorum nempe satisfaciens dominium habeat : qui enim satisfacit, jus plenum habere debet in id, quod personæ læsæ tradit. 3. *Ex alias indebitis*. Nam, qui id reddit, quod jam alio ex titulo debet, utrique non satisfacit. Quartam conditionem addunt plures

auctores, nimirum, quod creditor teneatur ex justitia acceptare satisfactionem.

202. — *Quæritur* 2° quænam fuerit satisfactio Christi?

Resp. 1° De fide est satisfactionem Christi esse æquivalentem imo superabundantem. Sed tamen quidam asserunt peccatum magis infinitum fuisse, quam Christi satisfactionem; ac proinde hanc satisfactionem non fuisse æquivalentem *ex se* et *natura sua* seu *intrinsece*, sed tantum *extrinsece*, seu ex Dei acceptatione, haud secus ac si quis creditori acceptanti unum aureum pro centum debitis solveret : ita Scotus, Durandus, etc.

2° Alii autem sentiunt illam satisfactionem non fuisse ad strictos juris apices : ita Vasquez, Lessius, de Lugo, etc. Nam 1. Christus sibimet tanquam secundæ Trinitatis personæ satisfecit; ergo ejus satisfactio non est ad alterum; 2. ipsius opera satisfactoria erant sub dominio totius Trinitatis, cui satisfaciebat; ergo non fuit ex propriis; 3. Christus omnes actus suos ad Deum referre tenebatur ex multiplici titulo, puta religionis et gratitudinis; ergo non fuit ex alias indebitis; 4. Deus nihil ex justitia acceptare unquam teneri potest; ergo nec Christi satisfactionem.

3. Tandem Protestantes Christi satisfactionem adeo perfectam fuisse docent, ut nullus jam privatæ hominum satisfactioni locus supersit. Itaque

PROPOSITIO PRIMA

203. — *Satisfactio Christi ex se fuit æquivalens, imo et superabundans*. Ita communis et vera sententia.

Prob. 1° *Script.* « *Non sicut delictum, ita et donum*. Si enim unius delicto multi mortui sunt, *multo magis gratia Dei* et *donum* in gratia *unius* hominis Jesu Christi *in plures abundavit*... Ubi abundavit delictum, *superabundavit gratia*; » Rom. 5, ✝ 15, 17, 20. Unde sic : ex S. Paulo, satisfactio Christi majorem vim habet ad reparandum genus humanum, quam Adæ culpa ad ipsum perdendum : porro Adæ culpa vim ad perdendum genus humanum sufficientem et condignam, si ita loqui fas est, ex se seu ex propria sua indi-

gnitate habuit; ergo etiam ex sua natura satisfactio Christi vim habuit sufficientem imo superabundantem ad reparandum genus humanum.

2° *Ex SS. Patribus* supra citatis, n. 184, solus Christus potuit redimere genus humanum, eo quod esset verus Deus: porro, si ejus satisfactio fuit condigna ex mera Dei acceptione, et non ex se, simplex creatura saltem gratiis ornata, potuisset illam extrinsece tantum condignam satisfactionem persolvere, ut patet; ergo illi SS. Patres tenent satisfactionem Christi fuisse *ex se* æquivalentem. Et vero, « *Multo plura*, quam *debeamus* Christus pro nobis solvit, *tantoque plura, quanto guttulam exiguam pelagus excedit immensum.* » S. Chrysost. *in Epist. ad Rom.* 5. — « *Tantæ dignitatis* Redemptoris nostri illa una fuit oblatio, ut una ad tollendum mundi peccata *sufficeret*, qui *tanta auctoritate* in sancta introivit in sanguine proprio. » S. Cypr., *Serm. de Circumc.*

Juxta Clementem VI, « Christus non *guttam* sanguinis modicam, quæ tamen, *propter unionem* ad Verbum, pro redemptione *totius generis humani sufficere potuisset*, sed copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse. Unde *thesaurum infinitum* Ecclesiæ militanti *acquisivit*, de cujus *consumptione* aut *diminutione non est aliquatenus formidandum, propter infinita merita Christi;* » in Extravag. *Unigenitus*, lib. 5, tit. 9 : porro, in illis verbis Clemens VI infinitatem satisfactionum et meritorum Christi, non a gratuita Dei supplentis acceptatione, sed a sola unione hypostatica repetit; ergo ex se infinita et superbundans fuit Christi satisfactio.

3° *Ratione theol.* 1. De fide est satisfactionem Christi esse æquivalentem et etiam superabundantem ; porro, si Christi opera non habent ex se illam æquivalentiam et superabundantiam, jam non concipitur quomodo Christi satisfactio fuerit plena et superabundans ; ergo, etc.

2. Ex dictis, n. 184, sicut gravitas injuriæ crescit ex dignitate personæ offensæ, ita et satisfactionis valor maxime sumitur ex dignitate personæ satisfacientis : porro, in Christo, persona satisfaciens est intrinsece et simpliciter

infinita; ergo ejus actiones a natura humana elicitæ, quamvis in se finitæ, valorem nihilominus ex illo divino supposito cui tribuuntur, intrinsece et simpliciter infinitum sumunt; ac proinde sunt pro nobis superabundanter satisfactoriæ.

Revera peccatum est infinitum duntaxat *extrinsece et secundum quid*, eo quod majestas divina, ex qua sola provenit illa infinitas, sit quid actui peccaminoso prorsus extrinsecum, n. 188 : porro, quod infinitum est intrinsece et simpliciter, infinite superat quod est infinitum duntaxat extrinsece et secundum quid; ergo in Christo unius tantum actus satisfactorii valor et efficacia infinite superavit non tantum singulorum, sed etiam omnium peccatorum injuriam.

Cæterum, sicut, per peccatum, infimum elevatur supra summum, ita, per Christi satisfactionem, summum deprimitur subtus infimum; Christus enim non solum Dei, sed etiam hominum peccatorum imperio se subjecit, et factus est opprobrium hominum : porro non minus admirandum et æstimandum est infinitam personam humiliari et dejici, quam est horrendum et detestandum vilem creaturam Deo injuriam inferre; imo infinite illud excedit, et est in altiori quodam gradu et ordine satisfactionis; ergo Christi satisfactio fuit ex se omnimodo superabundans.

204.— *Quæritur* 1° an unum opus Christi fuerit ex se *majoris valoris satisfactorii*, quam aliud?

Resp. negative. Etenim, excellentia quidem objecti, duratio, intensitas et multiplicitas actuum satisfactioni majorem valorem per se conferunt ; attamen, cum persona Christi in omni genere sit infinita, eo ipso eminenter continet omnia alia bona, et ideo actui confert in infinito gradu quidquid valoris omnes aliæ circumstantiæ conferre possunt; ergo omnes actus Christi habent valorem intrinsece et simpliciter infinitum, atque ideo æqualem.

205.—*Quæritur* 2° an, dum plura Christi opera sunt *extensive* plures satisfactiones aut merita, *intensive*, tamen non sit plus valoris in multis, quam in uno tantum?

Resp. affirmative. Namque, ex dictis, omne opus Christi satisfactorium habet valorem intrinsece et simpliciter infinitum : porro infinitum simpliciter nec plus, nec minus patitur ; ergo, etc. Hoc sensu communiter dicunt Theologi, Christum non plus satisfecisse et meruisse per omnia opera suæ vitæ, quam in primo instanti satisfecerat et meruerat, sed, ex multiplicitate actuum, idem ex pluribus causis fuisse ei debitum : « Non habuit omnino Christus juxta animæ meritum, *quo potuisset proficere;* » S. Gregor. *super Exod.* c. 40 ; S. Th. 3 p., q. 34, a. 3. Hoc igitur verum est, considerando opera Christi secundum valorem, quem ex se habent.

At vero, licet opera Christi essent de se infiniti valoris, potuerunt tamen ita ordinari et fieri, ut non per singula, sed per omnia tantum opera usque ad mortem inclusive, per modum *unius integri pretii*, jus haberet Christus ad remissionem peccatorum et pœnarum, et ad totum præmium : atqui hoc modo fuisse a Deo statutum, in quarto capite dicetur.

Unde jam intelligitur quamobrem Redemptio nostra passioni et morti Christi in Scripturis specialiter tribuatur. Videlicet, ex divina ordinatione, omnia merita Christi erant veluti in fieri, hoc sensu quod per singula opera non expiabatur lapsus et reatus naturæ humanæ, neque ex illis acquirebatur *perfectum* et *absolutum* jus ad gloriam, donec per omnes vitæ exterioris Christi circumstantias a Deo determinatas, et præsertim per passionem et mortem, consummaretur opus Redemptionis nostræ, ut constat ex Epist. ad Hebr. c. 10, et ut infra statuetur.

Et revera, licet « a principio suæ conceptionis Christus meruerit nobis salutem æternam, tamen *ex parte nostra* erant quædam impedimenta, quibus impediebamur consequi effectum præcedentium meritorum ; unde ad removendum illa impedimenta, *oportuit Christum pati.* » S. Th. Suppl. q. 58, a. 1, ad. 2.

PROPOSITIO II

206. — *Satisfactio Christi fuit ad strictos juris apices.* Ita communiter.

Et quidem fuit 1° *ad alterum*, n. 201. Etenim offensus est *unus Deus*, seu tres personæ divinæ quatenus indivise unam divinam naturam terminant; satisfaciens autem est sola persona Verbi quatenus terminans humanam naturam; ergo duo termini satisfactionis, seu offensus et satisfaciens sunt prorsus distincti, ac proinde satisfactio Christi fit ad alterum.

Et vero, ratione unius supremæ naturæ, unius voluntatis, unius operationis ad extra, tres personæ divinæ sunt *unus* tantum legislator, cujus præceptum peccator transgreditur, unus finis ultimus a quo avertitur, unus Dominus quem offendit, unus Deus qui satisfactionem suscipit, et remittit peccata; ergo satisfactio non respicit Patrem, vel Filium, vel Spiritum Sanctum sigillatim sumptum, sed simul tres personas indivise sumptas, *unumque Ipsum* constituentes. Talis est aperta S. Pauli sententia : « *Unus Deus*, unus et *mediator Dei* et hominum *homo* Christus Jesus; » I Tim. 2, ℣ 5. Ibi, per *unum Deum*, manifeste intelligitur non una vel altera persona, sed tota divinitas; in Christo autem sumitur *homo* seu natura humana, quatenus per solam Verbi personam terminatur.

Cæterum actus obedientiæ aut gratitudinis est ad alterum, haud secus ac actus justitiæ : atqui, juxta omnes, præfata distinctio sufficit in Christo ad actum veræ obedientiæ, gratitudinis et orationis; ergo et ad actum vere justitiæ.

2° *Ex bonis propriis*. Etenim Christus circa suas operationes habet dominium *personale*, quod, scilicet, consistit in operationum naturæ humanæ attributione Verbo tanquam illius naturæ supposito : porro illud dominium particulare est prorsus distinctum a dominio generali totius Trinitatis in easdem operationes, atque sufficit ad satisfactionem ; distinctum est quidem, ut patet ; sufficit etiam : nam hoc dominium personale sufficit ad injuriam erga Deum ; ergo respectu Dei sufficere debet ad satisfactionem.

Et vero, non obstante dominio generali totius Trinitatis, homo alteri homini rigorose satisfacere potest ; ergo idem

illud dominium non impedit, qnin homo et ideo Christus ex dominio personali possit Deo satisfacere.

Juxta plures, actio satisfactoria in se quidem sumpta, cadit sub dominio Trinitatis; sed valor satisfactorius a persona Verbi derivatus, non magis est sub dominio Trinitatis quam ipsa Verbi personalitas, quæ dominium supra se nullum agnoscit : porro, cum de actione satisfactoria sermo est, non tam spectatur illius entitas, quam valor; ergo valor satisfactionis Christi ei vere proprius erat, ac proinde Christus ex bonis propriis satisfecit.

3° *Ex bonis alias indebitis*. Namque 1. eodem actu quis satisfacere potest multiplici obligationi, quæ ex diversis titulis oritur : sic, v. g., Petrus ex titulo justitiæ debet Joanni centum nummos; in die autem solutionis, Petrus ex charitate tenetur ad eleemosynam erga Joannem; ergo, solvendo centum nummos, simul satisfacit obligationi ex justitia et ex charitate; ergo similiter eodem actu Christus satisfacere potuit obligationi obedientiæ et gratitudinis pro semetipso, et obligationi justitiæ pro hominibus peccatoribus.

2. Valor satisfactionis Christi, cum sit infinitus simpliciter, n. 203, est eo ipso inexhaustus, quotcunque sint debita; ergo omnibus quibuscunque obligationibus Christus semper satisfacere potest ex alias indebitis.

3. Ad rigorem justitiæ, sufficit bona esse indebita ex illa parte, ex qua desumitur valor satisfactionis : porro, juxta plures, Christi satisfactionis valor, cum derivetur a persona Verbi, non magis ex aliquo titulo debetur, quam illa persona, quæ debiti non est capax; ergo valor satisfactionis Christi, et ideo ipsamet satisfactio fuit ex alias indebitis.

4° Tandem promiserat Deus se condonaturum esse hominibus injuriam sibi ab ipsis illatam, posita Christi satisfactione, n. 193 ; ergo, ratione illius promissionis, Deus ex justitia tenebatur Christi satisfactionem acceptare. Et vero in Scripturis, quoties agitur de justorum meritis, quæ in Dei promissione præcipue nituntur, semper dicitur præmium illis ex justitia esse reddendum; II Tim. 4, ℣ 8; ergo a fortiori hoc verum est de merito Christi.

PROPOSITIO III

207. — *Quantumvis perfecta sit satisfactio Christi, tamen privatæ hominum satisfactioni locus superest.* De fide est.

Prob. 1° *Script.* « Si quis vult post me venire, *abneget semetipsum, et tollat crucem suam*, et sequatur me ; » Matth. 16, ỷ 24. — « Christus *passus* est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut *sequamini vestigia ejus ;* » I Petr. 2, ỷ 21 — « *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi* in carne mea... Cohæredes Christi, *si tamen compatimur*, ut et conglorificemur ; » Coloss. 1, ỷ 24 ; Rom. 8, ỷ 17. Illa verba clara sunt.

2° *Traditione.* De fide est hominem adultum non justificari, nisi, gratia Dei præventus et adjutus, sese disponat ad justificationem ; in justificatione autem non perseverare et crescere, nec mereri vitam æternam, nisi per bona opera pro Deo facta ; vide Tract. *de Gratia*, n. 272, 327 ; ergo eo ipso constat necessarium esse cujusque hominis cooperationem, ut obtineantur remissio peccatorum, Dei gratia et vita æterna.

3° *Ration. theol.* 1. Ex una parte, perfectius est habere aliquid a semetipso, quam ab alio tantum, et ideo per propriam satisfactionem esse aliquo modo causam suæ redemptionis, quam non esse ; ergo ad gloriam hominis spectat, ut per se aliquo modo satisfaciat. Ex altera parte, majori et excellentiori virtute satisfaciendi certe præditus est, qui non solum pro aliis per se satisfacit, sed etiam et alios satisfacientes facit : porro hominum satisfactiones non valent, nisi quatenus suum valorem supernaturalem ex Christi satisfactione trahunt ; ergo ad hominis gloriam, et ad majorem satisfactionum Christi exaltationem, Deus ordinare debuit, ut quisque esset Christi satisfactioni socius.

2. Deus statuit ut, etiam persoluta Christi satisfactione, per totum præsentis vitæ decursum remanerent in homine pœnalitates originalis peccati, scilicet, infirmitas corporis, dolores, mors, ignorantia, fomes peccati ; vide Tract. *de Baptismo*, n. 57 : porro, in tali statu, posita dispensatione

conformes essendi Christo satisfacienti, jam vel homines privandi essent libertate, vel licentia daretur hominibus peccata multiplicandi : quo nihil magis contrarium est Christi intentioni finique ejus satisfactionis; ergo, quantumvis perfecta sit satisfactio Christi, tamen privatæ hominum satisfactioni locus superesse debuit. Sed hoc fusius dicitur in Tract. *de Gratia*, c. 5.

3. Demum passiones Sanctorum proficiunt Ecclesiæ non quidem per modum redemptionis, sed per modum exempli et exhortationis, juxta illud : *Sive tribulamur, pro vestra exhortatione et salute;* II Cor. 1, ℣ 6. Vide S. Th. 3 p., q. 48, a. 5, ad 3.

208. — *Quæritur* cur, existente satisfactione Christi adeo copiosa et vere infinita, *tam pauci homines illo beneficio fruantur, atque salventur?*

Resp. Hoc pertinet ad inscrutabile mysterium divinæ prædestinationis et cooperationis hominum; neque aliud dicere possumus, nisi quod Deus per hoc ostendere voluerit excellentiam et gratuitam donationem gratiæ suæ in electis, ut S. Paulus significavit, Rom. 11, et etiam aliquatenus hominum fragilitatem et indigentiam. Nec tamen superfluus dici potest infinitus satisfactionis Christi thesaurus. Ad perfectam enim justitiam et misericordiam demonstrandam necessarius fuit, et ex illa infinitate Deus melius honoratur, magisque exaltatur ipse Christus. Cæterum, Christus suas satisfactiones et merita Deo non obtulit et ordinavit, ut alio modo hominibus applicarentur; et ideo, licet salventur pauci, ei non fit injustitia.

Nec etiam exinde sequitur, ubi *abundavit delictum*, ibi non *superabundasse gratiam;* vel redemptionis finem quoad *numerum electorum* non obtineri.

Etenim 1. qualiscunque sit satisfactionis Christi applicatio, in se nihilominus vere superabundans remanet ad honorem Dei et gloriam Christi : porro in hoc Incarnationis et Christi satisfactionis præcipuus finis reponitur.

2. Nullo modo constat pauciores esse electos ex redemptione Christi, quam fuissent in statu innocentiæ, si perse-

verasset; contrarium vero omnino probabile videtur. Etenim, in Tract. *de Angelis*, n. 50, dictum est, homines creatos fuisse ad reparandas sedes cadentium Angelorum: porro, sicut homines in locum malorum Angelorum suffecti sunt, ita, et in locum malorum hominum, alii quotidie substitui possunt, donec ille sedium in cœlo vacantium numerus ex hominibus omnino compleatur.

Et vero hoc non subobscure in multis Scripturæ locis innuitur. Dicitur enim : « Verbum meum non revertetur ad me *vacuum*, sed *faciet quæcunque volui*, et prosperabitur ad eos, ad quos misi illud; » Isa. 55, ℣ 11. Unde : « Ecce venio cito, tene quod habes, *ut nemo accipiat coronam tuam;* » Apoc. 3, ℣ 11. — « *Tollite* itaque *ab eo* (servo nequam), talentum, et *date ei, qui habet decem talenta;* » Matth. 35, ℣ 28. — « Simile factum est regnum cœlorum homini *regi*, qui fecit nuptias *filio suo*. Et misit servum suum *vocare invitatos* ad nuptias, et *nolebant venire*... Tunc dixit servo suo : Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed, qui invitati erant, *non fuerunt digni*... Exi cito in *plateas* et *vicos* civitatis; et *pauperes*, ac *debiles*, et *cæcos*, et *claudos introduc* huc. Et ait servus : Domine, factum est ut imperasti, et *adhuc locus est*. Et ait Dominus servo : Exi in *vias* et *sepes*, et *compelle* intrare, *ut impleatur domus mea;* » Matth. 22; Luc. 14. Quæ parabola rem perspicuam facit. — Tandem Christus « dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas... ad *consummationem Sanctorum*, in *ædificationem corporis Christi; donec* occurramus omnes... *in virum perfectum*, *in mensuram ætatis plenitudinis Christi;* » Eph. 4, ℣ 11, 12, 13.

Ergo 1., defectu aliorum, alii vocantur; atque hujusmodi substitutio perdurabit, donec impleatur domus cœlestis, donec consummetur Sanctorum numerus, donec Christus, per ædificationem corporis sui, id est, per salutem suorum omnium membrorum, sit vir perfectus, ejusque plenitudo sit consummata; ergo 2. dici potest quod, non obstante multorum ruina, Deus omnem gloriam, quam ex Redempione per Christum voluit obtinere, revera consequetur, nullaque in cœlo sedes vacua remanebit in æter-

ium. Quare Angeli victoriam hominum contra dæmones absolute proclamarunt, dicentes : « Nunc facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus, quia projectus est accusator fratrum nostrorum..... et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni. » Apocal., 12, ỳ 10, 11.

Ideo, juxta S, Anselmum, in hoc mundo perdurabit hominum procreatio, donec malorum Angelorum sedes in cœlo vacantes ex hominibus compleantur : « Et clamabant voce magna, dicentes : Usquequo, Domine, non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra?... Et dictum est illis, ut requiescerent *adhuc modicum tempus, donec compleantur conservi eorum, et fratres eorum, qui interficiendi sunt, sicut et illi.* » Apoc. 6, ỳ 10, 11. Vide Fénelon, *Serm. sur l'Epiphanie;* Bourdaloue, *Substitution des grâces du salut.*

NUMERUS II

De merito Christi.

209. — *Quæritur* 1° quid sit meritum, et quotuplex?

Resp. Meritum supernaturale, de quo solo hic agitur, est *opus supernaturale pro Deo factum, ex quo oritur jus ad supernaturalem retributionem.*

Dicitur 1 : *opus supernaturale pro Deo factum*; et in hoc meritum cum satisfactione convenit.

Dicitur 2 : *ex quo jus oritur*, etc. : quibus verbis indicatur discrimen inter satisfactionem et meritum. Videlicet, satisfactio, ut dictum est, n. 180, respectum habet ad injuriam compensandam, seu ad solvendum debitum; meritum autem respicit præmium obtinendum. Unde satisfactio Christi Deo præstatur, non nobis; nobis autem aut sibi Christus a Deo præmium meretur.

Duplex distinguitur meritum sicut et satisfactio, n. 201, de *congruo*, et de *condigno*. Si prius, opus meritorium non est ex se præmio proportionatum; ac proinde præmium illi retribuitur ex quadam duntaxat decentia ac congruitate : propterea meritum *imperfectum* dicitur. Si posterius, opus meritorium, inter alias conditiones, præmio proportiona-

tur, eique præmium retribuitur ex *justitia* aut *fidelitate*: et ideo meritum *perfectum* et proprie dictum nuncupatur.

210. — *Quæritur* 2° an et quodnam fuerit meritum in Christo?

Resp. Omnes quæstiones jam circa satisfactionem Christi absolutæ, iterum de ejus merito tractandæ veniunt. Attamen, cum meriti sicut et satisfactionis valor ex operis et præsertim ex personæ dignitate exsurgat, quidquid de *necessitate* et *perfectione* satisfactionis dictum est, de merito etiam omnem vim suam retinet; hic igitur dicendum superest de Christi meriti *existentia* et *universalitate*.

PUNCTUM PRIMUM

De existentia meriti in Christo.

211. — Omnes errores jam circa Christi satisfactionem relati, n. 189, hic iterum confutandi sunt. Unde

PROPOSITIO

212. — *Christus vere meritus est per easdem actiones, per quas Deo pro nobis satisfecit*. De fide est.

Prob. 1° iis omnibus Scripturæ testimoniis, quibus hactenus demonstratum est Christum pro nobis satisfecisse. In illis enim textibus dicitur, nos per Christum fuisse *redemptos, justificatos*, atque *salvatos :* porro non est vera et simpliciter dicta redemptio, justificatio, nec salus, sine recuperatione libertatis a peccato, gratiæ et amicitiæ divinæ omniumque supernaturalium bonorum, quæ homines per peccatum amiserunt; ergo Christus, dum injuriam Deo illatam per satisfactionem compensaret, simul merebatur, seu pro nobis jus ad illa bona recuperabat.

2° *Traditione*. Innumera afferri possent Conciliorum, SS. Pontificum et SS. Patrum testimonia. In re autem facili et ab omnibus Christianis admissa, referre sufficiat doctrinam Conc. Trid., quod traditionem sic contrahit : « *Meritoria* autem (causa justificationis est) Dominus noster Jesus Christus qui, cum essemus inimici, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, sua sanctissima *passione* in ligno

crucis *nobis justificationem meruit,* et *pro nobis* Deo Patri *satisfecit*... Si quis dixerit *homines sine Christi justitia, per quam nobis meruit, justificari,* anathema sit. » Sess. 6, c. 7, 14, can. 10.

3° *Ration. theol.* Ad meritum supernaturale requiritur, ex parte operantis, quod sit *viator,* et in *statu gratiæ :* ex parte operis, quod sit *liberum, honestum* et *supernaturale ;* ex parte Dei retribuentis, *promissio,* vide Tract. *de Gratia,* n. 341 et seq. : porro omnes illæ conditiones fuerunt in Christo. Etenim 1. fuit *viator,* dum, ratione infirmitatis corporis, aliquo modo peregrinaretur a Domino, atque ad beatitudinem tenderet, n. 125. Habuit etiam *statum gratiæ* non solum habitualis, sed etiam unionis, n. 133, 134. — 2. Ejus opera fuere libera, honesta, *supernaturalia,* imo vere et proprie divina ex parte personæ Verbi, n. 13, 134, 146. — 3. Denique adfuit Dei promissio, ut dictum est n. 193. Ergo Christus vere pro nobis meruit.

Huc etiam veniunt fere omnes congruentiæ pro satisfactione supra expositæ, n. 190. Sed hæc thesis iterum confirmabitur ex dicendis circa ejusdem meriti tempus et universalitem.

213. — *Quæritur* autem *quandonam* meruerit Christus?

Resp. Christus *a primo instanti Incarnationis suæ mereri incepit,* et in illo instanti habuit *perfectum meritum.* Ita communiter.

Sequitur ex jam dictis. Sed insuper : « *Ingrediens mundum* dicit : Hostiam et oblationem noluisti... tunc dixi : Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam..... *In qua voluntate sanctificati sumus;* » Hebr., 10, ỳ 5, 9, 10 : porro ingressus Christi in mundum est ipsa naturæ humanæ assumptio a Verbo; ergo a primo instanti Incarnationis, Christus habuit voluntatis actum sufficientem ad nostram sanctificationem, et ideo meritorium.

Et vero, Christus nunquam profecit in statu virtutis et meriti, ut dictum est, n. 205 : atqui tamen multum profecisset, si in primo instanti perfectum non habuisset meritum ; ergo, etc. Præterea a primo instanti mereri potuit,

ac proinde debuit : potuit quidem, cum tunc habuerit perfectum intellectus et voluntatis exercitium; debuit autem, quia perfectius est actum meritorium elicere, quam non elicere, dum possumus.

214. — 2° Christus *continue et sine ulla intermissione, a primo instanti conceptionis suæ usque ad instans mortis, meruit*. Ita communiter.

Sequitur ex præcedenti assertione. Nulla est enim ratio cur Christus in uno et non in alio instanti meruerit. Revera, sine ulla intermissione fuit in actuali intellectus et voluntatis exercitio; ergo sine intermissione mereri potuit et ideo meruit. Nec tamen ex illa continuatione aut multiplicatione actuum aucta fuere *ex parte valoris* merita Christi, ut dictum est, n. 205.

215. — 3° Christus *ab instanti mortis suæ, nihil amplius meruit*. Certum est.

Namque, in Scriptura, semper retributio dicitur esse in ordine ad opera hujus vitæ : « Facile est coram Deo *in die obitus retribuere unicuique* secundum vias suas... *Ante obitum*, operare justitiam; » Eccl., 14, ℣ 17. « *Cursum consummavi*, in reliquo reposita est mihi *corona justitiæ*; » II Tim., 4, ℣ 8 : porro, ex Scriptura et consensu unanimi Patrum et Theologorum, Christus ipse comprehenditur sub illa generali lege a Deo statuta, ex qua tempus merendi cum præsenti vita concluditur. Unde ipse Christus dicit : « Me oportet operari opera ejus, qui misit me, *donec dies est*; venit *nox*, quando *nemo potest operari* : » atqui, *per noctem*. SS. Patres hic mortem interpretantur, post quam nemo meritorie operari potest; ita SS. Chrysost., August., Hieron., Gregor. Papa, etc.

Et vero, Scriptura semper loquitur de præterito, *salvavit* nos, *redemit* nos, semperque morti Christi consummatam Redemptionem nostram tribuit ; atqui tamen, si adhuc mereretur Christus, eo ipso hactenus nos redimeret, imo nunquam in æternum dici posset consummata Redemptio nostra; ergo post mortem nihil amplius vere meruit Chris-

tus. Unde : « *Unam pro peccatis* offerens *hostiam*, in sempiternum sedet in dextera Dei, *de cætero exspectans*, donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus, » Hebr., 10, ỳ 12, 13, id est : una oblatione totum nostræ salutis negotium et ideo meritum consummavit; nunc vero solum exspectat veluti exsecutionem, seu satisfactionis et meriti applicationem.

216. — *Obj.* 1° Christus etiam nunc in cœlo pro nobis *orat*, *interpellat*, Rom. 8, ỳ 34; Hebr. 7, ỳ 25; ergo hactenus meretur.

Resp. Nego conseq. Etenim 1. omnis oratio est quidem impetratoria, sed non semper meritoria; sic ipsi peccatores, petendo, aliquid a Deo impetrare, non autem mereri possunt. S. Th. 2. 2. q. 83, a. 16.

2. Christus nunc orat, non ut per ipsam orationem mereatur rem, quam postulat, sed tanquam exigens rem ex titulo justitiæ jam sibi debitam, scilicet, ex precedentibus meritis. Eodem modo Sancti in cœlo orant pro beatitudine corporis, eamque impetrant, etsi non mereantur. Cæterum, infra clarius dicetur, quo modo Christus oret in cœlo, n. 287.

217. — *Obj.* 2° Christus meritus est per vulnus, quo ipsius latus post mortem apertum est: siquidem ex eo vulnere nostra Sacramenta eorumque vim et efficaciam fluxisse asserunt SS. Patres; ergo Christus etiam post mortem meritus est.

Resp. Nego anteced. Non enim meruit Christus præcise per vulnus, quod non sensit, sed per acceptationem ejus antea a se libere factam. Neque ex eo vulnere Sacramentorum vis fluxit efficienter, sed repræsentative, quatenus mirabilis illa sanguinis et aquæ effusio representavit munditiem et redemptionem nostram, atque efficaciam Sacramentorum novæ legis.

PUNCTUM II

De universalitate meriti in Christo.

218. — Hæc universalitas spectat vel omnes omnino homines, vel omnia omnino bona per peccatum amissa, prout scilicet Christus per meritum recuperavit omnia illa bona et quidem pro omnibus omnino hominibus, n. 196.

Porro homines, per originale peccatum, fuere peccatores constituti, atque destituti gratia sanctificante, omni jure ad

gloriam, et obnoxii ignorantiæ, concupiscentiæ, omnibus præsentis vitæ miseriis, ipsique morti; vide Tract. *de Gratia*, n. 242, 243; ideo, ad perfectam generis humani redemptionem, Christus debuit per meritum omnia illa mala removere, contrariaque bona nobis recuperare. Itaque

219. — I. Christus *omnibus hominibus sufficienter meruit remissionem peccati, tum originalis, tum etiam actualis*. Huic assertioni et sequentibus, convenit triplex certitudinis gradus jam satisfactionis universalitati affixus, n. 200.

Sequitur ex dictis circa existentiam et universalitatem satisfactionis Christi. Repugnat enim Deum superabundantem Christi satisfactionem pro omnibus peccatis omnium hominum gratam et acceptam habuisse, et simul Christum nullum jus acquisiisse ad illorum peccatorum remissionem. Unde Christus dicitur *propitiatio pro peccatis totius mundi*, n. 190, 194. Idem dicendum est de remissione pœnæ peccato debitæ, n. 191.

Dixi, *sufficienter*. Duplex est enim meritorum Christi ratio, nempe, quoad sufficientiam et quoad efficaciam : porro Christus, quoad sufficientiam, omnibus hominibus meruit peccatorum remissionem eo sensu, quod pro omnibus obtulit sufficiens meritum, sicut universale pretium, quo omnes uti possint ut a servitute peccati et dæmonis potestate liberentur.

Quoad autem efficaciam, non meruit omnibus illam remissionem, quia non applicuit meritum, ut omnes infallibiliter talem effectum consequantur: sed voluit illud applicari media libertate et voluntate humana, per quam interdum talis applicatio impeditur, ut dictum est, n. 207.

220. — II. Christus sufficienter *omnibus hominibus* meruit *omnes gratias actuales* ad justificationem *disponentes*, ipsam gratiam *justificantem*, omniaque *dona* et *auxilia supernaturalia*, quæ justificationem *consequuntur*.

Namque « vidimus eum (Christum) *plenum gratiæ*, et *de plenitudine ejus nos omnes accepimus*, quia *gratia per Jesum Christum facta est... Justificati* gratis *per gratiam ipsius per*

edemptionem quæ est *in Christo Jesu...* Sicut enim per unius delictum in *omnes* homines in *condemnationem;* sic et per *unius justitiam* in *omnes* homines *in justificationem.*» Quare Deus benedixit nos in *omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo Jesu.* Joan., 1, ℣ 14, 16, 17; Rom., 3, ℣ 24; Eph., 1, ℣ 3.

Idem definitum est a Conciliis Milevitano, Arausicano II, et Trident., n. 212; et confirmatur praxi Ecclesiæ, quæ omnia ad salutem pertinentia semper petit *per Dominum nostrum Jesum Christum.*

221. — III. Christus sufficienter *omnibus hominibus meruit gloriam seu vitam æternam.*

Qui enim meretur medium ad finem, eo ipso finem meretur : porro, ex una parte, gratia est medium ad gloriam, ut dicitur in Tract. *de Gratia*, n. 86, 87, 345, 371 ; et, ex altera parte, Christus nobis illam gratiam meruit; ergo et gloriam.

Hoc aperte sic docet S. Paulus : « Si *unius* delicto mors regnavit per unum, multo magis *abundantiam gratiæ* accipientes *in vita regnabunt per Jesum Christum... Gratia* regnet per justitiam *in vitam æternam per Jesum Christum;* » Rom., 5, ℣ 17, 21. — « Ut *justificati gratia ipsius*, hæredes simus secundum *spem vitæ æternæ;* » Tit. 3, ℣ 7. Hujusmodi testimoniis refertæ sunt Scripturæ.

222. — IV. Christus sufficienter *omnibus hominibus meruit resurrectionem et glorificationem corporis.*

Etenim « *per hominem mors*, et *per hominem resurrectio* mortuorum. Et sicut in Adam *omnes moriuntur*, ita *in Christo omnes vivificabuntur.* Unusquisque autem in suo ordine : *primitiæ Christus*, deinde ii *qui sunt Christi;* » I Cor., 15, ℣ 21, 22, 23. — « Qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, *vivificabit* et *mortalia corpora* vestra, *propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis;* » Rom., 8, ℣ 11.

Et vero, ex jam dictis, Christus omnibus hominibus sufficienter meruit vitam æternam : atqui homo ex anima et

corpore constat; ergo omnibus meruit vitam æternam pro anima et corpore.

223. — V. Christus *omnibus hominibus meruit omnia bona ordinis etiam naturalis* in ordine ad salutem concessa: qualia sunt naturalia auxilia intellectus et voluntatis, sanitas corporis, bona fortunæ, imo ipsamet existentia animæ et corporis in hac præsenti vita. Certum est.

Etenim, ratione originalis peccati, Adam, in rigore justitiæ, statim post peccatum æternis suppliciis plectendus erat, sicut et Angeli mali; et consequenter omnes ejus futuri posteri, in pœnam illius peccati, existentia destituti permansissent; vel saltem non alium statum sortiti fuissent, ac parvuli qui cum originali peccato decedunt; vide Tract. *de Gratia*, n. 242 et seq.: porro, intervenientibus Christi satisfactione et merito, Adam et ejus posteri iterum ad vitam gratiæ et gloriæ vocati sunt, et consequenter ad bona naturalia vitæ præsentis. Quare dicitur: *Omnia vestra sunt*, sive *mundus*, sive *vita*, sive *præsentia*, sive *futura*: *vos* autem *Christi*, *Christus* autem *Dei*;» I Cor., 3, ℣ 22, 23. « Et non estis *vestri; empti* enim estis magno *pretio*; » I Cor., 6, ℣ 19, 20.

Et vero, Ecclesia bona etiam naturalia seu temporalia a Deo petit *per Dominum nostrum Jesum Christum;* ergo Christus hujusmodi bona meruit.

224. — VI. Christus omnibus meruit non ut *ignorantia, concupiscentia, infirmitates corporis* et *mors* in præsenti vita omnino auferantur, sed ut in hac vita jam *non dominentur*, atque tandem *in novissimo penitus tollantur*. Certum est.

Et quidem 1° non meruit ut illa mala *omnino auferantur in præsenti vita*, sicut universali experientia constat, et propter rationes allatas in Tract. *de Baptismo*, n. 57.

2° Meruit autem ut illa mala in præsenti vita jam *non dominentur*. Namque, ex dictis, per meritum Christi, consequimur remissionem peccatorum, gratiam justificationis, omnia auxilia ad vitam supernaturalem peragendam, imo

jus ad gloriosam resurrectionem; ergo eo ipso, per illud meritum, homo vim obtinet ad superandam ignorantiam, concupiscentiam, timoremque mortis et aliarum quarumcunque miseriarum vitæ præsentis.

3° Denique Christus meruit ut hujusmodi infirmitates *in novissimo penitus tollantur*. Nam, ex dictis, Christus omnibus meruit animæ vitam æternam, et æternam corporis beatitudinem; ergo eo ipso meruit, ut in æternum auferantur quæcunque infirmitates animæ et corporis, penitusque dejiciatur mortis imperium, juxta illud : « Novissima *destruetur mors* : *omnia* enim *subjecit* (Deus) sub pedibus *ejus* (Christi); » I Cor., 15, ỳ 26. Vide Bossuet, 1[er] *Serm. pour le jour de Pâques*, 2° p.

225. — Hinc omnia bona in ordine ad salutem concessa ante adventum Christi, fuerunt ejus satisfactionis et meriti quasi *anticipatum* præmium. Meritum enim non est præmii causa physica, sed moralis seu excitans illum, qui præmium daturus est; ergo, per præscientiam meriti certo futuri, quis efficaciter moveri potest ad præmium concedendum.

Gloriam autem ante adventum Christi non adepti sunt antiqui Patres, tum quia non erat, sicut gratia, simpliciter necessaria ad amicitiam Dei recuperandam, tum quia conveniens fuit, nullum hominum plenam Dei fruitionem et consummatum satisfactionis Christi effectum adipisci, antequam pretio sanguinis Christi pro reatu totius naturæ humanæ satisfactum fuisset, atque ipsum caput Christus fuisset gloria et honore coronatus. S. Th. 3 p., q. 49, a. 5, ad 1.

226. — *Quæritur* autem an Christus, pro nobis satisfaciendo et merendo, aliquid *sibi* meruerit?

Resp. 1° Christus, nobis satisfaciendo et merendo, meruit *sibi gloriam corporis*. Certum est.

Etenim « nonne *oportuit pati* Christum, et *ita intrare in gloriam suam?* » Luc. 24, ỳ 26. « Videmus Jesum, *propter passionem mortis gloria* et *honore coronatum*; » Hebr. 2,

℣ 9; ergo Christus gloriam sui corporis non obtinuit nisi propter passionem mortis; et ideo, per hanc passionem, illam gloriam meruit.

Et vero, cæteris paribus, perfectius est aliquid habere per meritum, quam sine merito : porro, ex una parte, Christo concedere debemus quidquid perfectius est et nobilius; et, ex altera, Christus, cum propter nostram redemptionem gloria corporis ab initio caruerit, potuit per meritum ad illam tendere, ac proinde debuit.

227. — 2° Christus, pro nobis satisfaciendo et merendo, *meruit sui nominis exaltationem*, seu omnia quæ ad suam externam gloriam pertinent, sive in terra, sive in cœlo : qualia sunt, Ecclesiæ ædificatio et diffusio, adoratio gentium, dominium super orbem universum, æternæ in cœlo benedictiones ab omnibus Sanctis, etc. Certum est.

Etenim Christus « *humiliavit semetipsum*, factus *obediens* usque ad *mortem crucis. Propter quod* et Deus *exaltavit* illum, et donavit illi *nomen*, quod est super omne nomen; ut in *nomine* Jesu *omne genu flectatur* cœlestium, terrestrium et infernorum; » Philipp. 2, ℣ 8, 9, 10. — « *Dignus* est Agnus *qui occisus est*, accipere virtutem et divinitatem, *gloriam* et *benedictionem;* » Apoc. 5, ℣ 12; id est, ut ab omnibus agnoscatur tanquam Deus, et honoretur atque glorificetur. Tandem « Christus *in hoc mortuus* est et *resurrexit, ut* et *mortuorum et vivorum dominetur;* » Rom. 14, ℣ 9. Nam ei dictum fuerat : « *Postula a me*, et dabo tibi *gentes* hæreditatem tuam, et possessionem tuam *terminos terræ :* » Ps. 2. « Si posuerit animam suam *pro peccato*, videbit *semen longævum*, et *voluntas Domini in manu ejus dirigetur*, » Isa. 53, v. 10.

228. — Christus *non sibi meruit dona gratiæ, nec animæ gloriam*. Ita communiter.

Etenim Christus a primo instanti habere debuit gratiam et gloriam, nec unquam sine illis donis operari, ut dictum est, n. 121, 134, 139 : atqui opus meritorium gratiæ, cum sit via ad gratiam et ejus causa, eam debet aliquo modo

antecedere, et ideo sine ipsa gratia produci; ergo tale opus non produxit Christus; nec proinde sibi gratiam et gloriam meruit. « Nec *gratiam*, nec *scientiam*, nec *animæ beatitudinem*, nec divinitatem (seu unionem hypostaticam) meruit; quia, cum meritum non sit nisi ejus quod *nondum habetur*, oporteret quod Christus aliquando istis caruisset : quibus carere *magis diminuit dignitatem Christi*, quam *augeat meritum*. » S. Th. 3 p., q. 19, a. 3.

Scholium. Ex dictis de Christi satisfactione et merito, quædam sequuntur corollaria hic breviter evolvenda, circa Christi *titulos*, quibus quasi contrahitur doctrina hucusque tradita.

COROLLARIUM PRIMUM

229. — *Ergo Christus est Caput et ideo Dominus, Legislator, Rex Ecclesiæ et hominum.*

Huic corollario et sequentibus, convenit triplex certitudinis gradus jam determinatus, n. 200.

I. *Caput*. In sensu naturali, caput est illa pars corporis humani, quæ super alia membra eminet *ordine*, *perfectione* et *virtute*. Et quidem 1. *ordine;* caput enim est prima pars hominis incipiendo a superiori : quare omne principium consuevit vocari *caput*. 2. *Perfectione*; nam in capite vigent omnes sensus, et interiores et exteriores, dum in cæteris membris solus tactus reperitur. 3. *Virtute* seu causalitate; motus enim cæterorum membrorum eorumque gubernatio in suis actibus a capite derivatur. S. Th. 3. p., q. 8, a. 1.

Porro hæc tria Christo competunt spiritualiter seu respectu aliorum hominum. Et quidem inter cæteros homines Christus eminet, 1. *ordine*. Nullum enim individuum, post ipsum Deum, Deo propinquius, altius et dignius excogitari et esse potest, quam Deus-homo; ergo inter homines, imo inter creaturas quaslibet Christus dignitate et ordine primum locum obtinet.

2. *Perfectione*. Nam Christi perfectio personalis est infinita simpliciter; ejus autem animæ perfectio, sive naturalis, sive supernaturalis, super omnes intellectuales creatu-

ras longe præcellit, n. 110, 155, 157; et idem verum est de ejus corporis perfectione, n. 161, 169; ergo, etc.

5. *Virtute* tandem. Ex dictis enim, homines nihil omnino in ordine ad salutem recipiunt, nisi virtute satisfactionis et meriti Christi; ergo, pro vita spirituali, Christus id est relative ad homines, quod est caput relative ad alia corporis membra pro vita corporali.

Et vero, « *Ipsum* dedit *caput* super *omnem Ecclesiam*, quæ est *corpus ipsius*... Crescamus *in illo per omnia* qui est *caput Christus; ex quo* totum *corpus compactum* et *connexum*... augmentum corporis facit in ædificationem sui *in charitate*... Christus *caput est Ecclesiæ*, ipse salvator *corporis* ejus,.. caput vero Christi, Deus; » Eph. 1, ℣ 22. 23; 4, ℣ 16; 5, ℣ 23; I Cor. 11, ℣ 3. Ergo, sicut Ecclesia est corpus, per analogiam ad corpus naturale, ita Christus est caput Ecclesiæ, per analogiam ad caput naturale.

230. — Hinc 1° Christus est *actu* seu de facto caput 1. principaliter *justorum Deo fruentium*, qui ei perfecte uniuntur per influxum visionis intuitivæ et charitatis patriæ; 2. *justorum a Deo peregrinantium*, qui ei conjunguntur per influxum fidei et charitatis viæ; 3. *fidelium peccatorum*, qui ei conjunguntur per influxum fidei tantum et ideo sunt sicut membra mortificata, quæ aliqualiter moventur a capite. Omnes igitur illi homines in hoc triplici gradu per influxum spiritualem cum Christo de facto conjuncti, cum Christo efformant *corpus mysticum*, seu corpus *morale* et *supernaturale*, quod dicitur *Ecclesia*; et ideo Christus est actu caput Ecclesiæ.

231. — Hinc 2° Christus est *in potentia* tantum caput *infidelium*, sive adultorum, sive parvulorum, in statu viæ existentium.

Pro illis enim in eo statu degentibus, Christus satisfactionem et merita obtulit; et ideo, quandiu sunt in hac vita, gratiæ influxum a Christo recipere possunt, ac proinde sunt ejus membra in potentia. Imo, ut Christo uniantur per fidem et charitatem, eis ex virtute Christi interdum

datur vel offertur auxilium proxime aut remote sufficiens, sicut dicitur in Tract. *de Gratia*, n. 288, 294, 295; Christus enim est caput ita efficax, ut agere possit in membrum etiam separatum, ad hoc sibi conjungendum.

232. — Hinc 3° Christus non est caput *damnatorum*, scilicet, eorum qui vel propter actuale peccatum damnati sunt, vel propter originale peccatum a regno cœlorum sunt exclusi.

Namque pro illis in eo statu existentibus, Christus nec satisfactionem, nec merita obtulit, nec proinde aliquem gratiæ influxum a Christo amplius recipere possunt. Attamen illi omnes, dum in hac vita degerint, fuere vel aliquo tempore cum Christo conjuncti per fidem et charitatem, aut per fidem tantum, vel per totum hujus vitæ decursum membra Christi saltem in potentia; et ideo Christus est successive omnino hominum caput aliquo modo et per aliquod tempus.

233. — Hinc 4° proprium est Christo esse caput simpliciter Ecclesiæ et hominum.

Namque, juxta Patrum doctrinam et consuetum loquendi modum, caput sine addito dicit non solum eminentiam ordinis et perfectionis, sed etiam gratiæ influxum de condigno meritorium : porro, ex dictis, talis influxus soli Christo convenit ; ergo solus Christus est caput simpliciter Ecclesiæ et hominum.

234. — II. Christus est *Dominus*, *Propheta* seu Legislator, et *Rex* Ecclesiæ et hominum.

Ad caput enim alicujus societatis pertinet dominari, leges imponere, et regere, ut omnes subditi secundum capitis influxum agant, sicque ejus vitæ et perfectionis participes fiant. Aliunde præfati tituli sunt consectaria exaltationis nominis, quam meruit Christus, n. 227.

Et revera 1. Christus, solvendo redemptionis nostræ pretium, omniaque bona in ordine ad salutem nobis merendo, homines magno pretio emit, plenumque super eos

dominium acquisivit; ergo Deus *omnia subjecit sub pedibus ejus*, Christusque, ut homo, factus est *Dominus dominantium;* Hebr. 2, ℣ 8; Apoc. 19, ℣ 16.

2. Ut autem illud dominium agnoscerent subditi, necesse fuit Christum eis suam voluntatem perfecte manifestare, sicque esse totius generis humani prophetam seu magistrum. Unde cæteri omnes prophetæ ejus tantum discipuli fuere, atque ob illam præcipue causam missi, ut Prophetam hunc, qui ad omnes perfecte illuminandos erat venturus, prænuntiarent. Propterea in Scripturis Christus dicitur antonomastice *Magister, Propheta*, seu Propheta prophetarum; Matth. 23, ℣ 10; Deuter. 18, ℣ 15; Joan. 5, ℣ 14.

3. Tandem, per supernaturalem gubernationem, Christus debuit homines ad suarum legum observationem movere; et ideo specialiter Ecclesiam regere, eam ab hostium impetu et insidiis tueri, eique non solum justitiam atque sanctitatem largiri, verum etiam ad perseverandum facultatem et vires præbere, ut spirituale ejus regnum inchoetur in terris, atque in cœlo perficiatur. Quare in Scriptura Christus, ut homo, sæpe nuncupatur *Rex* regni, quod *non est de hoc mundo*, et cujus non *erit finis*, *Princeps regum terræ;* Joan. 18, ℣ 37; Luc. 1, ℣ 32, 33; Apoc. 1, ℣ 5. Hunc Christi titulum mirabili doctrina et eloquentia evolvit Bossuet, 1[er] *Serm. sur la Circoncision de Notre-Seigneur*.

COROLLARIUM II

235. — *Ergo Christus est perfectus Mediator redemptionis et religionis inter Deum et homines.*

Scilicet, *mediator*, quasi *medium*, ille est *qui inter duas personas intercedit, ut eas aliquo modo conjungat,* vel aliquo pacto aut negotio consentientes efficiat.

Dicitur 1 : *qui inter duas personas intercedit;* unde mediatio, qualis hic sumitur, est munus quoddam et officium, atque ideo *personalis* nuncupatur. In hoc proinde distinguitur a mediatione *substantiali*, qua duæ substantiæ aut naturæ diversæ et extreme distantes, inter se conjunguntur: sic, mediante persona Verbi, natura divina et natura hu-

nana in unum coalescunt, ut dictum est in secundo capite.

Dicitur 2 : *ut eas conjungat;* igitur, ut adsit verus et proprie dictus mediator, requiritur quod sit *ex se efficax* ad illam conjunctionem perficiendam. In hoc præcipue reponitur discrimen inter mediatorem *perfectum* seu *principalem* et *imperfectum* seu *ministerialem*. Nam prior virtute propria et per se conjunctionem perficit; posterior vero illam conjunctionem non operatur, nisi virtute mediatoris principalis, cujus est instrumentum quoddam et minister.

Dicitur 3 : *aliquo modo*. Hic autem agitur de supernaturali conjunctione, et ideo de ejusdem ordinis mediatione inter Deum et homines : porro hujusmodi mediatio duplex esse potest, nempe, *redemptionis* et *religionis*. Prior supponit separationem per peccatum, et fit ad ipsam *reconciliationem;* posterior vero non supponit peccatum, sed fit vel ad primum simpliciter stabiliendas supernaturales relationes inter Deum et creaturas intellectuales, vel ad illas relationes conservandas atque perficiendas.

Nunc vero 1., per peccatum, Deus et homines erant valde dissiti et inimici : porro Christus, ex virtute per se efficaci suæ satisfactionis et meriti, Deum et homines supernaturaliter iterum conjunxit; ergo fuit inter Deum et homines perfectus mediator *redemptionis*.

2. Insuper, semel sublato peccato et peracta reconciliatione atque conjunctione, Deus et homines sic supernaturaliter uniti non permanent in terra nec etiam in cœlis, nisi ex perfecto Christi merito; ergo Christus est inter Deum et homines perfectus mediator *religionis*.

Utraque illa mediatio sic expresse affirmatur : « Ego sum *via, veritas* et *vita; nemo* venit ad Patrem nisi *per me*... *Ego* sum *vitis, vos palmites;* qui manet *in me*, et *ego in eo*, hic fert fructum multum; *quia sine me, nihil potestis facere... Ego in eis*, et *tu in me, ut sint* consummati *in unum;* » Joan. 14, ℣ 6; 15, ℣ 5; 17, ℣ 21. *Per ipsum habemus accessum ad Patrem;* Eph. 2, ℣ 18.

236. — Hinc 1° Christus solus est mediator *perfectus* et *principalis*. Certum est.

Solus enim Christus potuit, ex virtute [illegible] efficaci, Deum et homines reconciliare, [illegible] naturaliter conjungere, atque hujusmodi [illegible] servare et perficere. Unde cæteri omnes, qui [illegible] conciliationem et unionem cooperantur, [illegible] tantum *imperfecti* et *ministeriales*, nec agunt [illegible] satisfactionis et meriti Christi. Quare dicitur [illegible] Deus, *unus* et *mediator Dei* et *hominum*, [illegible] Jesus, qui dedit *redemptionem semetipsum* [illegible] I Tim. 2, ℣ 5, 6.

237. — Hinc 2° Christus est *mediator* [illegible] De fide est.

Etenim novum Testamentum nihil aliud est [illegible] tum seu unio Dei cum hominibus per gratiam [illegible] quibus homines fiunt naturæ et vitæ divinæ [illegible] porro, ex dictis, in statu præsenti, hujusmodi [illegible] perficitur, nisi virtute satisfactionis et meriti Christi [illegible] *novi Testamenti mediator est Jesus*; Hebr. 9, ℣ 15. [illegible] Eadem ratione dicitur *Angelus Testamenti*; Malach. [illegible] Proinde Christus, ut esset perfectus mediator, debuit [illegible] solum pro nobis satisfacere et mereri, sed etiam [illegible] esse interpretem omnium conditionum a Deo positarum [illegible] divinam vitam recuperandam, conservandam atque per[illegible] dam, ut dictum est, n. 234, Vide Tract. *de Revelat.*, [illegible]

COROLLARIUM III

238. — *Ergo Christus est pro hominibus supremus* [illegible] *tifex*. De fide est.

Etenim, quoad *nomen*, pontifex, a verbis *pons*, [illegible] apud Cicer., Horat., Ovid., designat hominem in supr[illegible] excellenti dignitate constitutum, nempe, quasi ponte[illegible] interjectum inter Deum et creaturam rationalem, ad trans[illegible] tum actuum religionis ex parte creaturæ ad Deum, et gr[illegible] tiarum ex parte Dei ad creaturam. Eumdem sensum hab[illegible] nomen *sacerdotis*, a verbis *sacra dans*, scilicet, dans De[illegible] sacra ex parte creaturæ, et creaturæ sacra ex parte Dei, vel *sacris omni modo datus, deditus*.

...*em*, pontifex ille est, *qui Deo offert pro aliqua* ... *oblationem ex se efficacem ad Deum honorandum,* ... *societatem sanctificandam;* n. 260.

... 1 : *qui Deo offert;* « omnis enim pontifex consti... *iis quæ sunt ad Deum, ut offerat* dona et sacrifi... ...eb. 5, ♰ 1; 8, ♰ 3.

... 2 : *pro aliqua societate;* et in hoc pontifex pro... ...tus distinguitur a simplici privato, n. 260. Hic ...oprio nomine Deo offert; omnis vero pontifex pro ...e quadam, ex S. Paulo, *ibid.*, et omnium populo... ...nsensu. Unde pontifex est mediator inter Deum et ...n societatem. S. Th. 3 p., q. 22, a. 1.

...tur 3 : *oblationem ex se efficacem ad Deum honoran... et societatem sanctificandam.* Si enim illud, quod Deo ...ocietate offertur, sit ex se inefficax ad Deum hono...um, illamque societatem sanctificandam, illa oblatio ...e omnino inutilis evadit, nec proinde tunc adesse po... ...inter Deum et societatem verus Pontifex seu mediator. ... oblatio dicitur *sacrificium*, n. 260.

...orro, ex dictis, Christus seipsum Deo obtulit ad satisfa...ndum Deo pro hominibus peccatoribus, et iisdem me...dum omnia bona sanctificationis et gloriæ divinæ; ergo ...ulit Deo pro societate humana oblationem ex se effica...n ad Deum honorandum et sanctificandum genus hu...anum; ac proinde Christus est pro hominibus supremus ...ontifex.

Et revera, « Habemus *Pontificem magnum*, qui penetra...it cœlos, *Jesum Christum*... Christus autem assistens *Pon...ifex* futurorum bonorum, *per proprium sanguinem* introi...it semel in Sancta, *æterna redemptione inventa*... Talis enim decebat ut *nobis* esset *Pontifex*, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cœlis factus; » Hebr. 4, ♰ 14; 6, ♰ 26; 9, ♰ 11. — « Tradidit *semetipsum pro nobis oblationem* et *hostiam Deo* in odorem suavitatis; » Eph. 5, ♰ 1.

Idem definitum est a Conc. Ephesino, n. 21, et a Conc. Trident.; vide Tract. *de Euchar.* n. 182, ; atque iterum confirmabitur ex dicendis in quarto capite. Vide Bossuet,

Serm. sur l'Ascension de Notre-Seigneur; — *Médit. sur l'Evang.*, journ. 52.

239. — Hinc 1° Christus est ipse *offerens* et res *oblata*, seu *sacerdos* simul et *victima*. Certum est.

Etenim *res oblata* sunt ejus vitæ interioris et exterioris actus eliciti et imperati ad satisfaciendum Deo et merendum pro hominibus; *offerens* est illemet qui præfatos actus eliciendo et imperando, eo ipso illos Deo pro hominibus offert. Quare dicitur : « Christus *tradidit semetipsum pro nobis oblationem* et *hostiam Deo;* » Eph. 5, ỷ 2. — « Sacerdos *ipse* Christus *offerens*, *ipse* et *oblatio*, ait S. August. *de Civit.*, lib. 10, c. 20. Ita etiam Conc. Trid., in Tract. *de Euchar.*, n. 159, 188.

240. — Hinc 2° Christus *solus* est Sacerdos *proprie dictus*. Certum est.

Namque, ex dictis, solus Christus Deo offerre potest oblationem ex se efficacem ad Deum condigne honorandum et ad homines sanctificandos. Unde cæteri Sacerdotes sunt vel illius veri Pontificis quædam tantum figuræ, sicut Sacerdotes veteris legis, vel ejus ministri et cooperatores, quales sunt novæ legis Sacerdotes : hi enim, dum Christus interius et invisibiliter solus suam oblationem ex se efficacem peragit, ejus vices exterius et visibiliter gerunt, sicque ejus sacerdotium participant. Martyres autem non fuere Sacerdotes, tum quia non constituti sunt ut sese Deo offerrent pro populo, tum quia eorum oblatio non erat *ex se* efficax ad Deum condigne honorandum, atque ad populum sanctificandum.

241. — Hinc 3° Christus est *Pontifex redemptionis* et *religionis*.

Et quidem *redemptionis*, quatenus se Deo obtulit ad satisfaciendum pro peccatis hominum, ut eos redimeret; propterea dicitur *hostia pro peccato*. *Religionis* etiam, quatenus homines, semel amici facti, Deo sicut hostiæ pacificæ per Christum offeruntur et conservantur in gratia, et

Ieo Christus dicitur *hostia pacifica;* sed insuper quatenus, er eamdem oblationem, homines in unione cum Deo conımmantur in gloria; et proptera Christus *holocaustum* uncupatur. S. Th. 3., 22, a. 2.

242. — *Quæritur* an Christus sit sacerdos *in æternum?* *Resp.* Hanc quæstionem haud parvi momenti expendiıus n. 285.

§ II

De Incarnatione Verbi propter salutem primi hominis, in statu innocentiæ adhuc degentis

243. — Scilicet, quæritur utrum de facto Adam etiam n statu innocentiæ, gratiam et omnia bona in ordine ad alutem ei concessa, ex merito Christi acceperit, et ideo ıtrum ad hoc Verbum caro factum sit. Quidam negant ontra alios, cum quibus sit

PROPOSITIO

244. — *Adam in statu innocentiæ gratiam et omnia bona in ordine ad salutem accepit per Christi meritum.* Ita communiter.

Prob, 1° *Script.* Nam Christus est « *primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso condita* sunt *universa* in cœlis et in terra... *omnia per ipsum* et *in ipso creata sunt,* et *omnia in ipso constant,* etc. » Illa verba, sicut infra probabitur, n. 247, dicta sunt de Christo ut homine; ergo ipse Adam per Christum et in Christo creatus est et in gratia conditus.

2° *Ration. theolog.* Christus, ut homo, dicitur caput super *omnem Ecclesiam;* Eph. 1, ℣ 22; et ideo « fuit *caput* omnium, qui *ab initio seculi* fuerunt *justi,* » ait S. August., *Serm.* 3 *in Ps.* 36; « fuit caput *omnium hominum* secundum *totum tempus mundi,* » inquit S. Th. 3 p., q. 8, a. 3; ergo fuit caput Adami etiam innocentis : porro ad rationem capitis in ordine supernaturali pertinet gratiæ influxus, n. 229, 233; ergo, ex virtute Christi, Adam innocens gratiam et omnia bona in ordine ad salutem consecutus est.

Et vero, ad honorem Christi interest, quod sit causa meritoria totius ordinis supernaturalis. Aliunde, ex statim dicendis, Christus fuit causa gratiæ pro Angelis, et ante omnes prædestinatus est, cæterique in honorem Christi ad gratiam prædestinati fuere; ergo Christus fuit causa gratiæ etiam pro statu innocentiæ.

245. — Hinc Christus fuit mediator et pontifex, non redemptionis quidem, sed *religionis* pro Adamo innocente, et consequenter pro toto genere humano, cujus protoparens tunc erat caput, vicesque gerebat; n. 235, 241.

§ III

De Incarnatione Verbi propter salutem Angelorum.

246. — Quæritur, scilicet, utrum Angeli omnia bona ad salutem sibi concessa, obtinuerint per Christi meritum; et ideo utrum ad hoc Verbum caro factum sit. Juxta plures, Christus Angelis non meruit gratiam et gloriam, sed gloriam tantum accidentalem seu quasdam illuminationes, ad circumstantias Incarnationis et Ecclesiæ præsertim attinentes; Eph. 4, ℣ 10. Alii vero sentiunt Angelos gratiam et gloriam per Christi meritum accepisse. Itaque

PROPOSITIO

247. — *Christus Angelis meruit omnia bona et auxilia eis in ordine ad salutem concessa.* Ita saltem probabilius.

Prob. 1° *Scrip.* Christus est « primogenitus omnis creaturæ : *quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis et in terra*, visibilia et invisibilia, sive *Throni*, sive *Dominationes*, sive *Principatus*, sive *Potestates : omnia per ipsum* et *in ipso* creata sunt; et ipse est *caput corporis Ecclesiæ*, qui est principium, primogenitus ex mortuis; *ut sit in omnibus ipse primatum tenens; quia in ipso* complacuit *omnem plenitudinem inhabitare*; » Coloss. 1, ℣ 15 et seq.

Unde sic : illa verba dicta sunt de Christo ut homine; Christus enim non est *primogenitus omnis creaturæ* et *ex mortuis*, nec *Ecclesiæ caput*, nisi ut homo; et revera ita illum textum intelligunt communiter SS. Patres et Theo-

logi, inter quos Hieron., Chrysost., Gregor. Naz., August., Anselm., Suarez, etc.; ergo Angeli in Christo et per Christum conditi sunt, et in Christo constant pro omni re, id est, pro natura, gratia et gloria, ita ut in Christo inhabitet omnis plenitudo meriti seu causalitatis.

Et vero, Christus est « *caput omnis Principatus*, et *Potestatis*, et *supra omnem Ecclesiam*, quæ est *corpus ipsius* et plenitudo ejus, *qui omnia in omnibus adimpletur* : » Coloss. 2, ỷ 10; Eph. 1, ỷ 22, 23 : ergo Christus, ut caput, influxum gratiæ habet in Angelos sicut et in homines, n. 229, 233, ita ut *omnia* etiam in Angelis *adimpleatur*. Similiter, ex eodem textu, Ecclesia angelica est corpus Christi : porro ex S. Paulo, Ecclesia talis non est, nisi quia ex Christo habet *charitatem* et augmentum ejus, Eph. 4, ỷ 15, 16 ; ergo charitatem viæ et patriæ Ecclesia angelica per Christum accepit.

2° *Traditione*. Certum videtur Angelos per Christum gloriam accepisse ; hoc enim sic expresse profitetur Ecclesia : *Per quem laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates ;* et aliunde de cœlo dicitur : « Civitas non eget sole... *lucerna ejus est Agnus ;* » Apoc. 21, ỷ 23 : porro, qui est causa finis seu gloriæ, est causa medii seu gratiæ, alioquin alius esset ordo in mediis, et alius in fine, sicque media non essent fini proportionata ; ergo Angeli, per meritorium Christi influxum, gratiam sicut et gloriam consecuti sunt.

« *Nullus* hominum, neque *Angelorum sanctus* est, nisi *per Christum ;* » S. Gregor. Papa, in lib. 2 Reg. c. 2, ỷ 2. — « *Nemo* invidebat illi (Virgini), quoniam ab ejus beneficiis *nullus* inveniebatur immunis ; fructus quippe *ventris ejus civitatem repleverat sanctitate ;* » S. Laurent. Justinian. — « *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*, scilicet, omnes apostoli, Patriarchæ, Prophetæ et Justi qui fuerunt, sunt et erunt, et etiam *omnes Angeli :* quia plenitudo gratiæ, quæ est in Christo, est *causa omnium gratiarum, quæ sunt in omnibus intellectualibus creaturis ;* » S. Th. *in Joan.* 1. Idem S. Doctor dicit Christum influere gratiam in omnia membra Ecclesiæ ; hanc vero Ecclesiam constare ex hominibus

et Angelis; 3 p., q. 8, a. 1, 4. « Dieu, en faveur de son Fils, créa les hommes et les Anges, qui furent destinés à former sa cour, *à partager ses grâces et sa gloire,* et à le louer éternellement. » S. Franciscus Salesius, *Traité de l'amour de Dieu,* lib. 2, c. 4 [1].

3° *Ration. et congruentiis.* 1 Ad honorem Christi pertinebat, ut per meritum esset causa omnium bonorum, quæ Deus omnibus creaturis et præsertim Angelis largitur, sicque tanquam Caput, Mediator, et supremus Pontifex super omnes creaturas emineret. Nec proinde minus ad honorem ipsorum Angelorum spectabat, ut per tantum mediatorem ex perfecto merito dona gratiæ et gloriæ obtinerent.

2. Juxta omnes, Angeli et homines unum sub Christo capite corpus efformant : atqui in uno corpore, quo major est connexio membrorum cum capite, eo perfectior evadit illius constitutio; ergo, ut perfecta sit Ecclesia, requiritur quod Angeli, sicut et homines, vitam et quemlibet spiritualem sensum a capite Christo recipiant.

3. Quod est supremum in uno genere, est causa cæterorum in eodem genere; « hæc est enim lex divinitatis immobiliter firmata, ut inferiora reducantur in Deum per superiora, » ait S. Dionysius : porro Christus supremus est in genere gratiæ; ergo est causa gratiæ etiam in Angelis. Aliunde Angeli in via habuerunt fidem in Christum, ex dictis in Tract. *de Angelis,* n. 39, 55; ergo per illam fidem sanctificati sunt.

248. — Hinc Christus fuit pro *Angelis mediator* et *Pontifex,* non quidem redemptionis, sed *religionis;* n. 235, 241.

Etenim nullus redimitur, nisi is qui sub peccato servit :

1. « Tous ceux qui invoquent Dieu comme il faut, l'invoquent au nom de ce ce grand Pontife, que Tertullien appelle fort bien *Catholicum Patris Sacerdotem* : « Le Pontife universel établi de Dieu pour offrir les vœux *de toutes les créatures.* » Non, ni les Patriarches, ni les Prophètes, ni les Apôtres, ni les Martyrs, ni les *Séraphins* mêmes, tous brillans d'intelligence, tous brûlans d'amour, ni la Reine de tous les Esprits bienheureux, ne peuvent aborder du trône de Dieu, *si Jésus ne les introduit.* » Bossuet, *Serm. sur l'Ascens. de Notre-Seigneur,* 2e p.

porro Angeli sancti nunquam peccaverunt; ergo Christus pro illis nec satisfecit, nec mortuus est, nec eos redemit. Cum tamen omnia bona gratiæ et gloriæ per Christum a Deo recipiant, Deoque per Christum omnia officia retribuant, Christus proinde dici debet Angelorum Mediator et Pontifex *religionis*, eorumque sanctificator, salvator et glorificator.

249. — *Obj.* Scriptura nunquam dicit Verbum carnem factum esse propter Angelorum salutem; ergo Christus nihil pro illis meruit.

Resp. Nego anteced. Ex dictis enim, Scriptura non subobscure docet Christum esse causam universalem gratiæ et gloriæ, *omnia per ipsum* et *in ipso esse et constare*, et ideo ipsos Angelos. Cum vero Scriptura ad nostram utilitatem exarata sit, necesse est quod frequentius et clarioribus verbis de meditationis Christi effectu, qui ad nos maxime attinet, loquatur, scilicet, de generis humani redemptione per Christum. Eadem ratione ipsi SS. Patres toti sunt in evolvendis Incarnationis rationibus ex hominum redemptione desumptis.

Sic ergo breviter expositis præcipuis mysterii Incarnationis rationibus nobis cognitis, ex iisdem sponte sequitur haud parvi momenti consectarium.

COROLLARIUM

250. — *Christus est causa meritoria, exemplaris et finalis totius ordinis supernaturalis, et consequenter etiam naturalis,*

1° *Ordinis supernaturalis.* Et quidem 1. causa *meritoria*. Ex dictis enim, omnia bona in ordine ad salutem hominibus et Angelis concessa, a Deo *per* Christum, ut supremum caput et ex se efficacem mediatorem atque pontificem, defluunt; ergo Christus est totius ordinis supernaturalis causa meritoria.

2. *Exemplaris* etiam, non quia indigeret Deus exemplari veluti extrinseco, quo in sua actione dirigeretur; sed quia, ex parte objectorum, voluit unum esse primum, ad cujus similitudinem alia formarentur.

Etenim effectus semper assimilatur causæ, membrum capiti, imperfectum perfecto : porro, ex dictis, Christus

est totius ordinis gratiæ causa, caput, omnisque plenitudo et ideo perfectio in eo inhabitat; ergo cætera omnia ejusdem ordinis ei assimilari debent.

Revera Deus « quos præscivit, et *prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui*, ut sit primogenitus in multis fratribus; » Rom. 8, ỳ 29 : porro illa dicta sunt de Christo ut homine, ut patet ex verbis, *primogenitus in multis fratribus*; et ita intelliguntur fere ab omnibus Patribus Græcis et Latinis, ait Suarez, *de Incarn.* disput. 5, sect. 2; ergo Deus omnes prædestinatos elegit, ut sint Christo homini conformes, sicuti primæ mensuræ et exemplari cæterorum; et hoc quidem ratione non solum animæ, sed etiam corporis, juxta illud : Christus *reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ;* » Philipp. 3, ỳ 21. Propterea Christus in omni re tanquam exemplar omnibus se præbuit.

3. *Finalis* tandem, eo sensu quod omne donum gratiæ et gloriæ hominibus et Angelis collatum, in Christi honorem et gloriam tanquam in finem proximum referri debeat.

Namque effectus ad causam per se refertur, membrum ad caput, imperfectum ad perfectum : porro Christus est causa, caput et exemplar totius ordinis supernaturalis; ergo hujusmodi ordo ad Christum proxime refertur.

Et vero, juxta Scripturam, ut vidimus, *omnia* sunt *propter* electos, electi autem *propter* Christum, et Christus propter Deum; omnia *in* Christo condita sunt et constant; omni benedictione spirituali Deus benedixit nos *in* Christo, et elegit nos *in* ipso ante mundi constitutionem : particulæ autem *propter* et *in*, finalem causam per se indicant. Propterea Christus dicitur *hæres universorum*, Hebr. 1, ỳ 2, scilicet, quatenus homo, cum ut Deus, non sit hæres, sed natura sua Dominus. « Justificationis causa *finalis* est *gloria* Dei et *Christi*, ac vita æterna, » ait Conc. Trid., sess. 6, c. 7. Aliunde hoc pertinet ad nominis exaltationem, quam meruit Christus, n. 226. Ergo Christus est causa meritoria, exemplaris et finalis totius ordinis supernaturalis.

2° *Et consequenter ordinis naturalis*. Omnia enim ad

aturalem ordinem spectantia, de facto propter ordinem upernaturalem condita sunt, illaque meruit Christus, . 223; ac proinde illius ordinis Christus est causa non olum meritoria, sed etiam exemplaris et finalis. Et revera, *Omnia per ipsum et in ipso creata sunt, et in ipso constant n cœlis et in terra, visibilia et invisibilia;* » Coloss. 1. ℣ 16.

Ergo *per ipsum* seu Christum, et *cum ipso*, et *in ipso* est Deo Patri omnipotenti *omnis honor et gloria*, ut in Missæ Canone profitetur Ecclesia; atque Christus est *in omnibus ipse primatum tenens*; Coloss. *ibid.*, et *instaurantur* (græce, *recapitulantur*) *omnia in Christo*, quæ *in cœlis*, et quæ *in terra* sunt, *in ipso;* Eph. 1, ℣ 10. Ideo ab illa causa ex animo in omni re semper dependere, illud exemplar indesinenter contemplari, et in hunc finem totaliter nosmetipsos perpetuo referre debemus. Vide Bossuet, 2° *Serm. pour la fête de tous les Saints.*

§ IV

De primaria Incarnationis ratione ex parte rerum creatarum.

131. — *Quæritur* quænam esse potuerit *primaria* ratio Incarnationis ex parte rerum creatarum?

Resp. Rationes, quæ divinam voluntatem ad decernendam Incarnationem movere potuerunt, desumuntur vel ex parte ipsius Dei, vel ex parte rerum ipsarum : porro, ex parte Dei, prima ratio, propter quam omnia operatur est bonitas et gloria sua; de hac ergo hic non agitur. Ex parte autem rerum ipsarum, quæritur utrum opus Incarnationis primo *per se* intentum fuerit a Deo in primo actu, quo voluit ad extra sese communicare, et ideo an Christus fuerit præordinatus ante omnen creaturam et prævisum peccatum; vel utrum Incarnatio statuta fuerit solum occasione lapsus hominis, ac proinde an Christus non fuerit prædestinatus nisi post prævisum et permissum peccatum. Circa hujusmodi quæstionem non consentiunt Theologi

Scilicet, 1., juxta plures, prima ratio et causa, qua Deus voluit Verbum incarnari, fuit hominum redemptio; ita ut, si homo non peccasset, Verbum non fuisset incarnatum; ita S. Th. 3. p., q. 1, a. 3.

2. Juxta alios, Deus primo voluit hoc mysterium propter se seu propter ejus excellentiam, et ad universi complementum; consequenter autem, et quasi oblata occasione peccati, voluit etiam illo uti in remedium peccati; et ideo etiamsi homo non peccasset, Verbum incarnatum fuisset: ita Scotus.

3. Tandem, juxta alios, Deus voluit illud mysterium primo propter ejus excellentiam, et secundo propter hominum redemptionem; ita tamen ut utrumque illud motivum, sigillatim sumptum, fuerit sufficiens, totale, adæquatum ad determinandam divinam voluntatem; ita Suarez, *de Incarn.* disput. 5, sect. 2, 4. Hæc sententia quasi media est inter duas priores, eamque, quoad mentem in sequentibus assertionibus amplectimur.

252. — I. Deus *primaria intentione,* qua voluit se ad extra communicare, *statuit Verbi incarnationem, ut Christus esset caput, exemplar et finis omnium divinorum operum sub ipso Deo.* Ita longe communius.

Prob. 1° *Script.* « Deus *possedit me in initio viarum suarum* (*creavit me initium viarum suarum*, ex versione LXX), *antequam quidquam faceret a principio;* » Prov. 8. ℣ 22, 23: porro illa verba de Sapientia incarnata exponunt fere omnes antiqui Patres Græci et Latini, inter quos, SS. Gregor. Naz.. Cyril. Alex., Athan., Chrisost., Damasc., August., Ambr., Hilar.; ergo Christus, ut homo, fuit initium viarum seu operum Dei ad extra : porro hoc non fuit Christus ratione temporis seu exsecutionis; ergo ratione intentionis, ita ut, consilio Dei ante omnes creaturas conditus fuerit.

Et revera, Christus est « *primogenitus omnis creaturæ,* quoniam *in ipso condita* sunt *universa in cœlis* et in *ipso constant... ut sit in omnibus ipse primatum tenens;* » Coloss. 1, ℣ 15, 16, 17. Illa verba dicta sunt de Christo homine, ut vidimus, 247; ergo Christus, non quidem exsecutione, sed intentione seu in consilio Dei, est *primogenitus omnis creaturæ,* est *ante omnes* in omnibus, et ideo *origine* et antiquitate *primatum tenet;* cætera vero omnia quæcunque *per ipsum* seu per ejus influxum, *in ipso* seu in ejus honorem

reata sunt, ideoque *in ipso constant,* sicut membra corporis in capite, lapides domus in fundamento.

2° *Ex SS. Patribus,* quorum plerique illam thesim propugnant, ut jam vidimus, n. 247. Insuper sic ratiocinatur S. Cyrillus contra Arianos, *Thesaur.* lib. 5, c. 3 : « Si, ut hæretici dicunt, *ut nos produceret* Deus, *Filium produxit,* erit ipse *propter nos factus, non nos propter ipsum;* cur ergo *nobis non aget gratia,* qui *propter nos* est? Erit etiam *ipse* sic *gloria nostra,* ut *femina viri;* non enim vir creatus est propter feminam, sed femina propter virum... Si *propter nos Filius* factus est, *primi nos* erimus apud Deum; sic enim Deus *nos primo, deinde Filium propter nos intendisse* videtur. » Porro hæc omnia censet S. Cyrillus absurda.
« La souveraine Providence, formant de toute éternité le dessein *de la création du monde,* a eu *premièrement en vue,* a voulu *singulièrement,* et aimé *par préférence,* et d'un amour incomparable, la plus aimable de ses productions, qui est le Sauveur des hommes... C'est ainsi que le Sauveur a tenu *le premier rang dans l'intention* de la Providence, et dans *le projet éternel de la création. C'est en considération de ce fruit si désirable,* que la vigne du grand Père de famille a été plantée, c'est-a-dire, que *l'univers a été créé.* » S. Franciscus Salesius, *Traité de l'amour de Dieu,* lib. 1, c. 5.

3° *Ration. theol.* 1. Positis pluribus objectis non in eodem gradu bonitate præstantibus, voluntas recta illud magis et ante cætera omnia vult atque diligit, quod præ cæteris bonitate præcellit : porro Incarnationis mysterium, respectu bonitatis et valoris, infinite superat cætera omnia Dei opera etiam collective sumpta; ergo fuit a Deo magis per se electum et amatum, quam Angeli et homines.

2. Juxta communem Theologorum sententiam, Deus decrevit Angelorum et hominum creationem, illosque ad gratiam et gloriam prædestinavit, ante permissionem alicujus peccati; ergo a fortiori, ante permissionem peccati, decrevit electionem et prædestinationem Christi; incredibile est enim Deum de membris prius statuisse, quam de capite.

253. — Hinc Verbum fuisset incarnatum, *etiamsi Adam non peccasset.* Ita saltem probabilius.

Nam, ex præcedenti assertione, ratio, quæ primo divinam voluntatem determinavit ad statuendum illud mysterium, fuit ipsius Incarnationis excellentia, et alia bona quæ ipsam per se consequuntur; ergo decretum de Incarnationis facto, necessariam connexionem cum futuro peccato non habuit.

Et vero 1., juxta S. August., *de Civit.* lib. 14, c. 23, et S. Th. 1 p., q. 98, a. 1, « absurdum est dicere, Adam non peccante, generationes hominum non fuisse futuras, et ideo peccatum necessarium fuisse, ex quo tantum bonum consequeretur; » ergo a fortiori absurdum est dicere peccatum fuisse occasionem existentiæ ipsius Christi. 2. Ex S. Th. *ibid.*, anima, propter suam immortalitatem, est a Deo per se intenta, et ideo idem animarum numerus fuisset, etiamsi Adam non peccasset; ergo a fortiori idem verum est de anima Christi per unionem hypostaticam in æternum deificata. 3. Tandem magis ostenditur charitas Dei ad homines, si humanæ naturæ exaltatio fuerit sufficiens motivum ad illud tantum bonum huic naturæ præstandum.

254. — II. *Prima* et *unica ratio,* propter quam Deus voluit Incarnationem Verbi fieri in carne *passibili*, fuit *hominum redemptio,* ac *remedium peccati.* Certum est.

Etenim, juxta S. Paulum, « quia *pueri* communicaverunt *carni* et *sanguini* (seu miseriis et mortalitati), et ipse *Christus participavit iisdem, ut per mortem destrueret eum,* qui mortis habebat imperium... et *debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret,* tentatus per omnia, *ut posset compati infirmitatibus nostris;* » Hebr. 2, ℣ 9, 14, 17; 4, ℣ 15; ergo Christus non fuit in statu infirmitatis, nisi ob redemptionem nostram. Et revera, *Deus mortem non fecit.* Sap. 1, ℣ 13, id est, mors a Deo non fuit per se intenta, sed solum occasione peccati introducta; ergo a fortiori non fuit a Deo per se intenta pro Christo.

255. — III. *Redemptio nostra* fuit *per se,* etsi secundario,

eterminans divinam voluntatem, ut statueret ipsum Incarnationis *factum*. Ita communiter.

Etenim Scriptura et SS. Patres quasi toti sunt in affeendo hominum Redemptionem tanquam ipsius Incarnaionis rationem : « Sic Deus *dilexit mundum*, ut *Filium uum* unigenitum *daret, ut* omnis qui credit in ipsum, *non ereat, sed habeat vitam æternam;* » Joan. 3, ℣ 16. *Qui ropter nos* et *propter nostram salutem descendit de cœlis :* orro, in his et similibus testimoniis, asseritur non aliuam tantum Incarnationis circumstantiam, sed ipsammet ncarnationem factam fuisse propter remedium peccati; rgo Redemptionis nostræ motivum fuit non solum adjuans, sed etiam per se determinans divinam voluntatem ad psum Incarnationis factum efficiendum.

Et vero, Deus, si voluisset innocentes homines sua Incarnatione honorare et ditare, non vero eosdem in peccaum lapsos illa Incarnatione redimere, non ostenderet se eccatores diligere, eorumve misereri; sed etiam minorem se habere ad peccatores charitatem probaret, si indigentiæ iumanæ motivum non fuisset ab ipso existimatum sufficiens ad hoc beneficium hominibus præstandum.

256. — Itaque 1., si motiva Incarnationis conferantur inter se, sub diverso respectu sese excedunt, et in utroque reperitur maximum quoddam amoris indicium. 2. Si vero sigillatim in seipsis considerentur, majus quidem est motivum excellentia ipsius mysterii et bonorum exinde per se consequentium, quam Redemptionis motivum. 3. Tandem, si motivum Redemptionis priori superaddatur, tunc Incarnatio est omni modo quam maxime perfecta; atque per eam attributorum Dei manifestatio fit consummata : porro talis est Incarnatio, quam de facto Deus voluit; ergo vere cum S. Augustino et Ecclesia conclamare possumus : *O certe necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte deletum est! O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem!*

§ V

De convenientia temporis adventus Christi.

Cum, ex dictis, Incarnatio Verbi sit unicum remedium generis humani post lapsum, convenientius videri posset illud adeo necessarium beneficium dilatum non fuisse per quatuor millia annorum, nec tam sero paratam fuisse medicinam. Attamen

237. — *Valde conveniens fuit hoc mysterium tot seculis dilatum esse.*

Etenim 1. longa exspectatione tanti operis, hujus excellentia longe magis apud homines commendabatur; et ideo « quanto major judex veniebat, tanto præconum series longior præcedere debebat; » S. August. *in Joan.* Tract. 31.

2. Tanta temporum successione, homines ad illud mysterium dispositi sunt directe et indirecte. *Directe* quidem: scilicet, prius per legem naturæ et generalem promissionem ac spem Mediatoris; postea vero per legem scriptam. et expressiores prophetias, atque cæremonias et sacrificia. quibus omnibus promittebatur et præfigurabatur Christus. *Indirecte* etiam, permittendo, ut ait S. Paulus, Rom. 11, ỳ 32; Galat. 3, ỳ 22, omnes fere homines sub peccato et incredulitate concludi, ut suam fragilitatem gratiæque necessitatem agnoscerent; et hoc modo humiliores facti, conclamarent ad medicum, et gratiæ quærerent auxilium; ita ut, dilato beneficio, et necessitate crescente, desideria Salvatoris crescerent, ac denique Salvator facilius crederetur, majorique affectu et veneratione susciperetur.

Et vero, si Christus in principio mundi venisset, tunc exiguus fuisset numerus hominum, quibus Christi Evangelium vel ab ipso, vel a Discipulis prædicari potuisset, et qui illam gratiæ abundantiam in ejus adventu communicatam recepissent; postea vero, quando genus humanum plenius fuisset propagatum, fide ejus jam obscurata, diminutoque fervore, pauciores homines Christi gratia et beneficiis fruerentur.

Similiter, si Incarnatio dilata fuisset usque ad finem

mundi, tunc mores essent omnino corrupti, fides ejus fere missa et spes quasi desperata: aliunde quibusnam tunc profuisset præsentia Christi; et pro quibus Sacramenta instituta fuissent? Ergo convenienter illud tantum *opus vivificatum est in medio annorum*, Habac. 3; id est, nec in principio, nec in fine temporis. Circa hanc quæstionem vide Thomassin, *de Adventu Christi*, c. 1.

258. — *Obj.* In Scriptura sæpe dicitur Messiam venturum esse in *plenitudine temporum, in novissimis diebus*; ergo tantum in fine mundi.

Resp. Nego conseq. Etenim, 1. plenitudo temporis nihil aliud est quam tempus præfinitum a Deo Patre, quando mitteret Filium suum, ut ait S. Paulus, Galat. 4, v. 4. — 2. Totum autem tempus novi Testamenti vocatur *tempus novissimum*, vel quia in hoc tempore data est lex gratiæ, quæ fuit ultima, post quam alia non speratur; vel quia in hoc tempore complentur omnes Prophetiæ; vel quia, distinguendo durationem mundi per ætates, hæc est ultima, eo quod non fit in ea notabilis mutatio, sed durat semper et duratura est eadem Ecclesia, idem modus regiminis in ea, et gratiæ communicatio.

CAPUT IV

DE MEDIO, QUO CHRISTUS FINEM INCARNATIONIS ASSECUTUS EST

259. — Ex dictis in capite præcedenti, omnia Christi munera contrahuntur in officio perfectissimi cultoris Dei Patris, n. 175, et Summi Pontificis pro omnibus creaturis, n. 138, 245, 248; medium igitur, quo finem Incarnationis, quantum in ipso fuit, assecutus est, nihil aliud est quam cultus seu sacrificium privatum et publicum, quod Deo Patri obtulit; cætera enim ad hoc sacrificium aliquo modo referuntur, ut ex sequentibus confirmabitur.

Itaque, in triplici articulo dicemus, 1° de Sacrificio in genere, 2° de Sacrificio Christi in terris peracto, 3° de Sacrificio Christi in cœlis consummato.

ARTICULUS PRIMUS

De sacrificio in genere.

Dicemus de notione, et speciebus sacrificii in genere.

§ I

De notione Sacrificii in genere.

260. — *Quæritur* 1° quid sit sacrificium quoad nomen et quoad rem?

Resp. Sacrificium, quoad nomen, tum hebraice, tum græce, venit a *mactare*, quia victima occiditur, vel etiam ab *exhalare*, quia fumus ex crematione victimæ exhalatur ascenditque ad Deum. Latine sacrificium idem est ac *sacrum facere, factiosacri, sacrificatio* (sacrifiement); et proinde designat proprie actionem, qua res aliqua fit sacra. S. Th. 2. 2, q. 85. a. 3, ad 3.

Quoad rem, sacrificium definitur : *Actio qua res aliqua offertur soli Deo, ad ejus in res creatas supremum dominium recognoscendum, pro aliqua societate, per aliquam rei oblatæ immutationem*,

Dicitur : 1° *actio;* sacrificium enim non in re, sed in actione quadam circa rem aliquam proprie et essentialiter consistit, juxta vim ipsius nominis, ut jam notatum est. Hujusmodi actio est sacrificii quasi *forma; materia* autem est res ipsa, circa quam versatur illa actio sacrificativa.

Dicitur 2° : qua *res aliqua;* quælibet enim actio versatur circa aliquam rem, quasi circa propriam materiam. Res autem seu materia sacrificii potest esse vel mere spiritualis, uti Angelus, anima, vel spiritualis et corporalis, qualis est homo, vel corporalis, puta animal, fructus terræ, vinum, etc. Attamen nullum esse potest sacrificium mere corporale, ut infra, n. 270.

Dicitur 3° : *offertur* seu datur, consecratur; quo indicatur respectus rei ad dominum; actio enim sacrificativa non fit nisi in recognitionem dominii in rem sacrificatam; unde sacrificare est offerre, seu sacrificium est oblatio quædam ex usu loquendi sive hominum, sive Dei ipsius

n Scriptura, juxta illud : « Omnis Pontifex... constituitur, it *offerat* dona et *sacrificia;* » Hebr. 5, ℣ 1.

Dicitur 4° : *Deo*, qui est sacrificii terminus; et exinde actio sacrificativa ad cultum Dei pertinet, atque est per se actus virtutis religionis.

Dicitur 5° : *ad ejus in res creatas supremum dominium recognoscendum;* quibus verbis indicatur sacrificii motivum seu finis generalis. Scilicet, actio sacrificativa aliquid in Deo, et aliquid in homine offerente significat : in Deo quidem significat dignitatem supremi Domini, ac proinde primi principii et finis ultimi omnium rerum, ac demum supremam excellentiam; in homine vero significat prædictæ excellentiæ ac potestatis recognitionem per intellectum, et eidem excellentiæ et potestati supremæ omnimodam subjectionem per voluntatem, juxta illud : *Tua sunt omnia, et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi;* I Paralip., 29, ℣ 14.

Quare, ex omnium consensu, sacrificium est supremus latriæ cultus, qui per antonomasiam nomine *adorationis* simpliciter dictæ significari solet; atque per se constituit præcipuum virtutis religionis actum; imo in se contrahit et quidem sub formą perfectiori, religionis summam, ob suum quadruplicem finem, ut infra, n. 271.

Unde etiam soli Deo offerri potest sacrificium; solus enim Deus est simpliciter adorandus, seu recognoscendus et colendus uti primum principium et finis ultimus omnium contingentium. « Quis sacrificandum censuit, nisi ei quem Deum scivit, aut putavit, aut finxit, » ait S. August., *de Civit.*, lib. 10, c. 4. « Solus Deus est creator animarum nostrarum, et in ipso solo animæ nostræ beatitudo consistit; ergo, sicut soli Deo summo debemus sacrificium spirituale offerre, ita etiam ipsi soli debemus offerre exteriora sacrificia. » S. Th. 2, 2, q. 85, a. 2. Sic in omni Statu princeps singulari aliquo signo honoratur, quod cives alteri deferre non possunt absque læsæ majestatis crimine. Et propterea dæmones omni tempore vehementer optarunt, ut homines sibi sacrificium offerant, ad divinum scilicet honorem usurpandum.

Dicitur 6° : *pro aliqua societate;* quibus significatur subjectum sacrificii proprie dicti, ejusque discrimen a sacrificio privato et improprie dicto. Hoc enim unusquisque proprio nomine et sua sponte Deo offert; ac de hoc agitur in his verbis, I Petr. 2 : « Et ipsi tanquam lapides superædificamini domus spiritnalis, *sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias*... Vos autem genus electum, *regale sacerdotium*, gens sancta... » *Fecisti nos regnum et sacerdotes;* Apoc. 5.

Sacrificium autem proprie dictum illud est, quod nomine totius populi Deo offertur, et ideo a ministro ad hoc per legitimam potestatem deputato, qui *sacerdos, pontifex* nuncupatur, juxta illud : « *Omnis pontifex* ex hominibus assumptus, *pro hominibus constituitur* in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et *sacrificia pro peccatis*... Et propterea debet sacerdos quemadmodum *pro populo*, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis. Nec *quisquam sumit sibi honorem*, sed *qui vocatur a Deo*, tanquam Aaron. Sic et Christus, etc. » Hebr. 5, ℣ 1-5.

Unde sacerdos dicit habitudinem ad sacrificium publicum, commune, publica et communi lege institutum, nomine totius populi oblatum, tanquam ad actum maxime proprium et quasi adæquatum; et licet sacerdos alias etiam functiones exerceat, omnes tamen quodammmodo ad sacrificium referuntur.

Confirmatur Traditione, universali ac perenni praxi. « Deus non accipit sacrificium, nisi a sacerdotibus, » ait S. Justin., *Dial. cum Tryph.* — « *Templum, sacrificium, sacerdos* sunt correlativa, juxta S. August., *Epist.* 49, q. 3; *de Civit.*, lib. 22. c. 10. — Ex Conc. Trid., sess. 23, c. 1, sacrificium et sacerdotium indivulsè conjuncta sunt, adeo ut sacrificium sit actus sacerdoti proprius; atque sacerdos propter sacrificium offerendum potissimum constituatur; ac proinde sacrificium proprie dictum illud est, quod offertur pro aliqua societate, in cujus nomine offert omnis sacerdos.

Quare in lege naturæ sacerdotes erant vel capita familiarum, uti Noe, Abraham, vel ii quibus Deus id inspirabat; et in lege nova, soli illi qui per sacramentum ordinis

ac characterem sacerdotalem in perpetuum ab Ecclesia sacerdotes constituuntur; Tract. *de Ordin.*, n. 17.

Dicitur 7° : *per aliquam rei oblatæ immutationem;* et in hoc præcise et formaliter consistit actio sacrificii constitutiva ; siquidem sacrificium fit in significationem et protestationem divinæ excellentiæ ac supremi dominii Dei : porro summa excellentia et supremum dominium Dei expresse recognoscitur et colitur, quando res aliqua ita Deo offertur, ut in ejus honorem immutetur aut consumatur, et, in quantum possibile, in nihilum redigatur; et hoc modo profiteatur homo se totum suum *esse* a Deo habere, proindeque Deo jus inesse, ut in ejus honorem et ad recognoscendum ejus supremum dominium, idem *esse* et eadem vita consumatur et destruatur, ac per odorem, dum comburitur, ad Deum totaliter ascendat, a quo descendit; n. 272-73. Propterea de sacrificii acceptatione ex parte Dei dicitur : « *Odoratusque* est Dominus odorem suavitatis; » Genes. 8, v. 20, 21. — « Si Dominus incitat te adversum me, *odoretur sacrificium*; » I Reg. 26, v. 19.

Quæ rei oblatæ immutatio, quatenus fit ex institutione divina, et ad divinam excellentiam significandam, dicitur *consecratio;* quia, ut talis, est quid sacrum; et per eam res oblata ab humanis usibus abstrahitur, Deoque dicatur, et in illius cultum transfertur et consumitur.

Exinde sacrificium differt a *simplici oblatione*. Scilicet, in simplici oblatione res Deo offertur per actionem simplicis *donationis*, non autem per actionem effectivam alicujus sacri circa rem illam, qua res hujusmodi immutetur, consumatur in honorem Dei; ita ut oblatio simplex per se non sit divini dominii protestatio, sed ex offerentis intentione tantum : sic dicuntur offerri denarii vel panes in altari, circa quos nihil fit, primitiæ, primogeniti in lege veteri, homo in professione religiosa. Propterea simplex oblatio vocatur *donum*.

In sacrificio autem, res non solum Deo offertur, sed offertur præcise per quamdam rei oblatæ immutationem et destructionem, in recognitionem supremi dominii Dei : sic oblatio agni per occisionem, oblatio panis per fractionem

Deo facta, erat sacrificium in veteri lege. Quare sacrificium non dicitur donum, sed *factio sacri*, *sacrificatio* : atque ideo omne sacrificium est oblatio, sed omnis oblatio non est sacrificium. S. Th. 2. 2, q. 85, a. 3, ad 3; q. 86, a. 1.

Utrumque in Scriptura distinguitur : *Sacrificium et oblationem noluisti;* Ps. 39, ℣ 7 : porro, « in his verbis, quidquid est extra sacrificium, oblatio appellatur, » ait S. Chrisost. *Homil.* 28. « Omnis Pontifex... constituitur... ut *offerat dona* et *sacrificia;* » Hebr. 5. — « Sacrificium est, quod *fit per aliquam mutationem ;* oblatio autem sine aliqua mutatione ; » Theophylactus, *in Hebr.* 8. — « Multa offeruntur Deo, *maxime* tamen *altaris oblatio* ; » S. August. *Epist.* 69. Attamen ipsum sacrificium nomine *oblationis*, et oblatio nomine *sacrificii* in Scripturis et Patribus sæpe designatur.

261. — *Quæritur* 2° an ad sacrificium requiratur altare vel templum?

Resp. affirmative. Quæ hactenus dicta sunt, ad ipsam sacrificii substantiam pertinent ; sed insuper aliquid aliud magis extrinsecum requiritur, scilicet, altare vel templum.

Sacrificium enim est actio sacra, publica et solemnis, ut modo dictum est ; et ideo oportuit certum et sacrum locum destinari, in quo et illa actio fieret, et res Deo oblata constitueretur, et offerretur : porro hujusmodi locus dicitur *altare*, *ara*, vel etiam *templum* seu amplior locus, qui et ipsum altare continet, et recipere potest eos, qui ad sacrificium conveniunt. Et revera, ex usu Scripturæ et omnium gentium, altare ad omnia sacrificia deputatum est, et quidem exclusive, ita ut ara nonnisi ad sacrificium construatur, sicut soli Deo offertur sacrificium.

§ II

De Sacrificii speciebus.

Variæ sunt sacrificii species, prout consideratur ex parte ordinis, materiæ, vel finis. Itaque.

269. — *Quæritur* 1° quotuplex sit sacrificium ex parte *ordinis?*

Resp. Duplex est sacrificium ex parte ordinis, scilicet, naturale vel supernaturale. Sacrificium *naturale* illud est, quod perficitur actu ope virium naturalium patrato, ad recognoscendum supremum Dei dominium in res omnes ordinis naturalis.

Supernaturale autem sacrificium illud est, quod perficitur actu in se aliquo modo supernaturali, atque ad recognoscendum Deum uti primum principium et finem ultimum ordinis non solum naturalis, sed etiam supernaturalis.

Jam vero, sub lege nova et apud Christianos, nullum exstat sacrificium ordinis mere naturalis, nec aliud est sacrificium ordinis supernaturalis, quam Christi sacrificium cruentum in cruce, incruentum vero sub speciebus panis et vini, aut gloriosum et æternum in cœlis. Solus enim Christus sub lege nova est sacerdos proprie dictus; et ideo solum sacrificium a Christo oblatum est sacrificium proprie dictum, ut probatum est, n. 230, 239, 240, et ex dicendis in Tract. *de Euchar.* n. 182.

270. — *Quæritur* 2° quotuplex esse possit sacrificium ex parte *materiæ?*

Resp. Ex parte materiæ sacrificium esse potest vel mere spirituale, vel spirituale simul et corporale, vel mere corporale, prout Deo offertur res mere spiritualis, uti Angelus, anima, vel res spiritualis simul et corporalis, qualis est homo, vel res corporalis tantum, puta fructus terræ, vinum, animal. Spirituale sacrificium vocatur etiam *internum, invisibile*; spirituale vero simul et corporale, dicitur quoque *internum* simul et *externum*; denique corporale sæpe nuncupatur *externum*.

At 1. de facto nunquam fuit sacerdos ex Angelis aut ex animabus assumptus ad sacrificium offerendum pro societate Angelorum vel animarum; et ideo nunquam de facto exstitit sacrificium proprie dictum mere internum. Propterea S. Paulus dicit, quod *omnis Pontifex ex hominibus assumitur*; Hebr. 5, ℣ 1.

2. Res corporalis seu externa, nec non ea quæ exterius perficiuntur in rebus corporalibus, valorem moralem non sortiuntur, nisi solummodo quatenus sunt signa quædam et expressio spiritualium seu moralium operum, quæ sola per se Deum honorificant, solaque ei per se placent, juxta illud : *Homo videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor;* I Reg. 16, ✝ 7. Revera, actio externa non est sacrificativa, nisi adsit interna intentio colendi et profitendi divinam excellentiam.

Proinde sacrificium internum seu spirituale, quod, nempe, actu voluntatis perficitur, est primarium sacrificii proprie dicti elementum ; externum vero sacrificium est elementum sacrificii proprie dicti secundarium, et ad internum elementum essentialiter relatum, uti ejus signum et expressio quædam ; et ideo sacrificium mere externum et corporale non est vere et proprie sacrificium. S. Th. 2. 2, q. 85, a. 2.

Unde, de facto, sacrificium proprie dictum est spirituale simul et corporale, seu internum simul et externum, sicut ipse Sacerdos, qui ex hominibus semper assumitur.

271. — *Quæritur* 3° quotuplex sit sacrificium ex parte *finis?*

Resp. Quadruplex distinguitur sacrificium ex parte finis, scilicet, latreuticum, eucharisticum, impetratorium et propitiatorium.

Per *latreuticum*, Deus actu *adorationis* recognoscitur uti creator seu primum omnis entis contingentis principium, eique tanquam fini ultimo totum illud ens retribuitur. Unde hujusmodi sacrificium cætera omnia implicite continet.

Per *eucharisticum*, Deus *actu gratiarum actionis* recognoscitur uti fons beneficiorum jam susceptorum; quæ hoc modo ad Deum tanquam suum ultimum finem ordinantur.

Per *impetratorium*, Deus *actu petitionis* recognoscitur tanquam fons beneficiorum, præter peccatorum remissionem, quibus indigemus, et quæ a Deo speramus et erogamus, ut ad Deum uti nostrum finem ultimum perveniamus.

Per *propitiatorium*, Deus *actu pœnitentiæ* agnoscitur uti

offensus per peccatum commissum, eique in compensationem talis injuriæ totum ens nostrum retribuitur. S. Th. 1, 2, q. 102, a. 3, ad 10.

Et vero, ad tria priora sacrificia reducuntur omnes species actuum, quibus creatura innocens Deum honorare atque seipsam sanctificare potest et debet; et ideo in illis tribus sacrificiis omnis Angelorum et Adami innocentis religio reponitur. Vide Tract. *de Revel.*, n. 28, 29.

In creatura autem culpabili, scilicet, in homine lapso, præter illam triplicem oblationis speciem, requiritur actus pœnitentiæ seu satisfactionis, et ideo sacrificium expiatorium seu propitiatorium.

Præfata divisio sumitur ex motivo virtutis, quatenus vel ad finem virtutis religionis, vel gratitudinis, vel pœnitentiæ proxime ordinatur actio sacrificativa; et ideo hæc omnia motiva ad idem reale sacrificium applicari possunt vel ex intentione proximi offerentis, vel etiam ex mente et voluntate primi instituentis.

272. — *Quæritur* 4° qualis sit rei oblatæ mutatio ad sacrificium spirituale seu internum necessaria?

Resp. Sacrificium internum seu spirituale, ex jam dictis, n. 271, perficitur actu adorationis, gratiarum actionis, petitionis, et pœnitentiæ, si adfuerit culpa. Porro, per actum *adorationis*, creatura totum suum ens Deo tradit, atque pro seipsa retinet merum nihilum, e quo educta est; ita ut, quantum in se est, in nihilum recidat, atque ideo per hujusmodi actum vere immutetur et quasi moraliter occidatur creatura intellectualis in honorem Dei.

Simili motu in Deum et in nihilum perficitur actus sive *gratiarum actionis*, sive *petitionis*.

Denique, per actum *pœnitentiæ*, creatura peccatrix totum suum ens Deo tradit, atque pro seipsa non solum nihilum retinet, sed et confitetur sibi, ratione culpæ, retribuendam esse æternam pœnam; et ideo talis actus satisfactionis perficitur mutatione aliquatenus *violenta* et *pœnali*, quæ et iram Dei per peccatum offensi, et æternum supplicium peccato debitum aliquo modo in mentem revocat.

273. — *Quæritur* 5° *qualis* esse debeat mutatio ad externum sacrificium necessaria?

Resp. Hoc moraliter æstimandum est; et in genere satis est dicere requiri actionem aliquo modo immutativam et consecrativam rei in honorem Dei oblatæ. Cæterum patet eo perfectiorem esse interni sacrificii expressionem, quo res sensibilis magis destruitur.

Unde, in statu naturæ lapsæ, ut expressius significaretur et ira Dei per peccatum provocata, et pœna ab homine culpabili promerita, et peccati destructio violenta per motum pœnitentiæ, animalia in sacrificium oblata, ordinarie occidebantur et totaliter vel partim saltem comburebantur, adeo ut *mactare* et *sacrificare* idem significarent atque animalia sic oblata *hostiæ* aut *victimæ* dicebantur [1]. Fructus terræ conburebantur aut mola conterebantur, ac propterea hujusmodi sacrificia nomine *immolationum* communiter designabantur. Demum liquores effundebantur, et idcirco eorum oblationes dictæ fuerunt *libamina*.

In veteri lege, anima in *latreuticum* sacrificium oblatum, per sanguinis effusionem occidebatur, totumque comburebatur; propterea hujusmodi sacrificium dicebatur *holocaustum*, seu *totum incensum*, vel *totum ascendens*. Sicut enim totum animal resolutum in vaporem et fumum, sursum ad Deum quasi ascendit, ita etiam significatur totum hominem et omnia quæ ipsius sunt, Dei dominio esse subjecta, eique offerenda.

Animal autem oblatum in sacrificium *eucharisticum* et *impetratorium*, post occisionem per sanguinis effusionem, partim igne, partim Sacerdotum, partim etiam ipsorum offerentium usu consumebatur, atque vocabatur *hostia pacifica*, aut *sacrificium laudis*.

Denique animal in sacrificium *propitiatorium* oblatum, post occisionem per sanguinis effusionem, partim igne

1. Animalia in honorem Dei occisa et oblata, *hostiæ* dicebantur, quia apud gentes in *ostio* templi mactabantur, vel quia offerri et mactari solebant, quando offerentes ad bellum contra *hostes* incedebant. Eadem animalia sic oblata, victimæ vocabantur; vel quia offerebantur pro *victoria* impetranda, aut in gratiarum actionem pro jam obtenta, vel quia animal vinctum ad sacrificium offerebatur.

consumebatur, partim reservabatur in usum Sacerdotum; et dicebatur *hostia pro peccato*.

Unde hostia pro peccato conveniebat statui pœnitentium seu incipientium in satisfactione peccatorum; hostia pacifica, statui proficientium in impletione mandatorum; et holocaustum, statui perfectorum in impletione consiliorum; hoc igitur sacrificium erat præcipuum et perfectissimum. S. Th. 1. 2, q. 102, a. 3, ad 8.

Præfata partitio, quæ potissimum habet locum in sacrificiis animalium, accommodari suo modo potest etiam ad ea, quæ erant ex fructibus vel liquoribus oblata; omnia enim aliquo ex prædictis modis consumebantur.

Circa notiones sacrificii, vide fusius S. Th. 1. 2, q. 102, a. 3; 2. 2, q. 85, 86; Suarez, *de Euchar.*, Disput. 75.

Sic expositis de sacrificii in genere notionibus, nunc facilius et brevius evolventur de solo vero et proprie dicto sacrificio in sequentibus tradenda.

ARTICULUS II

De sacrificio Christi in terris peracto.

275. — Duplex in Christo distingui potest sacrificium, internum et externum: prius est Christi *vita interior*; posterius autem est ejus *vita exterior*. Sed insuper internum Christi sacrificium duplex est, privatum et publicum seu sacrificium proprie dictum. Unde triplex erit propositio.

PROPOSITIO PRIMA

276. — *Christus, in via, pro semetipso interne obtulit Deo Patri sacrificium latreuticum, eucharisticum et impetratorium*. Certum est.

Prob. 1° *Scrip.* 1. Christus, dum inter homines conversaretur, de seipso dicebat: « *Meus cibus* est ut faciam *voluntatem* ejus, qui misit me... *Non quæro gloriam meam*, sed *honorifico Patrem*... *Quæ placita sunt ei, facio semper* » Joan. 4, ℣ 34; 8, ℣ 29, 49: porro, qui nihil ex seipso vult, nec aliquid pro semetipso quærit aut retinet, sed totaliter se omnemque gloriam voluntati et honori Dei Pa-

tris tradit, ille sine dubio seipsum et pro semetipso in sacrificium latreuticum offert.

2. Frequenter etiam in Scriptura legimus Christum pro seipso gratias egisse Deo Patri : *Pater, gratias ago tibi, quia audisti me;* Joan. 11, ✝ 41 ; Matth. 11, ✝ 25.

3. Tandem resurrectionem et gloriam corporis atque nominis sui claritatem sic petit Christus : *Pater clarifica Filium tuum;* Joan. 17, ✝ 1. « Qui *in diebus carnis suæ preces supplicationesque* ad eum, qui possit illum *salvum facere a morte,* cum clamore valido et lacrymis *offerens,* exauditus est pro sua reverentia ; » Hebr. 5, ✝ 7. Non petiit autem bona animæ, cum illa habuerit a primo instanti suæ conceptionis, et ideo ante quamlibet petitionem, n. 226, 227, 228. Ergo Christus, in via, pro seipso obtulit semetipsum in sacrificium latreuticum, eucharisticum et impetratorium.

2° *Ratione theol.* Ex dictis, n. 271, omnis creatura innocens per actum adorationis, gratiarum actionis et petitionis, Deo totum suum ens offerre et tradere debet, atque pro seipsa merum nihilum, e quo educta est, retinere : porro Christus, ut homo, est creatura et quidem innocens; ergo pro semetipso illum triplicem actum elicere debuit, ac proinde revera elicuit. Equidem Christus, propter dignitatem personæ, potuisset sine petitione quidquid voluisset, perficere. At nihilominus præordinavit Deus ipsum Christum gloriam corporis et nominis exaltationem sine petitione non esse consecuturum, ut et ipse orationis cultum divinitati præberet, atque melius servaretur ordo inferioris ad superiorem. S. Th., 3 p., q. 21, a. 3.

277. — *Quæritur* quænam fuerint sacrificii privati in Christo proprietates?

Resp. Privatum Christi sacrificium easdem habuit proprietates ac ejus intellectus et voluntatis exercitium ; ergo 1. quoad tempus, perduravit a primo instanti conceptionis, sine ulla interruptione, per totum viæ decursum, n. 113; — 2. quoad intensitatem actus et motivi perfectionem, a primo instanti fuit consummatum, longeque superavit re-

igionem Angelorum et hominum collective sumptorum, n. 137, 139, 213; — 3. quoad naturam, fuit supernaturale ex parte personæ, gratiæ sanctificantis et finis, n. 184, 203; 4. tandem, quoad valorem, fuit infiniti pretii. Ergo privatum Christi sacrificium omnimodam habuit perfectionem, atque eminenter comprehendit omnem religionem omnium quarumcunque creaturarum, in ordine naturali et supernaturali.

Quid mirum igitur, si Pater cœlestis singulariter sibi complaceat in anima Christi, atque in ea suaviter requiescat? « In Christo *virtutum* plenitudo est sine numero et sine modo. Sapientiæ ejus non est numerus, et justitia ejus sicut montes Dei, sicut montes æterni, et sanctitas singularis; » S. Bernard., *in Cantic.*, serm. 70. — « Nonne, Christe Jesu, tu amabilis et desiderabilis super omnia, quæ amari possunt et desiderari? » S. Anselm., *Meditat.* 13.

PROPOSITIO II

278. — *Christus, in via, Deo Patri obtulit sacrificium latreuticum, eucharisticum, impetratorium pro Angelis, pro Adamo innocente et hominibus lapsis, et etiam pro istis propitiatorium.*

Huic propositioni conveniunt diversi certitudinis gradus jam determinati, n. 200, 244, 247.

Etenim, ex dictis in capite præcedenti, Christus, in via, per sui oblationem Deo Patri, omnia bona ordinis supernaturalis et consequenter naturalis meruit pro Angelis et hominibus; ergo pro illis Christus seipsum interne obtulit in sacrificium proprie dictum, n. 269, ideoque pro Angelis et hominibus fuit Sacerdos et victima, n. 239.

Porro Angeli boni et Adam in statu innocentiæ, per triplicem actum adorationis, gratiarum actionis, et petitionis in ordine supernaturali ad Deum accedere, eumque colere debuerunt; ergo, ad merendum supernaturalem gratiam, qua Angeli et Adam tria illa officia adimpleverunt, atque ut esset in omnibus mediator efficax, Christus pro Angelis et Adamo innocente seipsum, in via, obtulit in sacrificium latreuticum, eucharisticum, et impetratorium.

Sed etiam pro hominibus lapsis Christus satisfecit, n. 190; ergo pro illis seipsum obtulit in sacrificium propitiatorium simul ac latreuticum, eucharisticum et impetratorium. Et revera, frequenter in Scriptura legimus Christum pro hominibus sese ad illum quadruplicem finem obtulisse Deo Patri; Joan., 4, ℣ 34; 17, ℣ 17, 20; Luc., 6, ℣ 12; 22. ℣ 42. Unde ipse dixit : *Pro eis ego sanctifico meipsum*, Joan. 17, ℣ 19; id est, pro eis in sacrificium meipsum offero, ut SS. Cyrill., Chrysost., Th. et omnes exponunt, ait Suarez, disput. 46, sect. 1.

Equidem Christus non seipsum physice occidit, nec aliquid sacrum circa se in ara crucis exercuit, sed ipse actus sacrificii interni ad sanctificationem societatis sive angelicæ, sive humanæ peregit; ipse ad hunc finem mortem suscepit, Deo obtulit, et ita ipse pie ac religiose immolabat, quem occidentes inique interficiebant. Suarez, *ibid.*; vide Tract. *de Euchar.*, n. 188, in fine.

279. — Hoc autem internum sacrificium sacerdotale fuit in Christo continuum per totum viæ decursum, et a primo instanti omnimodam habuit perfectionem, ut dictum est de ejus privato sacrificio, n. 277.

280. — Aliunde, Christus solus fuit a Deo constitutus Sacerdos in ordine supernaturali et consequenter naturali, suique oblatio fuit sola ex se efficax ad condigne merendum et satisfaciendum pro aliis, n. 240; ergo Christi oblatio pro Angelis et hominibus est solum sacrificium verum et proprie dictum Deo Patri oblatum; ac proinde cætera publica sacrificia vel pertinuerunt ad falsum cultum, vel fuerunt unius singularis a Christo pro omnibus oblati sacrificii figura tantum, et ad illud quædam præparatio. S. Th. 1, 2, q. 102, a. 3.

281. — Itaque Christus divinæ majestatis unicus et perfectus adorator atque cultor in omnibus existit; ipse, amore continuo infinitoque languens, invitat ad se creaturas omnes, dicens : *Magnificate Dominum mecum, et exaltemus no-*

nen ejus in idipsum, Ps. 33, ℣ 4; ipse sub omnibus creaturis latet, ut in eis omnibus modis laudet et glorificet Deum Patrem, qui per Christum et in Christo quasi in templo suo, omnia omnium creaturarum religionis officia recipit, atque in interioribus Filii sui omnis consummationis posuit finem : beatus vir qui sperat in eis!

PROPOSITIO III

282. — *Christus, in via, externum obtulit sacrificium proprie dictum.* De fide est.

Prob. 1° *Script.* Etenim, juxta S. Paulum, homines *sanctificati sunt* per *voluntatem* seu actionem, qua Christus, *ingrediens mundum, obtulit corpus suum semel;* et tamen *novum Testamentum* non fuit *confirmatum,* nisi *per mortem ejus Mediatoris*, ita ut Christus non introivit in cœlum, *æterna redemptione inventa,* nisi *per proprium sanguinem,* in quo et *nos* habemus fiduciam *in introitu Sanctorum;* Hebr., 9, ℣ 12, 15; 10, ℣ 5, 10, 19; ergo, ex divina præordinatione, Christus, ut omnes redemptionis nostræ conditiones adimpleret, atque integrum pretium persolveret, debuit omnes exterioris vitæ suæ actiones perficere; ac proinde tota vita Christi fuit veluti quoddam continuatum sacrificium internum et externum, quod in utero B. Virginis inchoatum est, et in cruce exterius consummatum; Suarez, *de Incarn.*, disput. 47, sect. 1. Quare, « cum accepisset Jesus acetum, dixit: *Consummatum* est. Et inclinato capite, tradidit spiritum; » Joan., 19, ℣ 30.

2° *Traditione.* SS. Patres et Ecclesia omni modo et occasione loquuntur de sanctissimo Christi sacrificio in ara crucis peracto, ut æternam illic redemptionem operaretur hominum Salvator: vide Conc. Trid., sess. 22, c. 1 : porro sacrificium crucis non fuit nisi redemptionis nostræ consummatio; ergo illud externum sacrificium, sicut et opus nostræ redemptionis, jam antea fuerat inchoatum.

3° *Ration. theol.* 1. Tota interior vita Christi fuit sacrificium proprie dictum, n. 279; ergo tota ejus exterior vita, in suis modificationibus et actionibus, non potuit esse nisi illius vitæ interioris manifestatio seu sacrificium externum.

2. Ex dictis, n. 207, ut homines salutem consequantur, necesse est et ipsos fieri interni sacrificii Christi consortes et assidue cooperatores; et ideo illud perfecte et sat facile cognoscere debent : porro, ad hujusmodi cognitionem, moraliter saltem insufficiens erat illius sacrificii manifestatio per solum verbum seu prædicationem, ut patet paululum recogitanti tum adeo altam mentis humanæ cæcitatem præsertim de rebus divinis, tum etiam altiorem cordis humani corruptionem, et, tempore adventus Christi, universalem vitiorum exundationem.

Et vero, ipse Christus, per trium annorum magisterium etiam continuo miraculorum splendore commendatum, paucissimos sibi paravit discipulos, et ii etiam, post hoc omnino divinum tyrocinium, permanserant fide infirmi, ab altitudine virtutum evangelicarum plurimum deficientes, atque animi constantia destituti. Ergo interni sacrificii manifestatio per solum verbum erat moraliter insufficiens; ac proinde Christus, ut quantum in ipso erat, opus nostræ redemptionis consummaret, debuit vitam suam interiorem præ oculis omnium hominum per visibile exemplum seu sacrificium externum subjicere, et hoc medio illos in amorem invisibilium rapere. Unde

283. — *Quæritur* quale revera fuerit externum Christi sacrificium?

Resp. Illud sacrificium fuit in se perfectissimum, fini Incarnationis maxime accommodatum, et ex se efficacissimum.

Equidem 1° *in se perfectissimum*. Etenim externum sacrificium præcipue consistit in actione immutativa et consecrativa rei Deo oblatæ, n. 270, 273 : porro, ut alias exterioris vitæ Christi circumstantias hic prætereamus, immutatio et Deo consecratio Christi hominis, in hac vita, fuit ex omni parte consummata per ejus passionem et mortem, mortem autem crucis. Propterea externum Christi sacrificium dicitur *sacrificium crucis* simpliciter; consummatio enim supponit et eminenter continet omnia quæ illam præcedunt, eamque præparant. Eadem ratione crux fuit *altare* ejusdem sacrificii, mundus autem *templum*.

2° *Fini Incarnationis maxime acommodatum*. Namque homines lapsi, ex una parte, interiori vitæ Christi cooperari et salutem consequi non possunt, nisi Deo offerendo atque sacrificando et animam, et corpus, et bona externa, per humilitatem, mortificationem et voluntariam paupertatem; ex altera parte, ab hoc triplici sacrificio maxime removentur effrenata triplici concupiscentia superbiæ, voluptatis et cupiditatis: porro Christus, ut esset nobis exemplum, cum ingenti gaudio voluit et animam suam oblivione atque opprobriis saturari, et corpus suum in infirmitate conteri, et omni re externa destitui ipsisque vestimentis spoliari; ergo omnibus omnium virtutum præbuit consummatum exemplum; ac proinde ejus externum sacrificium fuit Incarnationis fini seu hominum saluti maxime accommodatum. Unde ipse dixit : « *Et ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum*. Hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus. » Joan. 12, ℣ 32, 33.

3. *Ex se efficacissimum*. Etenim unaquæque actio externa vitæ Christi fuit, non solum lucidissimum ejus vitæ interioris speculum et perfectissimum exemplar, sed etiam exemplar *per se efficax*, quatenus Christus, per hujusmodi actionem cum interno sacrificio conjunctam, nobis obtinuit vim perficiendi actum ejusdem naturæ, ita ut omnes ejus actus et status sint quasi totidem sacramenta, quibus propriam gratiam alligavit. Quare illi actus et status dicuntur *mysteria*, seu rei invisibilis signa et quidem efficacia; vide Catech. Rom. 1ª p., a. 6, n. 10.

Tandem Christus, non solum exemplo perfecto, sed etiam *verbo*, quam maxime elementitio et omnium captui obvio, eamdem interiorem vitam manifestavit.

284. — Attamen ipse Christus non poterat ab omnibus hominibus videri et audiri, nec in cruce pendere usque ad finem mundi; ergo quasi incarnatus est in Ecclesia universali et perpetua, cujus visibili ministerio et exemplo docet, ut dictum est in Tract. *de Eccles.*, sese in terris in sacrificium incruente offert, atque per sacramenta gratiam confert, ab ortu solis usque ad occasum, omnibus diebus,

usque ad consummationem seculi, ut dicetur in Tract de *Sacramentis*.

Sic igitur omni modo, quantum in ipso fuit, consummata *per seipsum* in hac vita redemptione nostra, Christus assumptus est in cœlum.

ARTICULUS III

De sacrificio Christi in cœlo consummato.

Non desunt etiam inter christianos, qui dum confitentur Christum esse sacerdotem in æternum, simul difficile agnoscunt Christum in cœlo offerre verum ac proprie dictum sacrificium. Hic igitur hujusmodi sacrificii existentiam et naturam exponere ac statuere nobis superest.

PROPOSITIO

285. — *Christus est sacerdos et hostia in æternum.* Certum est.

Constat 1° *Script.* Dicitur enim : « Juravit Dominus, et non pœnitebit eum : *Tu es sacerdos in æternum*, secundum ordinem Melchisedech ; » Ps. 109. Porro ipse Christus de seipso illa verba interpretatur, Matth. 12, ℣ 42-45, et idem exponit S. Paulus, Hebr. 5, ℣ 5, 6.

Sed etiam S. Paulus, *ibid.* 7, ℣ 17, 21, 24-28 ; 8, ℣ 1-6, rem totam sic dilucide proponit : « Et alii quidem *plures* facti sunt *sacerdotes*, idcirco quod *morte prohiberentur permanere*. Hic autem *eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. Unde* et *salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis*. Talem habemus *Pontificem qui consedit in dextera sedis* magnitudinis *in cœlis, sanctorum minister* et *tabernaculi veri*, quod fixit *Dominus*, et non homo. *Omnis enim Pontifex* ad *offerendum* munera et *hostias constituitur : unde necesse est et hunc habere aliquid quod offerat*. Si ergo esset *super terram, nec esset sacerdos*, cum essent qui offerrent. »

Unde sic : in his verbis tria manifeste et iteratim declarantur, scilicet, 1. Christum in cœlo esse sacerdotem, pontificem ; 2. esse in cœlo Pontificem in æternum, sempi-

ernum habere sacerdotium, quia manet in æternum, quia morte non prohibetur permanere; 3. Christum in æternum offerre, quia est pontifex in æternum, nec est pontifex nisi ad offerendum; quia revera Christus in cœlis semper vivet ad *interpellandum* pro nobis, in perpetuum salvat accedentes *per semetipsum* ad Deum : porro talia nihil aliud exprimunt quam dignitatem perpetuam sacerdotii, ac ejusdem perpetuum exercitium per æternam Christi mediationem, interpellationem et suiipsius oblationem in ministerium sanctorum; ergo Christus est sacerdos et hostia in æternum.

Insuper dicitur : « Vidi... in medio throni et seniorum, *Agnum stantem, tanquam occisum*... Civitas non eget sole; *lucerna ejus est Agnus*... *templum* non vidi in ea; *Dominus* enim *templum illius est*; » Apoc. 5, ℣ 6; 21, ℣ 22. 23 : porro in his Christus in cœlo exhibetur uti Agnus tanquam occisus seu victima, uti stans in medio throni seu ut vivens et Pontifex; uti causa claritatis in electos irradiantis, in quo est effectus ejus perpetui sacerdotii; ac demum ipse Deus omnipotens est illius perpetui sacrificii *templum*, quia Unigenitus Filius est in *sinu Patris*, Joan. 1, ℣ 18; ergo Christus in cœlo est sacerdos et hostia in æternum.

2° *Traditione*. « In hoc sensu prædictos textus exponunt omnes Patres supra citati, » ait Suarez, *de Incarn.*, disput. 46, sect. 4. Porro illi Patres a Suarezio citati, sunt S. Chrysost., Theodoret., S. Ambros., S. August., S. Isidor., Cassiodor., etc.

Ipsa Ecclesia in officio *de Euchar.* canit : *Sacerdos in æternum Christus Dominus secundum ordinem Melchisedech*, panem et vinum obtulit. » Imo ipsa Ecclesia nobis exhibet illius perpetui sacerdotii exercitium, dum in canone Missæ perpetuam Christi mediationem his verbis celebrat : *Per quem laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates... Per ipsum, cum ipso* et *in ipso* est tibi Deo Patri omnipotenti *omnis honor et gloria*. »

Equidem Christus non est in æternum sacerdos *redemptionis*, nempe, satisfaciendo pro peccatis. « Non enim habet necessitatem *quotidie hostias offerre pro delictis populi :* hoc

fecit *semel* seipsum offerendo; et ***unam pro peccatis offerens hostiam, consummavit in æternum sanctificatos.*** » Hebr. 7. ℣ 27; 9. ℣ 12, 14. At semper remanet sacerdos *religionis*, ut expresse asseritur in textibus jam allatis sive Scripturæ, sive SS. Patrum, sive Ecclesiæ.

« Christus est sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. et hoc est de fide (divina), inquit Suarez quatenus sacrificium Melchisedech præfiguravit ***sacrificium*** Christi eo ***modo, quo in æternum erat duraturum***, quia etiam in Ecclesia triumphante ***officium sacerdotis exercebit*** per modum gratiarum actionis, per æternam commemorationem, per internum affectum in divinum cultum, per satisfactionem pro susceptis beneficiis. Talis enim actus est valde perfectus, nec pendet ex temporis successione, nec aliquam imperfectionem supponit, quæ perfectissimo ac perpetuo statui beatitudinis repugnet. » ***De Incarn.***, disp. 45, sect. 4.

Æternum Christi sacrificium in cœlo mirabili doctrina et eloquentia exponit Bossuet, *Serm. sur l'Ascension de J.-C.*

3° *Ration. theol.* 1. Juxta omnes, Christus in æternum retinet Pontificis dignitatem, ut expresse docet S. Paulus, ac declarat Conc. Trid., Tract. *de Euchar.*, n. 138, 139, 188 : atqui non est pontifex nisi ad offerendum hostias, ut non minus expresse docet S. Paulus in textibus modo relatis ; atque « *sacrificium* et *sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta sunt*, ut utrumque in omni lege exstiterit, » ait Conc. Trid., sess. 23, c. 1 ; nec profecto ad Christi gloriam pertinet, ut in æternum maneat pontifex de jure, non de facto, sacerdos sine sacrificio, Mediator sine mediationis actu ; sed, e contra, perpetuitas sacrificii Christi pro Ecclesia triumphante supramodum extollit dignitatem et gloriam sive ipsius Christi, sive illius triumphantis Ecclesiæ, ut per se patet ; ergo Christus est in æternum sacerdos et hostia religionis.

2. Christus fuit victima et sacerdos pro statu gratiæ : atqui, ex dictis in Tract. *de Gratia*, n. 87, 68, gratia et gloria ad eumdem ordinem pertinent, atque gratia se ha-

bet at gloriam sicut medium ad finem, initium ad consummationem, ita ut gloria contineat ac perficiat quidquid perfectionis inest gratiæ, sicut finis continet et consummat quidquid perfectionis est in medio ; ergo Christus est etiam hostia et sacerdos pro statu gloriæ, sed sub ritu incruento ac perfectissimo[1].

3. Ex dictis in Tract. *de Euchar.*, n. 182, 187, 188, in Missa offertur verum ac proprie dictum sacrificium ; hujus sacrificii essentia in ipsa consecratione est reponenda ; ac in eodem sacrificio ipse Christus est hostia et offerens, sicut in crucis sacrificio : porro hæc consistere non possunt, nisi Christus sit perenniter in cœlo hostia et sacerdos.

Etenim, in sacrificio Missæ, sacerdos minister nihil aliud perficit pro consecratione quam transsubstantiationem, per verborum consecrationis prolationem : atqui, ex dictis in Tract. *de Euchar.*, n. 53, per transsubstantiationem, nullomodo *in se* afficitur aut *immutatur* Christus, ut constituatur victima ; aliunde, si per actum sacerdotis-ministri reipsa in se immutaretur Christus, ac constitueretur victima, eo ipso talis minister esset sacerdos principalis, nec Christus esset ipse offerens sicut in cruce, ut declarat Conc. Trid., quod addit *aliqualem* tantum potestatem consecrandi et *offerendi* habere sacerdotem-ministrum, Tract. *de Euchar.*, n. 188. Ergo Christus est in æternum hostia et Sacerdos religionis[2]. Hæc confirmantur et evolvuntur in

1. « C'est une proposition étrange à la plupart du monde, de dire que dans le ciel il y ait un sacrifice. Je parle pour le commun des peuples ; car, pour les autres, qui savent en quoi consiste la Religion et son premier devoir, qui est le sacrifice, ils ne doutent pas qu'il n'y ait un sacrifice au ciel, qui est le lieu de la parfaite religion et du souverain culte, que l'on peut rendre à Dieu. C'est là proprement que le sacrifice se doit offrir, et s'y offrir incessamment, à cause que la religion n'y saurait être interrompue. Et pour cela, Notre-Seigneur, fait Prêtre selon l'ordre de Melchisedech pour toute l'éternité a été établi de Dieu son Père, pour lui offrir le sacrifice à jamais ; si bien que Notre-Seigneur est le Prêtre de ce saint sacrifice, où il s'offre lui-même et son Eglise, en holocauste à Dieu, en odeur de suavité. » D. Olier, *Explic. des Cérém. de la Messe. Préface.*

2. « Jésus vivant éternellement, dit l'Apôtre, a un sacerdoce éternel ; c'est pourquoi, dit le même saint Paul, il peut toujours sauver ceux qui s'approchent de Dieu par lui ; il est toujours vivant pour intercéder, *Semper vivens ad interpellandum pro nobis*... Poser devant Dieu le corps et le sang dans lesquels étaient

subsequentibus circa mirabilem illius perennis sacrific
naturam.

286. — *Quæritur* 1° in quonam consistat intern
Christi sacrificium in cœlo oblatum?

Resp. 1. Christus in cœlo pro seipso, pro Angelis, Beatis et pro hominibus in via peregrinantibus, semetipsum offert in sacrificium *latreuticum* et *eucharisticum*. Etenim omnis creatura, præsertim quando in gloria consummata est, Deum colere potest ac debet actu adorationis et gratiarum actionis; ergo Christus illo duplici actu seipsum pro semetipso offert Deo Patri in cœlo. Angeli autem, Beati, et homines in terra degentes, Deum non *adorant* nec *laudant* nisi per Christum, ut dictum est, n. 242; ergo pro illis Christus in cœlo seipsum offert in sacrificium latreuticum et eucharisticum.

2. Insuper, pro hominibus adhuc in via peregrinantibus, Christus in cœlo seipsum offert in sacrificium aliquo modo *propitiatorium* et *impetratorium*. Et quidem *propitiatorium*, eo sensu, non quod hactenus pro peccatis hominum satisfaciat, n. 215, sed quod offerat suas satisfactiones, in via consummatas, ut earum applicationem per realem peccatorum remissionem in via consequamur, juxta illud

changés le pain et le vin, c'était en effet les lui offrir; *c'était imiter sur la terre ce que Jésus-Christ fait dans le ciel, lorsqu'il y paraît pour nous devant son Père,* comme dit saint Paul...

« Les cieux s'ouvrent : je perce au-dedans du voile; j'entre dans le sanctuaire éternel, et j'y vois avec saint Jean devant le trône, *l'Agneau comme tué,* et autour les vingt-quatre vieillards vénérables. C'est ce que je vois dans le ciel, c'est ce que je vois dans la terre. Là Jésus comme mort, comme tué, avec les cicatrices de ses plaies, au milieu des Saints : ici le même Jésus encore comme tué, et revêtu des signes sacrés de la mort violente qu'il a soufferte, environné de part et d'autre de l'assemblée de ses prêtres. Que nous dit saint Paul de ce Jésus *considéré dans le ciel? Qu'il paraît pour nous devant la face de Dieu;* qu'il est dans le ciel toujours vivant, *afin d'intercéder pour nous;* qu'il intercède pour nous par sa présence. Et que dirons-nous, à son exemple, de ce Jésus posé sur le saint autel? sinon que sa seule présence, et la représentation de sa mort, est une *intercession perpétuelle* pour le genre humain, » Bossuet, *Serm. sur l'Ascens. de J.-C.*, 1er point, in fine; *Explicat. de quelques difficul. sur les prières de la Messe,* n° 8; *Médit. sur l'Evang.*, 59e jour.

Christus *per proprium sanguinem* introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa, *ut appareat nunc vultui Dei pro nobis;* » Hebr. 9, ℣ 12, 24.

Sed etiam *impetratorium*. Nam « Jesus Christus, *qui est ad dexteram Dei, interpellat pro nobis*... quia sempiternum habet sacerdotium ; » Rom. 8, ℣ 34 ; Hebr. 7, ℣ 24, 25 ; atque ideo in cœlis ipse est *advocatus noster;* I Joan. 2, ℣ 1.

287. — At non consentiunt auctores circa naturam hujusce impetrationis. Juxta plures, oratio Christi in cœlo est tantum interpretativa, eo sensu, scilicet, quod ejus merita semper sunt præsentia Patri, eumque sic inducunt ad concedendas gratias. Juxta alios autem, Christus in cœlo orat per proprium actum desiderando et petendo a Patre, ut sua merita nobis applicentur.

Hæc posterior sententia Scripturis et pietati magis consentanea videtur, ait Suarez, *de Incarn.* disput. 45, sect. 2. — « Christus in cœlo interpellat pro nobis primo humanitatem suam, quam pro nobis assumpsit, repræsentando ; item sanctissimæ animæ suæ *desiderium*, quod de salute nostra habuit, *exprimendo ;* » S. Th. *in Hebr.* 7. Et vero, ad Pontificem pertinet pro suis subditis orare : atqui oratio nullam includit imperfectionem beatitudini Christi repugnantem. Aliunde, per Christum habemus accessum ad Patrem, Rom. 5, ℣ 2, non solum quia in nomine ipsius petimus, sed etiam quia per ipsum nostras orationes offerimus, et ipse, ut exaudiantur, obtinet, juxta illud : « Christus *semper agit causas nostras apud Patrem,* cujus *postulatio* contemni non potest, quia in dextera Dei est. » S. Amb. *in Rom.* 8.

288. — *Quæritur* 2° in quonam consistat *externum* Christi sacrificium in cœlo ?

Resp. Externum Christi sacrificium in cœlo est ipsamet incruenta continuatio sacrificii crucis. Etenim corpus Christi in cœlo eumdem statum retinet, quem post resurrectionem habuit : porro Christus redivivus Discipulis apparuit

cum corpore cicatricibus clavorum signato et cum aperto latere, Joan. 20, ỳ 27 ; ergo, in cœlo, internum Christi sacrificium manifestatur per ipsam immutationem externam sacrificii crucis, absque sanguinis effusione, quæ est essentialiter transitoria, nec ad verum sacrificium necessaria, n. 273 ; ac proinde externum Christi sacrificium in cœlo est ipsamet incruenta sacrificii crucis continuatio. Et revera, S. Joannes vidit in medio throni Dei *stantem Agnum tanquam occisum ;* Apoc. 5, ỳ 6 : non occisum autem et ideo ejus oblatio est incruenta ; tanquam occisum autem ac proinde Agnus in cœlo exterius retinet modum oblationis per crucis mortem consummatæ.

289. — *Quæritur* 3° quodnam sit in cœlo altare et templum sacrificii a Christo oblati ?

Resp. Altare illius sacrificii est ipsamet persona Verbi in qua, sicut in ara, perpetuo amore ad Dei gloriam humanitas Christi consumitur. De hoc altari loquitur Ecclesia, dicens : « Supplices te rogamus, omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui, *in sublime altare* tuum. » Templum autem est ipse Deus, juxta illud : « *Templum* non vidi in ea : *Dominus enim Deus omnipotens templum illius est ;* » Apoc. 21, ỳ 22. Et revera, *Unigenitus Filius est in sinu Patris ;* Joan. 1, ỳ 18.

Hæc omnia in veteri lege figurabantur per partem templi, quæ vocabatur *Sancta Sanctorum*. Nam, in hac templi parte, semel in anno solus Pontifex, non absque sanguine, quem in atrio effuderat pro suis et populi peccatis, introibat : porro Christus, post cruentum sacrificium pro peccatis generis humani in atrio seu in hoc mundo oblatum, per proprium sanguinem introivit in Sancta, æterna redemptione inventa ; Hebr. 9, ỳ 7. 9, 11, 12.

Insuper, in eadem parte templi erat arca deaurata, et in arca servabantur urna aurea habens *manna*, *virga* Aaron, quæ fronduerat, et *tabulæ* Testamenti *apertæ ;* Hebr. 9, ỳ 4 : porro arca in cœlo est ipse Dei sinus, in quo Christus est manna seu *panis Angelorum*, tabula legis aperta, seu civitatis cœlestis *lucerna*, Apoc. 21, ỳ 22, et etiam *virga*

ıcerdotalis seu sacerdos et victima, quæ sacrificio cruento ıit mortua, sed quæ in incruentum et æternum sacerdoıum fronduit.

290. — *Quæritur* 4° an Christus sit Sacerdos in æternum *ecundum ordinem Melchisedech?*

Resp. affirmative, et certum est. Per *ordinem,* hic intelligitur *ritus* seu *figura;* et ideo Christus est Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech ejus superexcellens Sacerdotium, quale revera se habet in æternum, adumbravit, scilicet, quoad nomen, originem et æternitatem, excellentiam, naturam et effectus.

Et quidem 1. quoad *nomem.* Etenim Melchisedech idem est ac *Rex justitiæ,* atque fuit etiam *Rex salem,* seu *Rex pacis;* Hebr. 7, ỳ 2 : porro Christus est verus justitiæ rex tum essentialiter ut Deus, tum secundario ut homo, quia *judicabit populum suum in justitia;* Ps. 71. Similiter Christus est vera pax nostra, pacificans per sanguinem suum quæ in cœlis et quæ in terra sunt; Coloss. 1, ỳ 20; et etiam Rex cœlestis Jerusalem, ubi est vera pax; Ps. 147.

2. Quoad *originem* et *æternitatem.* Melchisedech a Scriptura introducitur sine matre, sine genealogia; neque initium dierum, neque finem vitæ habens; Hebr. 7, ỳ 3 : porro Christus, ut homo, est sine patre, ut Deus, sine matre, nullusque ei successit in Sacerdotium, quod manet in æternum.

3. Quoad *excellentiam* respectu Sacerdotii Levitici. Nam Abraham et ideo Levi benedictus est a Melchisedech tanquam a superiori, eique ut superiori decimas obtulit. Hebr. 7, ỳ 7, 8 : porró Sacerdotium Leviticum fuit a Sacerdotio Christi quoad significationem adimpletum et in se abrogatum, et ideo illo excellentius est Christi Sacerdotium.

4. Quoad *naturam.* Melchisedech Deo obtulit incruentum sacrificium panis et vini, quod speciem separationis corporis a sanguine præ se gerebat : porro Christus in æternum seipsum offert incruente, sub expressione tamen separationis corporis a sanguine in cruce consummatæ. Eadem ratione, sacrificium Melchisedech adumbravit sacri-

ficium Christi sub specie panis et vini, ut dicetur in Tract. *de Euchar.*, n. 187.

3. Tandem quoad *effectus*. Etenim Melchisedech, per sacrificium panis et vini, Deo gratias egit de reportata victoria, et milites via fessos recreavit : porro Christus per incruentum et æternum sacrificium jam non satisfacit, sed Deo gratias agit de reportata victoria, Sanctosque via fessos æterna gloriæ fruitione recreat. Itaque Sacerdotium Melchisedech perfecte adumbravit æternum Christi Sacerdotium, et ideo Christus dicitur Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

291. — *Quæritur* 5° an Christus non *sit*, sed *fuerit* Sacerdos *secundum ordinem Aaron?*

Resp. affirmative. Etenim sacerdotium Aaron 1. ab isto per generationem accipiebatur, atque constituebatur cæremoniis in lege veteri statutis ; 2. circa cruenta sacrificia præcipue exercebatur ; 3. ideo erat secundum statum vitæ passibilis, et consequenter in se imperfectum et transitorium ; 4. per sanguinem emundabat ab immunditiis legalibus : porro Christus nec fuit de stirpe Aaron, Hebr. 7, ỳ 14, nec cæremoniis veteris legis Sacerdos constitutus, nec habet Sacerdotium temporale, nec cruentum in æternum, nec solum a peccatis emundans ; ergo non est Sacerdos secundum ordinem Aaron.

Attamen Christus, in via, obtulit sacrificium cruentum et secundum statum vitæ passibilis, et sub hoc modo transitorium, quod nos in via a peccatis emundat : ergo, sub illis respectibus, Christus *in via fuit* præfiguratus a Sacerdotio Aaron : sed jam *est* in æternum et in splendoribus Sanctorum Sacerdos secundum ordinem Melchisedech ; Ps. 109. Suarez, *de Incarn.*, disp. 46, sect. 4, in fine.

CAPUT V

DE CONSECTARIIS INCARNATIONIS

292. — Post evoluta in præcedentibus capitibus, inquirendum superest Incarnationis consectaria circa cultum

Christo debitum; circa Matrem ejus B. Virginem Mariam; circa ejus membra quæ in cœlis regnant.

De cæteris Incarnationis effectibus agitur in Tractatibus *de Gratia et gloria*, atque *de Sacramentis*.

Itaque, in quatuor articulis dicemus de notione cultus, de cultu ipsius Christi, ejus SS. Cordis et Crucis : et duplex erit appendix circa B. Virginem Mariam, et cultum Sanctorum.

ARTICULUS PRIMUS

De notione cultus in genere.

293. — *Quæritur* quid sit cultus in genere, et quotuplex?

Resp. Cultus, in genere, definiri potest : *Actus quo aliquem veneramur propter ejus excellentiam*. Duplex vulgo distinguitur : alter nimirum *Latriæ*, qui est honor supremus Deo soli debitus, in summæ illius majestatis summique in omnia dominii testimonium; alter *Duliæ*, qui est honor servis Dei redditus propter *supernaturales* dotes, quas Deus ipsis largiri dignatus est. Ille etiam duplex est : communis, qui Sanctis defertur, et *Duliæ* nomen retinet; specialis, qui, licet in eodem sit genere, superioris tamen est ordinis, propter specialem illius, cui rependitur, excellentiam, et dicitur cultus *Hyperduliæ*; talis est cultus qui B. Virgini exhibetur propter eximiam maternitatis divinæ dignitatem, et specialia quæ inde in eam derivata sunt, dona.

Cultus etiam divitur in *absolutum* et *relativum*. *Absolutus* ille est, quo colitur aliquis propter excellentiam sibi propriam et inhærentem. *Relativus* exhibetur alicui propter excellentiam alterius, ad quem specialem relationem habet : talis est cultus qui redditur Jesu quinque plagis, cruci, etc., Sanctorum imaginibus. Hæc et alia similia *specialiter* non coluntur nisi ob eorum symbolicam significationem, ut infra exponitur.

ARTICULUS II

De cultu Christi.

Negarunt Christum hominem esse adorandum illi omnes, qui unionem hypostaticam Verbi cum natura humana

rejiciunt, n. 52 et seq. Contra autem sit sequens propositio, quæ nihil aliud est quam immediatum ipsius unionis hypostaticæ consectarium.

PROPOSITIO

294. — *Christus, ut homo, est adorandus, seu humana Christi natura, quatenus hypostatice Verbo conjuncta, una et eadem adoratione est colenda.* De fide est.

Prob. 1° *Script.* « Christus factus est obediens usque ad mortem... *propter quod* et Deus exaltavit illum... *ut in nomine Jesu omne genu flectatur,* cœlestium, terrestrium et infernorum ; » Philip. 2, ℣ 8, 10. — « Et cum iterum introducit Primogenitum *in orbem terræ,* dicit : *Et adorent eum omnes Angeli* Dei ; » Hebr. 1, ℣ 6. — « Dignus est Agnus, *qui occisus est,* accipere virtutem et *divinitatem*... et honorem, et gloriam et benedictionem ; » Apoc. 5, ℣ 12. Illa verba commentario non indigent.

2° *Traditione.* « Rem creatam non adoramus, sed rerum creatarum *Dominum, carnem factum, Dei Verbum adoramus*... Neque vero hujusmodi *corpus a Verbo dividentes adoramus ;* neque, cum Verbum volumus adorare, *ipsum a carne removemus ;* » S. Chrysost. *Epist. ad Delphium.* — « Si quis una adoratione Deum Verbum incarnatum *cum ejus carne non adorat,* anathema sit ; » ita Conc. Lateran. I. Idem definivit Conc. general. VI, VII, et Trident. sess. 13, can. 6. Aliunde constant universalis et constanti Ecclesiæ praxi.

3° *Ratione.* Honor proprie exhibetur personæ seu toti subsistenti ; non enim dicimus manum hominis aut pedem honorari, sed hominem : atqui natura humana in Christo constituit unum totum subsistens idemque esse personale cum Verbo ; ergo una cum Verbo terminat eamdem, quæ ipsi defertur, adorationem latriæ. Et vero, quando adoratur persona, eadem simul adoratione adorantur omnia, quæ sunt in illa ut aliquid ejus.

295. — Hinc personalitas Christi adoratur *in se, et propter se ;* humanitas autem non *in se,* sed *propter personam*

Verbi, in qua subsistit et ad quam tota refertur; ita ut, in actu adorationis, personalitas Verbi se habeat ut objectum *primarium*, formale simul et materiale; humanitas vero ut objectum *secundarium*, et materiale tantum : « Adoratur enim caro Christi in incarnato Verbo Deo, *non propter seipsam*, sed *propter unitum*, secundum hypostasim, *Verbum Dei*; » S. Damasc. *De Fide*, lib. 4, c. 3. Ideo humanitas Christi separata a Verbo, non est ita cultu latriæ adorabilis; sola enim unio cum Verbo est causa et ratio adorationis, quæ sacræ humanitati Christi debetur.

ARTICULUS II

De cultu SS. Cordis Christi.

296. — Plurimis abhinc annis, in Ecclesia specialiter tribuitur SS. Cordi Jesu Christi adorationis cultus, Jansenistæ autem et præsertim Synodus Pistoriensis, 1786, hujusmodi cultum impugnarunt ut novum, erroneum aut saltem perniciosum. Cujus Synodi actus, et speciatim propositiones ad præsentem quæstionem attinentes, damnavit Pius VI, Bulla *Auctorem fidei*, 1794.

Hodierni vero increduli eumdem cultum uti supertitiosum perhibent. Hic igitur exponendam ac probandam habemus genuinam rationem illius cultus, ejusque legitimitatem ac utilitatem.

297. — *Quæritur* in quonam consistat cultus SS. Cordis Jesu.

Resp. Cultus ille consistit *in adoratione cordis personæ Verbi incarnati, quatenus symbolum immensæ charitatis effusique amoris divini Redemptoris nostri, quo vehementer incitamur ad meditationem ac venerationem illius immensæ charitatis.*

Dicitur 1° : *in adoratione cordis personæ Verbi incarnati*; tale est objectum cultus, de quo disserimus; et ideo cor illud non adoratur in se, seu uti sejunctum a persona Verbi, sed tanquam pars individui, cujus subsistentia est ipsum Verbum incarnatum.

Dicitur 2° : *quatenus symbolum immensæ charitatis effusique amoris Redemptoris nostri;* in his designatur motivum seu ratio, qua *speciali* cultu colitur cor Christi, potiusquam quælibet alia pars ejusdem corporis. « Nunquam propterea, ait P. Perrone, *de Incarn.*, p. 2, c. 4, prop. 2, in hoc cultu objectum a motivo separari aut dispesci debet, ut plenus ille habeatur. Exurgit enim hic cultus ex utroque objecto, *materiali*, ut vocant, et *formali* simul sumptis, seu colitur cor Jesu *in se,* ac prout est *amoris symbolum.* Cor enim verum et reale seu physicum est subjectum ejusdem symboli, quod quidem symbolum sine ipso vero corde concipi nequit. Objectum vero formale, seu motivum rationem suppeditat quare cor potius, quam aliud corporis Christi membrum a fidelibus colatur et honoretur, seu cur fideles dirigant *speciali* modo cultum suum ad cor, quatenus in ejusdem Christi corpore reperitur seu in totalitate cum cæteris partibus coexistit, et in persona Verbi existit. »

Dicitur 3° : *quo vehementer incitamur ad meditationem et venerationem illius immensæ charitatis*, quibus indicatur duplex actus, quibus finaliter perficitur ille cultus, nempe, ex parte intellectus meditatio, et ex parte voluntatis veneratio immensæ charitatis effusique amoris divini Redemptoris nostri sub incitatione illius cordis, quatenus est talis charitatis symbolica imago[1].

Jam vero præfata notio cultus erga SS. Cor Jesu plane constat ex Rescripto S. Pontificis et ex decis. S. Congr. Rit. Videlicet, Pius VI, in Litt. ad Episc. Prato-Pistoriensem, Scipionem Ricci, 30 jan. 1791, sic loquitur : *Substantia* devotionis SS. Cordis Jesu spectat ut, *in symbolica cordis imagine, immensam charitatem effusumque amorem divini Redemptoris nostri meditemur atque veneremur.* »

Similiter S. Cong. Rit., 21 apr. 1821, hæc declaravit : « Festum SS. Cordis Jesu non versatur circa peculiare mysterium, cujus specialis solemnis commemoratio facta non fuerit in statutis ab Ecclesia diebus; sed est veluti *compen-*

1 : Ex decisione S. Congr. Rit., 29 apr. 1875, appellatio *misericors cor Jesu* non est admittenda, sed servanda est appellatio communis, nempe *Sacratissimum cor.*

dium aliarum festivitatum, in quibus diversa celebrantur mysteria, et *memoria recolitur immensæ illius charitatis*, qua Verbum caro factum est pro nostra redemptione et salute, Sacramentum altaris instituit, peccata nostra portavit, seseque divino Patri in cruce moriens, obtulit hostiam, et sacrificium. » Vide Gardellini, t. 3, n. 4379.

Revera, Ecclesia, ut innuitur in illa S. Congr. Rit. declaratione, in specialibus festis illis, quæ ad specialem aliquam Christi corporis partem referuntur, mysticam quamdam significationem spectat, potissimum quæ specialem afferat in eo cultu recordationem mysterii cujuspiam, aut insignis cujusdam beneficii Redemptionis. Vide Tract. *de Præcept. Eccl.*, n. 3; P. Perrone, *ibid.*

Et exinde intelligitur cur Ecclesia similiter colat Christi sanguinem in cruce effusum, quinque ejus plagas, coronam spineam, sacram sindonem, etc.; cur etiam dici nequeat tot inducendos esse speciales cultus, quot vel minimæ partes in corpore Christi distingui possunt, v. g., capilli, dentes, aures, etc.

Cæterum, ut notetur contra Jansenistarum aut incredulorum calumnias, Cor Christi non est adorabile haud secus ac quælibet alia pars corporis Christi, nisi quatenus pars corporis Verbo hypostatice uniti; ita ut in adoratione illi parti, sicut ipsi corpori, exhibita, adoratur proprie ipsa Verbi persona, et ideo totus Christus, cujus alia non est persona quam Verbum.

Quare propositio 63 Synodi Pistoriensis, eo quod innuat SS. Cor Christi à fidelibus adorari uti separatum a corpore aut præcisum a persona Verbi, damnata est in Bulla *Auctorem fidei* ut « *captiosa*, et in fideles Cordis Christi cultores *injuriosa*[1]; dum illud adorant *ut est Cor Jesu*, Cor nempe *personæ Verbi, cui inseparabiliter unitum est.* »

1. *Injuriosa* quidem, quatenus cultores Cordis Jesu generatim arguit, quasi non advertant nec partem ullam humanitatis, nec totam ipsam humanitatem cum separatione aut præcisione a persona Verbi adorari posse. *Captiosa* autem, quatenus per illam reprehensionem innuit fideles induci posse, ut existiment Cor Jesu revera adorari cum illa separatione aut præcisione a Verbi persona.

Sic ex omni parte determinata notione cultus SS. Cordis Jesu, sit

PROPOSITIO

298. — *Cultus SS. Cordis Jesu pius est, ab omni superstitionis labe immunis, et valde utilis.* Certum est.

Prob. 1° *auctoritate et praxi Ecclesiæ.* Etenim Pius VI, in præfata Bulla, sic damnat doctrinam Synodi Pistoriensis : « Doctrina, quæ devotionem erga SS. Cor Jesu rejicit inter devotiones, quas notat (Synodus) velut *novas, erroneas,* aut *saltem periculosas,* intellecta de hac devotione, qualis est ab Apostolica Sede probata, *falsa* est, *temeraria, piarum aurium offensiva, in Apostolicam Sedem injuriosa.* »

Insuper, ab anno 1686, quo festum SS. Cordis Jesu celebrari cœpit, plurimi Episcopi in omnibus orbis catholici partibus, illud celebrari aut permiserunt, aut etiam jusserunt. Anno autem 1765, Clemens XIII, Ecclesiis Poloniæ aliisque id postulantibus hoc festum celebrare concessit. Eodem anno, ad instantiam piæ Gallorum Reginæ, Clerus gallicanus festum illud in qualibet diœcesi instituendum decrevit. Anno 1766, Clemens XIII, idem festum in omnibus Romæ Ecclesiis instituit, et ubique celebrari permisit; atque 23 aug. 1856, jussu Pii IX, S. Congr. Rit. idem festum *in* universali Ecclesia celebrandum præscripsit. Tandem innumeris prope spiritualibus privilegiis et indulgentiis auctus est et cumulatus ille cultus a SS. Pontificibus.

Porro cultus approbatus universalique Ecclesiæ impositus a S. Sede, non solum pius est et ab omni superstitionis labe immunis, sed etiam valde utilis, ex dictis in Tract. *de Ecclesia*, n. 178. 185, et in Tract. *de Locis Theol.*, n. 39, 40.

2° *Ration. theol.* Pius est et ab omni superstitionis labe immunis, atque valde utilis est ille cultus, qui sanctus est et omnimodo congruentissimus in suo objecto : atqui talis est cultus, de quo agitur; ergo, etc.

Prob. minor. Ex dictis n. 297, objectum illius cultus est immensa Jesu Redemptoris charitas quatenus expressa per symbolicam Cordis Jesu imaginem : atqui 1. immensa Christi Redemporis charitas seu ipsemet Christus nos per

divinum Redemptionis opus infinite diligens, est sane cultus objectum sanctum et congruentissimum; ergo, ex hac parte, talis est cultus, de quo agitur.

2. Nec minus hoc verum est ex parte ipsius Cordis Christi, si sumatur uti symbolica illius immensæ charitatis imago. Namque homo, cum sit corpore simul et anima constitutus, assurgit ad spiritualia per corporalia, quatenus ista sunt spiritualium symbola et signa quædam, ut dictum est in Tract. *de Deo*, n. 32.

Atqui, ex communi omnium sensu, ex recepto ac universali loquendi usu, in sexcentis Scripturæ locis consecrato, cor materiale in homine est amoris ab ejus anima eliciti symbolum præ cæteris connaturale ac signum aptissimum.

Ergo cor materiale Christi, quatenus ejus immensæ charitatis symbolica imago, est per se quam maxime efficax ad excitandas mentes nostras, ut meditentur et venerentur immensam illam Christi Redemptoris charitatem; ac proinde ex hac etiam parte, sanctus est et omnimodo congruentissimus ille cultus; et ideo pius, ab omni superstitionis labe immunis, et valde utilis.

Revera, per illud sacratissimum immensæ charitatis Christi Redemptoris symbolum, jam a pluribus seculis, et præsertim recentioribus temporibus, ferventius incalescunt fideles tum ad recolendam Christi morientis passionem, tum ad rependendum eidem Christo adeo debitum amorem gratique animi sensum, tum ad reparandas injurias Christo illatas, speciatim in SS. Eucharistiæ sacramento, atque circa omnia hujusmodi inducta sunt multiplicia fervoris externa exercitia [1].

Ex his omnibus patet cultum hujusmodi, quoad rem, semper fuisse in Ecclesia. Namque inter priorum seculorum

1. Inter hujusmodi exercitia recensentur l'*Archiconfrérie du Sacré-Cœur*, centre d'action auquel viennent chaque jour s'agréger de nombreuses paroisses, congrégations ou œuvres; la *Sainte-Ligue du Vœu national*, qui compte déjà 400,000 communions annuelles; l'*Adoration diurne*, la *Garde d'honneur*, la *Sainte Agonie*, l'*Heure-Sainte*, la *Communion réparatrice*, l'*Archiconfrérie réparatrice des blasphèmes*, l'*Archiconfrérie de saint Jean l'Evangéliste*, le *Rosaire vivant*, l'*Apostolat de la prière*, la *Confrérie de l'Union réparatrice*, etc., etc.

Sanctos et Scriptores multi inveniuntur, qui sub symbolica Cordis Christi imagine designant ac colunt amorem immensum Domini, ac principia, ex quibus procedit hic amor, atque, inter illos præclaros sanctos, citari possunt SS. Augustinus, Bernardus, Bonaventura, Petrus Damianus, Thomas a Villanova, Franciscus Salesius, et SS. Virgines Mechtildis, Gertrudis, Lutgardis, Clara, Catharina Senensis, Theresia, S. Fremiot de Chantal.

Cur autem nostris temporibus in Ecclesia sua propagari ac florere voluerit Deus hujusmodi erga sacrum Cor Jesu cultum, ipse novit, « qui multo magis, quam homo, noscit quid *cuique tempori accommodate adhibeatur*, quid quando impertiat, addat, auferat, augeat, minuatve...; qui solus novit *congruentem suis temporibus generi humano exhibere medicinam.* » S. August., *Epist. ad Marcellin.*, 138, n. 5. lib. 1, *de Serm. Domini in monte.*

« Auctor fidei nostræ et consummator Jesus nihil potius habuit, quam ut flammam charitatis, qua Cor ejus urebatur, in hominum animis modis omnibus excitaret, quemadmodum suis asseruisse discipulis novimus ex Evangelio : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur?* Hunc vero charitatis ignem ut magis incenderet, SS. sui Cordis venerationem cultumque institui in Ecclesia voluit ac promoveri. » Ita in Brevi Pontificio Beatificationis B. Margaritæ Mariæ.

Nota. — Ex decis. S. Congr. Indul., 12 jan. 1878, Redemptoris imaginibus in quibus SS. Cordis imago *exterius* non apparet, applicari nequit concessio indulgentiæ septem annorum totidemque quadragenarum a Pio VI facta, pro qualibet oratione effusa coram imagine aliqua SS. Cordis Jesu publicæ venerationi exposita. Insuper, ex decis. S. Congr. Rit., 12 maii 1877, inconsulta Sede Apostolica, publicæ venerationi exponi non possunt simulacra D. N. J. C. suum Cor sacratissimum monstrantis B. Margaritæ Alacoque, ad ejus pedes provolutæ.

299. — *Quæritur* 1° sub quotuplici respectu cor materiale in homine, ac ideo in Christo, sit symbolica imago seu signum amoris ab anima eliciti?

Resp. Sub duplici respectu, scilicet, ratione similitudi-
; operationum, et ratione sympathiæ seu correlationis
'ectuum.

Et quidem 1. *ratione similitudinis operationum.* Etenim
ta quælibet est in motu quodam procedente ab aliquo
incipio intrinseco; sic. v. g., vivunt plantæ, quia ex se
ıbent motum augmenti et generationis; vivunt animalia,
ıia ex se habent motum augmenti, generationis et trans-
tionis; S. Th., 1 p. q. 18, a. 1, 2 : atqui, ex una parte,
ıimæ vita est in amore seu in motu ad bonum, qui a vo-
ntate procedit; et ideo voluntas est intrinsecum princi-
um vitæ animæ, atque cæterarum animæ facultatum re-
na; S. Th., 1, 2, q. 9, a. 1; q. 16, a. 1; vide Tract. *de
ct. hum.*, n. 4; ex alia vero parte, vita corporis est in
ınguinis motu, qui a propulsione cordis materialis proce-
it, ita ut cor sit intrinsecum principium animalis motus
ɔu vitæ corporis, atque rex totius organismi humani;
. Th., 1, 2, q. 17, a. 9, ad 2, 3; q. 37, a. 2; q. 38,
. 5[1]. Ergo inter voluntatis operationem et operationem
ɔrdis existit omnimoda connaturalis similitudo, ratione
ujus et cor istud fit perfecta imago voluntatis diligentis
eu amoris, et ipsa voluntas diligens dicitur *cor* in sensu
aetaphorico, juxta illud : « Diliges Dominum tuum ex *toto
orde.* » Matth. 10, ŷ 37[2].

2. *Ratione sympathiæ* seu *correlationis effectuum.* Etenim,
ıuod in anima emotionem injucundam causat atque per se

1. « Le cœur lance le sang dans le poumon, qu'il détermine ainsi à agir.
.'acte de combustion, qui constitue la respiration, éveille à son tour une autre
onction destinée à fournir les matériaux de cette combustion : c'est la sécrétion
lu sucre dans le foie aux dépens du fluide alimentaire, amené dans cette glande
ıar le porte-veine, et dont les reins éliminent les résidus. Il y a donc action du
œur sur le poumon, réaction du poumon sur le foie, réaction du foie sur les
eins. C'est du cœur que part tout ce mouvement; et c'est ainsi le cœur qui est
le *principe de la vie.* » Claude Bernard, *Leçons au Collège de France,* t. 7, n. 88.

2. « Dilectio est actus voluntatis, quæ hic significatur per *cor.* Nam, sicut
cor corporale est principium omnium corporalium motuum; ita etiam voluntas
est principium omnium spiritualium motuum, et maxime quantum ad inten-
tionem finis, quia est objectum charitatis. Præcipitur ergo nobis, ut tota nostra
intentio feratur in Deum, quod est *ex toto corde.* » S. Th. 2. 2, q. 44, a. 5.

voluntatis motum retardat, nempe, tristitia, simul retardat motum cordis, qui etiam eodem instanti injucundam experitur impressionem. Similiter, quod in anima jucundam emotionem causat atque per se incitat voluntatis motum, nempe gaudium, simul incitat motum cordis, qui etiam eodem instanti jucunda afficitur impressione.

Vice versa, quæ cordi reddunt debitum seu connaturalem motum, causant simul delectationem, per quam excitatur voluntatis motus; similiter, quæ plus minusve impediunt connaturalem cordis motum, causant simul dolorem, per quem excitatur voluntas ad suum motum seu amorem retardandum. S. Th. 1. 2, q. 37, a. 2, 3, 4; q. 38, a. 5[1]. Ergo inter motum voluntatis et cordis motum existit correlatio, ratione cujus et cor fit expressio et symbolum affectionum voluntatis, et voluntas dicitur *cor*, sicut causa denominatur ab effectu, et vice versa, juxta illud : « Discite a me quia *mitis* sum et *humilis corde*; » Matth. 11, v. 29.

300. — *Quæritur* 2° an præfata correlatio inter voluntatis motum et motum cordis sit immediata, ita ut nullum aliud interponatur organum ad illam correlationem producendam?

Resp. Tres sunt opiniones circa hujusmodi quæstionem.

1. « Lorsqu'on dit que le cœur est *brisé de douleur*, il se passe, en effet, dans cet organe des phénomènes très réels. Le cœur s'est arrêté, si l'impression douloureuse a été trop soudaine; et il en résulte une syncope avec les crises nerveuses, qui en sont la conséquence. Quand, après avoir eprouvé de longues angoisses, on dit qu'on a le cœur *gros*, cela répond encore à des conditions physiologiques particulières; ces impressions douloureuses prolongées font éprouver dans toute la région précordiale un sentiment de plénitude ou de resserrement.

« Les impressions agréables répondent aussi à des états déterminés du cœur. Le sentiment commence à se manifester par un léger arrêt du cœur; aiguillonné par l'impression nerveuse, le cœur réagit aussitôt; les palpitations qui l'animent le font bondir dans la poitrine et augmentent beaucoup la quantité du sang envoyée au cerveau. *L'amour qui fait palpiter le cœur* n'est donc pas seulement une forme poétique : c'est aussi une réalité physiologique. » Claude Bernard, *Conférence sur le cœur*. — « Toute impression, toute sensation un peu vive retentit sur le cœur, dont elle change et le rhythme et l'énergie contractile. » Magendie, *Leçons sur les phénomènes physiques de la vie*, t. 3, p. 159.

scilicet, juxta alios, prædicta effectuum correlatio est immediata : id est, voluntas seu anima immediate utitur corde tanquam organo seu instrumento ad producendas impressiones affectivas, quarum igitur cor est naturalis *sedes;* atque cor immediate producit in anima sensationes affectivas, quæ determinant affectiones spirituales, quarum proinde cor est comprincipium sensibile; simili prorsus modo ac intellectus utitur cerebro tanquam organo ad cogitationem; ac cerebrum est cogitationum sedes et comprincipium sensibile. » Ita veteres philosophi, qui sentiunt animam esse quasi diffusam per totum corpus, atque immediate agere in unaquaque corporis parte.

Juxta alios, præfata correlatio fit mediantibus nervis illis, qui sunt impressionum organa propria, et præsertim mediante nervo vulgo dictum *le grand sympathique.* Ita quidam recentiores in scientia physiologiæ parum versati.

Tandem alii affirmant prædictam correlationem fieri mediante cerebro, ita ut affectus in animæ et influxus nervosi commotione positi, in cerebro formentur, et postea ad cor ipsum per nervos diffundantur; sicque cerebrum sit pro anima proprium organum ad producendas impressiones affectivas, harumque sedes naturalis, sive comprincipium affectionum interiorum.

Circa illam controversiam, pro solutione, hæc notare sufficiet. 1° Sub Benedict. XIII postulata fuit concessio Officii et Missæ propriæ in honorem SS. Cordis Jesu, atque hæc petitio in hac præsertim ratione nitebatur, quod in corde agnoscendum esset proprium organum sedesque naturalis impressionum affectivarum, verumque comprincipium sensibile omnium virtutum et affectionum interiorum. At promotor fidei, qui postea fuit Benedict. XIV, coram S. Cong. Rit. animadvertit recentiores philosophos non in corde, sed in cerebro tanquam in sua sede et comprincipio sensibili, amorem, odium et reliquas animi affectiones collocare; atque ideo petitioni non esse annuendum, innixæ potissimum antiquorum philosophorum sententia, cui recentiores adversantur. Quam conclusionem suam

fecit S. Congr. Rit., atque petitam concessionem denegavit, 12 jul. 1727, 30 jul. 1729; vide Benedict. XIV, *de Serv. Dei beatif.*, lib. 4, p. 2, c. 31, n. 25.

2° Sub Clement XIII, eadem postulatio renovata fuit. Promotor autem fidei declaravit 1. existere indubitanter correlationem effectuum inter cor et voluntatem diligentem, et hoc sensu cor dici posse fontem sedem impressionum affectivarum[1]; 2. incertum hactenus remanere an illa correlatio sit immediata, ac proinde an cor sit naturalis et propria sedes impressionum affectivarum et comprincipium sensibile affectionum interiorum; 3. consequenter Officium et Missam propriam in honorem SS. Cordis Jesu posse concedi ob realem et inconcussam correlationem effectuum inter cor et animam diligentem, quin eo ipso aliquid pronuntietur de medio et modo quo fit illa correlatio, de quo disputatur. Cui conclusioni assensit S. Congr. Rit., atque Officium et Missam petitam concessit, 11 maii 1765.

Itaque cultus SS. Cordis Jesu de facto non fuit ab Ecclesia approbatus ob hanc rationem, quod in homine cor sit proprium organum impressionum affectivarum et comprincipium sensibile affectionum interiorum.

3° Omnes physiologistæ recentioris ævi et alicujus nominis duas priores opiniones prorsus rejiciunt, atque uno ore tertiam propugnant[2].

1. In hoc lato sensu dicitur de SS. Corde Jesu in decreto Beatificationis B. Margaritæ-Mariæ : « Cor illud sacratissimum divinæ charitatis sedem. »

2. « Ni le cordon sympathique, ni le faisceau correspondant de la moelle épinière ne contiennent de foyer d'excitation automatique. Ils ne sont l'un et l'autre que des voies conductrices par lesquelles passe l'influx nerveux. Celui-ci part de l'encéphale, où se trouve un centre cardiaque réellement automatique. De là, il gagne la moelle épinière, le grand sympathique, et va concourir d'une manière continue à animer le cœur. » Germain Sée, *Gazette des hôpitaux civils et militaires*, 19 janvier 1865.

« Bien que le *cerveau* soit *le siége exclusif des sentiments*, c'est du cœur que viennent les conditions indispensables de leur *manifestation* au dehors. *L'expression* de nos sentiments résulte d'un échange continuel d'influence entre le cœur et le cerveau. Les nerfs pneumo-gastriques amènent jusqu'au cœur les actions nerveuses, et les artères carotides et vertébrales conduisent le sang au cerveau. Le cœur est un instrument qui concourt à l'expression de nos sentiments, comme

Nec contradicit communis loquendi usus, qui innuit tantum correlationem effectuum inter cor et animam diligentem; nullo modo autem cadit in medium aut modum, quo fit illa correlatio. Communis enim loquendi usus facta exprimit; nunquam relationibus scientificis alludit.

ARTICULUS IV

De Cultu Crucis.

300[1]. — Per *crucem* hic intelligitur vel crux ipsa, cui affixus fuit Christus, vel crucis imago ex se permanens, vel crux quæ in signo transeunte consistit. Porro olim Iconoclastæ crucem quamcunque, etiam ad templi ornatum et decorem adhibitam, insectabantur atque destruebant. Nostris vero temporibus, Protestantes usum quidem crucis ad ornatum admittunt; sed crucis cultum ac venerationem impugnant, atque in hac re catholicam Ecclesiam de superstitione arguunt. Contra quos sit

PROPOSITIO

300[2]. — *Pius est, ab omni superstitionis labe immunis, et valde utilis cultus veræ crucis, hujus imaginis, et usus signi crucis.* Certum est.

Scilicet. 1° *cultus veræ crucis*, quatenus hæc fuit *ara cruenti sacrificii* Christi; *pius* est et *utilis*. Constat 1. *universali Ecclesiæ praxi*. Etenim, extra dubium est veram Christi crucem fuisse quarto seculo a S. Helena repertam[1]:

la main concourt à l'expression de nos volontés. » Claude Bernard, *Conférence sur le cœur*.

« C'est dans les hémisphères cérébraux que se produisent les émotions morales, la joie, la tristesse, par exemple; et c'est de là que ces émotions vont mettre en jeu, par l'intermédiaire d'autres centres, ces réactions que nous avons nommées émotionnelles. » Vulpian, *Leçons sur le système nerveux*, p. 76.

« Ce n'est pas dans le cœur que les passions s'exercent; seulement, par l'intermédiaire de certains nerfs, les émotions et les passions réagissent sur cet organe; alors des troubles momentanés apparaissent dans les fonctions du cœur, ses mouvements deviennent plus rapides, ou bien ils s'arrêtent en apparence et produisent la syncope. » E. Vincent, *Des causes de la mort prompte*, etc., juillet, 1878.

1. Hoc testantur Eusebius, Theodoretus, Sozomenus, Socrates, Ruffinus, SS. Ambrosius, Cyrillus Hierosol., Paulinus Nolan., Sulpitius Severus, etc.

fecit S. Congr. Rit., atque petitam concessionem denegavit 12 jul. 1727, 30 jul. 1729; vide Benedict. XIV, *de Serv. Dei beatif.*, lib. 4, p. 2, c. 31, n. 25.

2° Sub Clement XIII, eadem postulatio renovata fuit. Promotor autem fidei declaravit 1. existere indubitanter correlationem effectuum inter cor et voluntatem diligentem, et hoc sensu cor dici posse fontem sedem impressionum affectivarum[1]; 2. incertum hactenus remanere an illa correlatio sit immediata, ac proinde an cor sit naturalis et propria sedes impressionum affectivarum et comprincipium sensibile affectionum interiorum; 3. consequenter Officium et Missam propriam in honorem SS. Cordis Jesu posse concedi ob realem et inconcussam correlationem effectuum inter cor et animam diligentem, quin eo ipso aliquid pronuntietur de medio et modo quo fit illa correlatio, de quo disputatur. Cui conclusioni assensit S. Congr. Rit., atque Officium et Missam petitam concessit, 11 maii 1765.

Itaque cultus SS. Cordis Jesu de facto non fuit ab Ecclesia approbatus ob hanc rationem, quod in homine cor sit proprium organum impressionum affectivarum et comprincipium sensibile affectionum interiorum.

3° Omnes physiologistæ recentioris ævi et alicujus nominis duas priores opiniones prorsus rejiciunt, atque uno ore tertiam propugnant[2].

1. In hoc lato sensu dicitur de SS. Corde Jesu in decreto Beatificationis B. Margaritæ-Mariæ : « Cor illud sacratissimum divinæ charitatis sedem. »

2. « Ni le cordon sympathique, ni le faisceau correspondant de la moelle épinière ne contiennent de foyer d'excitation automatique. Ils ne sont l'un et l'autre que des voies conductrices par lesquelles passe l'influx nerveux. Celui-ci part de l'encéphale, où se trouve un centre cardiaque réellement automatique. De là, il gagne la moelle épinière, le grand sympathique, et va concourir d'une manière continue à animer le cœur. » Germain Sée, *Gazette des hôpitaux civils et militaires*, 19 janvier 1865.

« Bien que le *cerveau* soit *le siège exclusif des sentiments*, c'est du cœur que viennent les conditions indispensables de leur *manifestation* au dehors. L'*expression* de nos sentiments résulte d'un échange continuel d'influence entre le cœur et le cerveau. Les nerfs pneumo-gastriques amènent jusqu'au cœur les actions nerveuses, et les artères carotides et vertébrales conduisent le sang au cerveau. Le cœur est un instrument qui concourt à l'expression de nos sentiments, comme

Nec contradicit communis loquendi usus, qui innuit tantum correlationem effectuum inter cor et animam diligentem; nullo modo autem cadit in medium aut modum, quo fit illa correlatio. Communis enim loquendi usus facta exprimit; nunquam relationibus scientificis alludit.

ARTICULUS IV

De Cultu Crucis.

300[1]. — Per *crucem* hic intelligitur vel crux ipsa, cui affixus fuit Christus, vel crucis imago ex se permanens, vel crux quæ in signo transeunte consistit. Porro olim Iconoclastæ crucem quamcunque, etiam ad templi ornatum et decorem adhibitam, insectabantur atque destruebant. Nostris vero temporibus, Protestantes usum quidem crucis ad ornatum admittunt, sed crucis cultum ac venerationem impugnant, atque in hac re catholicam Ecclesiam de superstitione arguunt. Contra quos sit

PROPOSITIO

300[2]. — *Pius est, ab omni superstitionis labe immunis, et valde utilis cultus veræ crucis, hujus imaginis, et usus signi crucis.* Certum est.

Scilicet. 1° *cultus veræ crucis*, quatenus hæc fuit *ara cruenti sacrificii* Christi; *piius* est et *utilis*: Constat 1. *universali Ecclesiæ praxi:* Etenim, extra dubium est veram Christi crucem fuisse quarto seculo a S. Helena repertam[1]:

la main concourt à l'expression de nos volontés. » Claude Bernard, *Conférence sur le cœur*.

« C'est dans les hémisphères cérébraux que se produisent les émotions morales, la joie, la tristesse, par exemple; et c'est de là que ces émotions vont mettre en jeu, par l'intermédiaire d'autres centres, ces réactions que nous avons nommées émotionnelles.. » Vulpian, *Leçons sur le système nerveux*, p. 76.

« Ce n'est pas dans le cœur que les passions s'exercent; seulement, par l'intermédiaire de certains nerfs, les émotions et les passions réagissent sur cet organe; alors des troubles momentanés apparaissent dans les fonctions du cœur, ses mouvements deviennent plus rapides, ou bien ils s'arrêtent en apparence et produisent la syncope. » E. Vincent, *Des causes de la mort prompte*, etc., juillet, 1878.

1. Hoc testantur Eusebius, Theodoretus, Sozomenus, Socrates, Ruffinus, SS. Ambrosius, Cyrillus Hierosol., Paulinus Nolan., Sulpitius Severus, etc.

porro statim ac recognita fuit, coli cepit a S. Helena primum, teste S. Ambrosio, qui ejusdem pietatem summopere commendat, et deinceps ab universo orbe; et hactenus etiam illius crucis particulas speciali veneratione prosequitur catholica Ecclesia; ergo cultus ille pius est et valde utilis.

2. *Ration. theol.* Vera crux, prout hic consideaatur, fuit veluti sacrum altare, in quo Christus cruentum sacrificium obtulit: via etiam per quam ascendens, ad suam exaltationem pervenit; ac denique fuit tactu carnis et effusione sanguinis Christi consecrata; ergo speciali sanctitate donata est, atque specialem venerationem sibi vindicat. Idem verum est de spinis, clavis, corona spinea et sacra sindone. Aliunde, hujusmodi instrumenta passionis Christi et nostræ redemptionis recolendo, anima vividiorem fidem concipit, et vehementius incalescit ad tollendam crucem Christi eumque sequendum. Ergo cultus veræ crucis legitimus est et valde utilis.

Ob specialissimam venerationem erga veræ crucis reliquias, praxis separandi hujusmodi reliquias a reliquiis Sanctorum est accurata et servanda, ex decis. S. Congr. Indul., 22 febr. 1847.

2° *Cultus crucis,* sive *hujus imaginis*, quatenus in ea exhibetur *symbolum Christi crucifixi, pius* est et *valde utilis*. Constat 1. *universalis Ecclesiæ auctoritate et praxi*. Hoc enim definitum est a Conciliis generalibus VI, VII, VIII. Insuper, in altaribus crucis effigies antiquitus collocata est, et in ejus cultu extollendo effusi sunt Patres. « Sapiens Helena crucem in capite regum collocavit, ut crux Christi in regibus adoretur; » S. Ambros., *in Orat. de obitu Theod.* Ergo pius est et valde utilis ille cultus.

2. *Ration. theol.* Crux, sive hujus imago, quatenus no-

« Dans ce même temps, la croix précieuse à laquelle avait été pendu le Sauveur, croix qui jusqu'alors avait été cachée... fut découverte par de grands et extraordinaires miracles; elle fut reconnue, et elle fut *adorée*. Et ce n'est point ici une histoire douteuse : elle doit être approuvée par tous ceux qui aiment les antiquités chrétiennes, et dans lesquelles nous la voyons très évidemment attestée. » Bossuet, *Serm. sur la Circoncision de Notre-Seigneur.*

bis repræsentat Christum crucifixum, fit symbolum totius operis nostræ redemptionis, et quasi compendiosa et sensibilis historia omnium, quæ Christus pro nobis fecit et passus est; ergo cultus in illud symbolum terminatur ad ipsum Christum, ac proinde legitimus est. Consideratio autem illius symboli est per se ad omnium virtutum praxim maxime incentiva ; ergo cultus erga illud valde utilis est.

« Quand Jésus-Christ a parlé de la croix, en disant qu'il faut la porter, il renferme sous ce nom toutes les pratiques de la vie du chrétien. Quand saint Paul dit qu'il ne veut *se glorifier que dans la croix de Jésus-Christ*, il a aussi compris sous ce nom toutes les merveilles du Sauveur, dont la croix est l'abrégé mystérieux. A la vue de tant de merveilles ramassées dans le symbole sacré de la croix, tous les sentiments de pitié et de foi se réveillent : on est attendri, on est humilié; et ces sentiments de tendresse et de soumission portent naturellement à en donner toutes les marques à la vue de ce sacré mémorial. On le baise par amour et par tendresse; on se prosterne devant par une humble reconnaissance de la majesté du Sauveur, dont la gloire était attachée à sa croix... Des volumes entiers ne rempliraient pas ce qui est exprimé par ces deux signes : par celui de la croix, qui nous dit tout ce que nous devons à notre Sauveur; et par celui de nos soumissions, qui expriment au dehors tout ce que nous sentons pour lui.

« J'ai souvent répété à ces aveugles chicaneurs (les Protestants) l'honneur que nous rendons en particulier et en public au livre de l'Evangile. On porte les cierges devant, on l'encense, on se tient debout en signe de joie et d'obéissance, pendant qu'on en fait la lecture; on le donne à baiser, et on témoigne par tout cela son attachement, non pas à l'encre et au papier, mais à la vérité éternelle qui nous y est représentée.

« Je n'en ai trouvé aucun, en particulier, assez insensé pour accuser ces pratiques d'idolâtrie... Qu'est-ce donc que la croix, sinon l'abrégé de l'Evangile, tout l'Evangile dans un *seul signal* et dans *un seul caractère!* Pourquoi donc ne

la baiserait-t-on pas? Et si on lui rend cette sorte d'honneur, pourquoi n'irait-on pas jusqu'à la génuflexion, jusqu'au prosternement entier ?... Et cela, qu'est-ce autre chose que d'honorer la croix comme elle peut être honorée, c'est-à dire, *par rapport* et *en mémoire de Jésus-Christ crucifié?* » Bossuet, *Lettre sur l'adoration de la croix.*

3° *Usus signi crucis pius et valde utilis est.* Etenim illum usum Ecclesia ab exordio semper probavit, ipse Deus multis commendavit miraculis, atque per eum fides nutritur et excitatur pietas; ergo, etc. Et quidem ex antiquissima et universali consuetudine, 1. fideles signum crucis ad suas actiones præmittunt: « Ad omnem progressum, ad omnem aditum et exitum, ad lavacra, ad mensas, quocunque nos conversatio exercet, *frontem crucis signaculo terimus;* » Tertul., *de Corona*, c. 3. « Ad omenm incessum *manus pingat crucem;* » S. Hieronym., *ad Eustoch.* Epist. 22. — 2. Hoc signum esse terrori dæmonibus, eosque de corporibus obsessorum fugare, testantur Origenes, S. Gregor. Naz.. Athanasius, qui, in vita S. Antonii, narrat sanctum Anachoretam solitum armari signo crucis adversus insidias dæmonum. 3. Tandem hoc signo conservatur passionis Christi memoria, et nos profitemur Christi crucem amplecti, illius virtute sanctificari, muniri, defendi, atque nos in cruce Christi gloriari. Quare Ecclesia in omnium Sacramentorum administratione, crucis signum adhibet.

301. — *Quæritur* autem quænam sit *natura cultus* vexillo crucis deferendi?

Resp. Non consentiunt auctores; sed illa controversia potius videtur esse de modo loquendi, quam de re ipsa. Unde dici potest Ecclesiam exhibere cruci cultum latriæ *relativum*. Adoratio quippe quæ cruci exhibetur, non ad ipsam crucem, sed ad Christum in cruce pendentem, quem crux nobis repræsentat, tota refertur, ut jam explicatum est. Unde, cum Ecclesia canit: *O crux, ave, spes unica! O crux adoranda!* Hæc significant: *O Christe pendens in ligno, spes unica! O Christe adorande!*

APPENDIX PRIMA

DE MATRE CHRISTI B. VIRGINE MARIA.

302. — Filii cognitio sine cognitione Matris imperfecta maneret; ideoque, ad Incarnationis scientiæ complementum, tractandum est de B. Virgine Maria; aliunde, neque possunt, qui et sanguine et dilectione adeo conjuncti sunt, disputatione sejungi, nec conveniens esset in tam longo de Christo sermone, de ejus divina Matre tacere. « Ego enim existimo, ait Suarez, post ipsius Dei ac Christi cognitionem, nullam aut *utiliorem*, aut viro Theologo *digniorem, jucundiorem*, et *ad pietatem magis accommodatam*, quam *Virginis cognitio*, quæ ex ipsa revelatione aut ex fidei principiis colligi potest; » *de Incarn.* q. 27, *Præfatio*[1].

Itaque, in quatuor articulis dicemus de B. Virginis immaculata conceptione, de perpetua virginitate, de dignitate Matris Dei et sanctitate, de relationibus B. Mariæ cum aliis creaturis.

ARTICULUS PRIMUS

De immaculata Conceptione B. Virginis Mariæ.

303. — In Tract. *de Gratia*, n. 233, 241, statuitur omnes homines in sua conceptione contrahere ex Adamo peccatum, quod dicitur *macula, labes originalis*; ita ut a primo instanti suæ conceptionis, ex facto voluntatis Adæ, constituantur *in habituali aversione a Deo in ordine supernaturali*, atque sint *natura filii iræ*, Eph. 2, ℣ 3. Porro B. Virginem Mariam, ob futuram dignitatem Matris Dei, ex gratia Christi,

1. Circa B. Virginem consuli possunt S. Augustinus, *de sancta Virginitate*, Serm. *de Sanctis*; — S. Hieronymus, *Comment. in Matth.* lib. 4; — S. Epiphanius, *adv. Hæreses*; — S. Ambrosius, *de Virginibus*; — S. Bernardus, *de Prærogativis B. Mariæ*; Homil. super *Missus est*; Serm. *de B. Virgine*; — S. Bonaventura, *de Speculo B. Virginis*; — S. Thomas, 3 p., q. 2 et seq.; — Suarez, *de Incarn.* q. 27 et seq.; — Bossuet, qui non minus mirabili doctrina et eloquentia de B. Maria locutus est ac de Christo, præsertim in operibus, *Sermons sur la sainte Vierge*, *Elévat. sur les Mystères*; — D. Olier, *De la vie intérieure de la Sainte Vierge*.

fuisse absque illa originali aversione et macula conceptam, sic asseritur et demonstratur :

PROPOSITIO

304. — *B. Virgo Maria fuit sine labe concepta, ex singulari Dei gratia et privilegio.* De fide est.

Prob. 1° *Script.* « Et ait Dominus ad serpentem...: Inimicitias ponam inter te et *mulierem;* et semen tuum et *semen illius ; ipsa conteret caput tuum ;* » Genes. 3 ♰ 14, 15. Juxta SS. Patres, in illis verbis, clare aperteque præmonstratus fuit generis humani Redemptor, et designata mater ejus B. Virgo, simul ac utriusque contra dæmonem inimicitia insigniter expressa : porro, nisi Mater Christi semper ab omni labe originali fuerit immunis, nedum per semen suum seu Christum, diaboli caput pede contriverit simpliciter, e contra primum et ipsa mancipium illius fuisset effecta, victaque ab eo ; ergo Mater Christi fuit *sine labe* concepta.

Similiter multi Patres et Ecclesia in Liturgia de immaculata Conceptione B. Virginis intelligunt hæc Scripturæ verba : *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* — *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.* — *Quæ est ista quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol?* Cantic. Canticor., *passim.*

Insuper, juxta omnium expositionem, verba, *gratia plena, benedicta tu inter mulieres, fecit mihi magna qui potens est,* complectuntur omnia dona gratiæ et benedictiones, quæ decent Matrem Dei et benedictum ejus fructum : atqui immaculata Conceptio maxime decet Deiparam et Christum : ergo etc.

2° *Traditione.* Inter SS. Patres, multi miris encomiis celebrant eximiam innocentiam atque singularem *puritatem* et sanctitatem B. Mariæ, et ita non subobscure innuunt Deiparam fuisse semper ab omni peccato immunem. *Alii vero* non pauci hoc explicite docent : « De sancta Virgine Maria, *propter honorem Christi, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem;* » S. August., *de Natura et Gratia,* c. 36. — « Virgo Maria per gratiam *ab omni labe*

eccati fuit integra; » S. Ambros. *in Ps.* 118. — « Ad hunc aradisum *serpenti aditus non patuit*... O sanctissima, quæ 'rincipatus et Potestates fefellisti, *immaculata conservata*, n Dei sponsam! » S. Damasc. *de Nativ. B. Virg.* — « De-;uit Virginem Mariam ea puritate nitere, *qua major sub ·cælo nequeat intelligi;* » S. Anselm. *de Concept.* c. 18. — « Talis fuit puritas B. Virginis, quæ a peccato *originali* et ıctuali *immunis* fuit; » S. Th. 1, Dist. 44, q. 1, a. 3. Si ıutem S. Doctor contrarium docere videtur in pluribus editionibus Summæ Theol., 3 p. q. 27, exstant solidæ rationes ex quibus inferre possumus illas editiones interpolatas esse, in locis præsertim ubi sermo est de B. Mariæ Conceptione.

Eamdem doctrinam, summo desiderio et unanimi plausu orbis catholici, Pius IX de fide tenendam, supremo et infallibili judicio, Bulla *Ineffabilis*, 1854, sic decrevit : « *Declaramus*, pronuntiamus ac *definimus* : doctrinam, quæ tenet *Beatissimam Virginem Mariam, in primo instanti suæ Conceptionis*, fuisse, *singulari* omnipotentis Dei *gratia* et *privilegio, intuitu meritorun Christi Jesu* Salvatoris generis humani, *ob omni originalis culpæ labe præservatam immunem, esse a Deo revelatam*, atque idcirco *ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam.* »

3° *Ration. theol.* Peccatum originale in B. Virgine omnino dedecet ex parte Filii Jesu, Matris, et Redemptionis; ergo B. Maria fuit ab illo in sua Conceptione immunis.

Et quidem 1., ex parte *Filii Jesu.* Namque ignominia parentum redundat in filios, Prov. 17, ℣ 6, et aliunde nulla est apud Deum major ignominia, quam peccato infici ac maculari; ergo, ex parte Christi, omnino dedecet in Matre originalis macula.

2. *Ex parte Matris* etiam. Dignitas enim Deiparæ maximum honorem et amorem ex parte Dei conciliat B. Virgini, et hanc constituit Dominam omnium, et Angelorum Reginam : porro repugnat Deum maximo honore et amore Matrem suam prosequi, et simul eamdem odio habere ob originale peccatum illamque ab hoc peccato non præservare; nec etiam decebat Dominam esse inferiorem servis,

seu Angelis in perpetua sanctitate, innocentia ac puri...

3. Tandem *ex parte Redemptionis*. Etenim B. Virgo, ...tenus Redemptoris Mater, singulari modo Redempt... cooperatur : porro huic fini nihil magis contrarium ... quam peccatum ; ergo sub hoc respectu nihil magis de... cet in B. Virgine quam originalis macula.

E contra vero, privilegium, de quo agitur, ipsam di... tatem Christi, ut Redemptor est, non parum illustr... Præservare enim jam lapsurum ne cadat, sine dubio ma... joris gratiæ, benevolentiæ ac potestatis opus est, quam ... lum semel lapsum erigere. Propterea, etsi Christus sit ... minum salus, tamen B. Virgo singulari modo eum ... *salutare suum;* eadem ratione B. Maria *primogenita Re... demptoris* dicitur a S. Bernardino Senensi.

Insuper, Christus præservavit Matrem ab omni peccat... veniali, eamque dispensavit fere in omnibus legibus, ... in lege concupiscentiæ, in dolore partus, in modo conci... piendi et pariendi, etc., ut infra dicetur; ergo multo ma... gis oportuit ut in hac lege illam dispensaret, qua omnes nascimur *filii iræ*.

Tandem multum ad gloriam hominum, et ad comple... mentum beneficiorum Dei erga illos spectat, ut aliqu... creata persona humana fuerit perpetuo innocens et nun... quam subdita dæmoni. Nec minus ad quamdam consum... matam divinorum operum, ac regni cœlestis perfectionem hoc pertinet, tum ad majestatem et dignitatem Regin... tum ut omnes modi gratiarum et misericordiæ Dei in ill... resplendeant. Et sic patet responsio ad omnia objecta ... hac materia.

ARTICULUS II

De perpetua Virginitate B. Mariæ.

505. — Olim negarunt Cerinthus et Carpocras Matrem Christi virginem fuisse, tum ante partum, tum in partu, tum post partum. Jovinianus, IV seculo, admisit quidem B. Mariam in conceptu et ante partum fuisse virginem : se... affirmavit virginitatem amisisse in partu, et Christum pe... perisse instar aliarum mulierum. Erravit etiam hac in

parte Helvidius, asserendo B. Mariam post Christi partum virginem non remansisse, et multos cum S. Josepho habuisse filios. Hunc errorem renovarunt et hactenus propugnant Protestantes. Contra quos omnes, sit

PROPOSITIO

306. — *B. Maria fuit virgo, sive ante partum, sive in partu, sive post partum.* De fide est.

1° *Ante partum.* Scilicet, fuit virgo usque ad Jesu Christi conceptionem, ut patet ex verbis istis ; « Missus est Angelus Gabriel ad *Virginem* desponsatam viro, et nomen *Virginis Maria ;* » Luc. 1, ℣ 27. Sed etiam Virgo permansit, filium Jesum concipiendo. Ex dictis enim, n. 153, Christus ut homo conceptus est ex B. Maria *solo operante Spiritu Sancto.* Et revera, sic prophetavit Isa. 7, ℣ 14 : *Ecce Virgo concipiet,* etc. : porro S. Matth. 1, ℣ 23, docet illa verba spectare B. Mariam, eaque sic refert : *Virgo in utero habebit ;* ergo virgo permansit B. Maria etiam Jesum concipiendo. Idem confirmabitur ex dicendis in tertio puncto.

2° *In partu.* Namque in textu jam allato Isaiæ et S. Matthæi, dicitur ; « Ecce *Virgo* concipiet et *pariet* filium et vocabunt nomen ejus *Emmanuel;* » ergo pariendo, sicut et concipiendo, permansit Virgo B. Maria. Hoc et Traditione confirmabitur in puncto tertio.

Et revera, Christus certe potuit nasci, quin tolleret Matris integritatem : atqui, si potuit, debuit. Privatio enim virginitatis in Matre, nihil boni ullo modo continet; dum e contra integritatis conservatio multum per se confert ad honorem sive Filii, sive Matris, ut per se patet. Insuper, 1. nascendo ex muliere, Christus se probat verum hominem ; nascendo autem ex intacta virgine, se verum Deum ostendit. 2. Christus venit sanare corrupta, naturam humanam nobilitare, atque parentes præcipere honorandos ; ergo fas non erat per ejus adventum virginitatem violare, honoremque Matris diminuere. 3. Ex virgine initium sumpsit naturæ humanæ ruina ; ergo docuit per virginem advenire salutem hominum.

Itaque Christus exivit de utero Matris sine ulla virginei

corporis immutatione, ad modum quo, post ressurrectionem, ad Discipulos ingressus est, januis clausis, et sicut luminis radius per chrystallum transit. « Il sort comme un trait de lumière, comme un rayon de soleil ; sa mère est tout étonnée de le voir paraître tout à coup. Cet enfantement est exempt de cris, comme de douleur et de violence. miraculeusement conçu, il naît encore plus miraculeusement ; et les Saints ont trouvé encore plus étonnant d'être né, que d'être conçu d'une vierge. » Bossuet, 6° *Elev.* 16° *Sem.* « O rem admirandam ! miraculum hoc me stupidum reddit, » exclamat S. Cyril. Alex. *Homil. contra Nestor.* — « Hoc fides credat, intelligentia non requirat neque aut non inventum putet incredibile, aut non repertum non credat singulare, » ait S. August. *contra Felician.*, c. 8.

3° *Post partum.* Etenim SS. Patres hoc unanimi voce conclamant contra Helvidium, qui statim et semper ut hæreticus habitus fuit : « *Firma fide* credendum est, nec blasphemiæ Helvidii acquiescendum, » ait S. August., *de Eccl. Dogm.* c. 6, 9.

Juxta Conc. Chalced., generale IV, « *Virginitas* Mariæ Christo sacrata est, etiam *post partum*, uterusque ejus obsignatus fuit, *ut nullius injuriæ inde pateret.* » Ex Conc. generali VI, Mariæ *virginitas ante partum, in partu* et *post partum intemerabilis fuit.* Idem declaravit Conc. Later. sub Martino I.

Insuper, B. Maria dicta est a SS. Patribus ἀειπαρθένος, id est, perpetua virgo ; et in Conciliis Ephes., Chalced., Constantinop., n. 11, 25, 28, atque in universa Ecclesia, Virginis nomen semper, absolute et antonomastice Deiparæ tribuitur. Unde : « Quis unquam aut quo seculo ausus est proferre Mariæ nomen, et interrogatus, non statim intulit Virginis nomen ? » S. Epiph. *Hæres.* 70. Illa doctrina in Apostolorum Symbolo consignata est his verbis : *Natus ex Maria Virgine.*

Et revera, error contrarius 1. derogat perfectioni Christi : sicut enim est unigenitus Patris tanquam perfectus per omnia Filius, ita decuit Christum esse unigenitum Matris.

tanquam perfectissimum germen ejus. 2. Derogat etiam sanctitati Spiritus Sancti, cujus sacrarium fuit uterus virginalis, in quo carnem Christi formavit, ac proinde omnino conveniens fuit, ut postea virginalis conservaretur. 3. Nec minus repugnat dignitati et sanctitati Matris; incontinentis enim et ingrati animi signum fuisset, virginitatem divinitus conservatam prodere, et conceptionis Christi thalamum polluere. 4. Nec certe adeo justus diceretur Joseph, Matth. 1, ℣ 19, si, cum omnia mysteria conceptionis Christi, revelante Angelo, novisset, non fuisset perfectus virginitatis Mariæ custos atque cultor. S. Th., 2 p., q. 28, a. 3. — 5. Tandem omnino decuit virginitatis consilium non solum a Christo, sed etiam ab ejus matre perfectissime custodiri, ut omnibus virginibus ipsa esset perfectum virginitatis exemplum : propterea B. Maria a SS. Patribus, *dux, magistra* et *Virgo virginum* appellatur.

Ergo B. Maria fuit virgo ante partum, in partu et post partum.

307. — *Obj.* 1° Dicitur in S. Matth., 1, ℣ 18, 25 : « *antequam* convenirent, inventa est in utero habens, etc. Joseph non cognovit eam *donec* peperit filium suum *primogenitum ;* ergo postea convenerunt, postea cognovit eam, et ex ea prodierunt alii filii.

Resp. Nego conseq. Etenim 1. particula, *antequam*, per se indicat tantum quid factum non sit ante conceptionem Christi, non vero quid postea contigerit : hoc enim in illo loco nec quærebatur, nec erat necessarium dicere. Unde, *antequam convenirent,* significat, sine eorum conjunctione. Et vero, si quis diceret : « Lutherus et Calvinus, *antequam* pœnitentiam agerent, morte præventi sunt, » intenderet ne significare illos postea pœnitentiam egisse?

2. Similiter particula *donec,* quid antea factum non sit ibi unice demonstrat. Etenim illa particula quandoque designat certum tempus : « Propter transgressiones lex posita est, *donec* veniret semen cui promiserat, » Galat., 3, ℣ 19; quandoque autem indicat tempus indefinitum, atque non solum tempus præcedens, sed etiam futurum respicit, v. g. : « Oportet illum regnare, *donec* ponat inimicos sub pedibus ejus, » I Cor. 15, ℣ 25 : an ut postea regnare cesset? « *Dum* venio, attende

lectioni, » I Tim. 4, ỳ 13 : an ut postea lectionem negligat' ergo pariter cum dicitur « non cognovit eam *donec* peperit » non sequitur post partum eam cognovisse.

3. Tandem *primogenitus* ille dicitur ante quem nullus, non post quem necessario alius. Apud jurisconsultos *primus* appellatur, quem nemo præcedit. Quin et Hebræi *primogenitos* vocare solent *unigenitos*. Et revera, dicitur Angelum percussisse omne *primogenitum* terræ Ægypti ; Exod. 12, ỳ 29 : putest-ne exinde colligi quod pepercerit *unigenitis*? Lex jubebat omnia *primogenita* sanctificari primo a partu mense ; ergo primogeniti dicebantur qui primo partu edebantur, sive alii sequerentur, sive non, scilicet, et ipsi unigeniti.

308. — *Obj.* 2° In Scriptura, Jacobus, Joseph, Simon et Judas dicuntur *fratres* Christi, Matth. 13, ỳ 55 ; ergo ; etc.

Resp. Nego conseq. Etenim 1. in Scriptura, fratres vocantur qui natura, aut gente, aut cognatione, aut affectu conjuncti sunt ; sic Abraham vocat *fratrem* nepotem suum Loth, et *sororem* filiam fratris sui uxorem suam Sara ; Laban et Jacob *fratres* appellantur, Gen. 13, 29[1] ; ergo, eo quod plures dicantur fratres Christi, inferri nequit B. Mariam habuisse plures filios.

2. Jacobus et Joseph, de quibus loquitur Matth. 13, ỳ 55, dicuntur etiam filii Mariæ, quæ vocatur *altera Maria* : porro hæc Maria sæpe nominatur cum Maria Magdalena, et ista semper ut præcipua et ferventior fide et charitate exhibetur. Matth. 27, ỳ 56, 61 ; 28, ỳ 1 ; ergo Maria Jacobi et Joseph mater, non est mater Jesu. Et revera, illa Maria, juxta omnes Interpretes, eadem est quæ dicitur Maria *Cleophæ* et soror Matris Jesu, Joan. 19, ỳ 25 : « Negari videtur non posse, ait ipse Grotius, quin eadem quæ infra Matthæo et similiter Marco, 15, ỳ 40, 47, dicitur Maria Jacobi et Joseph, a Joanne dicatur Maria *soror* Matris Domini ; » *Annot. in Matth.* Illa autem Maria, juxta communem sententiam, non erat propriè soror Matris Jesu, sed ejus in aliquo gradu cognata.

3. Tandem si B. Maria alios habuisset filios, Christus in

1. Idem loquendi genus erat apud Græcos et Romanos : « Quem Jesu *fratrem*, id est, *consobrinum*, loquendi genere etiam Græcis et Romanis noto, » ait protestans Grotius ; *Annot. in Matth.* — « Selon la coutume des Hébreux, inquit ipse Calvinus, on appelle *frères* tous parents. Et pourtant Helvidius s'est montré par trop ignorant de dire que Marie a eu plusieurs fils, parce qu'il est en quelques endroits fait mention des frères du Christ. » *Comm. sur l'harm. évang.*, p. 153.

ruce moriens, nec commendasset Matrem discipulo Joanni et uidem soli, nec Matri singulariter dixisset : *Ecce filius tuus*, d est, quem loco unici filii tui habeas.

309. — *Quæritur* autem 1° an B. Maria virginitatem *vo-verit?*

Resp. B. Maria, ante Filii sui conceptionem perfectum virginitatis votum emisit. Ita communiter SS. Patres et Theologi, qui hoc concludunt ex verbis : *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* id est, « quoniam mihi non licet virum cognoscere, nec est jam positum in voluntate mea ; » et ideo B. Virgo inquisivit modum, qui non esset suæ virginitati contrarius, ut ait S. Bernard. Homil. 6 in *Missus est*. « Illud profecto non diceret, nisi prius se *virginem Deo vovisset,* » inquit S. August. *de Virginitate*, c. 4.

Præterea, communiter sentiunt Theologi et SS. Patres B. Mariam ante matrimonium cum justo Joseph, et longe probabilius a principio usus rationis, illud votum emisisse. Nam. 1. perfectissimus virginitatis gradus Dei Genitrici tribuendus est, ut patet : atqui virginitas ex voto fit perfectior et Deo gratior. 2. B. Maria post Christum, futura erat interioris et exterioris castitatis et virginitatis exemplar : atqui plures virgines fere ab incunabulis per castitatis votum Deo se consecrarunt ; ergo a fortiori hoc credendum est de duce, magistra et Virgine virginum. Quare, juxta fere omnes, B. Maria a principio usus rationis habuit saltem firmum propositum servandi perpetuam virginitatem.

310. — *Quæritur* 2° cur B. Virgo fuerit justo Joseph *desponsata?*

Resp. Hoc fuit conveniens propter Christum, propter ejus Matrem et propter nos. Et quidem 1. propter Christum; scilicet, ne ab infidelibus tanquam illegitime natus abjiceretur; ut etiam consueto modo ejus genealogia per virum describeretur, atque ut puer natus patris nutritii tutela gauderet. 2. Propter Matrem vero, ne lapidaretur a Judæis tanquam adultera, et ut liberaretur ab infamia, eique Joseph ministerium exhiberet. 3. Propter nos etiam;

posita enim illa desponsatione, testimonio Joseph Christus ex Virgine natum comprobatur; credibilior facta est ipsa Mater suam virginitatem asserens; insuper significatur Ecclesia, quæ, cum sit virgo, desponsata tamen est uni viro Christo; tandem in persona B. Mariæ et virginitas et matrimonium honorantur. S. Th., 3 p., q. 29, a. 1.

ARTICULUS III

De excellentia dignitatis et sanctitatis Matris Dei.

311. — Jam probatum est, n. 89, 150, B. Mariam vere genuisse Christum ut hominem, atque ideo esse vere et proprie *Dei Genitricem*. Nunc ergo inquirendum superest quanta sit dignitas Matris Dei, et sanctitas, quam supponit illa dignitas, vel quæ eam consequitur. Unde

§ I

De excellentia dignitatis Matris Dei.

312. — 1° B. Maria, prævio illo et libero consensu his verbis expresso : *Ecce ancilla Domini*, etc., per viam generationis et nutritionis, concurrit ad ipsam formationem Christi; ergo, sub aliquo respectu, « Deus fuit in Virgine per *identitatem*, atque *idem est quod ipsa*, » ut ait Petrus Damian., *Serm. de Nativit.* — « *Caro Christi caro est Mariæ;* et quamvis gloria resurrectionis fuerit magnificata eadem tamen mansit, quæ suscepta est de Maria ; » S. August., *Serm. de Assumpt.*, c. 5.

2° Per illam generationem, B. Maria fit quam maxime propinqua et affinis personæ infinitæ; ac proinde ad dignitatem in suo genere *infinitam* elevatur, ita ut, « ex hac parte, non possit fieri aliquid melius, sicut non potest aliquid melius esse Deo; » S. Th., 1 p., q. 26, a. 6, ad 4; 3 p., q. 36, a. 5, ad 1. Et revera B. Virgo, ut mater Christi, imperare potest ipsi Verbo incarnato, atque Christus, ex jure naturæ, subditus est B. Mariæ.

« Hinc taceat et contremiscat omnis creatura : et quis audeat aspicere *tantæ dignitatis immensitatem!* » Petrus Damian., *ibid.* — « Hujus dignitatis et gratiæ effectum nec concipere, nec lingua valet exprimere; » S. August., de

Assumpt. — « *Supereminentem* omni, quod post Hominem-Deum creatum est, *excellentiam* B. Matris Dei, quomodocunque et saltem lippienti oculo cordis contemplari anhelans, *horreo* et *valde timeo*... hoc solum de sancta Virgine prædicari, quod Dei mater est, *excedit omnem altitudinem, quæ post Deum dici, vel cogitari potest;* » S. Anselm., *de Excellentia B. Mariæ.*

§ II

De excellentia sanctitatis Matris Dei.

313. — I. *Sanctitas negativa,* n. 128. — 1° B. Maria per totam vitam fuit *ab omni peccato immunis.* A peccato originali quidem, ut dictum est, n. 304; sed etiam a peccato actuali, ut conclamat constans et universalis traditio, atque sic declarat Concilium Trid.. sess. 6, can. 23 : « Si quis hominem semel justificatum dixerit... posse *in tota vita* peccata *omnia,* etiam *venialia,* vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, *quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia,* anathema sit. »

2° In anima B. Mariæ nulla fuit *imperfectio voluntaria.* Hæc enim imperfectio est violatio alicujus divini consilii : atqui talis violatio Matrem Dei omnino dedecet. « Nihil in ea, non dico tenebrosum, sed obscurum saltem, vel minus lucidum, sed nec *tepidum* quidem aliquid, aut *non ferventissimum liceat suspicari;* » S. Bernard., in verbis, *signum magnum.* Proinde inter varia opera, B. Virgo semper illud elegit, quod, habita sui status et omnium circumstantiarum ratione, *optimum* erat, et divinis consiliis maxime consentaneum; vide n. 130.

3° In B. Maria nunquam fuit peccati *fomes* seu *concupiscentia.* Ita communiter Patres et Theologi, qui generatim docent nihil indecens, nihil inordinatum in B. Virgine fuisse : « Decuit Virginem ea puritate nitere, *qua majus sub cælo nequeat intelligi,* » ait S. Anselm., *de Assumpt.* Proinde nulla fuit in B. Virgine *involuntaria imperfectio,* seu nulla distractio in intellectu, nullus motus indeliberatus in activitate : « hæc enim omnia imperfectionem magnam continent, et ad fomitis inordinationem pertinent, »

ait Suarez, *de Incarn.*, q. 27, disput. 4, sect. 3: vide n. 131.

314. — II. *Sanctitas positiva*, n. 132. — 1° B. Maria fuit sanctificata a primo instanti suæ conceptionis. Ex dictis enim, n. 304, fuit immunis ab omni labe originali, et proinde semper in supernaturali ad Deum conversione constituta.

2° Omnes ac singuli actus in vita mortali a B. Virgine eliciti, fuerunt *supernaturales* et *meritorii* gratiæ et gloriæ. Supernaturales quidem, alioquin fuissent valde imperfecti, n. 312; meritorii etiam, cum usque ad mortem B. Virgo fuerit in via quoad præmium animæ sicut et corporis.

3° Plenitudo gratiæ B. Virgini a Deo concessa, fuit *singularis* et pene *immensa*. Etenim 1. illam plenitudinem omnimodo extollunt et exaggerant SS. Patres. *Gratia sanctæ Virginis est immensa*, ait S. Damasc., *Orat. de Assumpt.* — « *Ineffabilis* est et *stupenda* omni seculo hujus mulieris *gratia* et exaltatio, » juxta S. Anselm., *de Excellentia B. Mariæ*, c. 3. — « *Immensa* certe fuit *gratia*, qua ipsa fuit *plena* » inquit S. Bonavent., *in speculo Mariæ*, c. 5. Unde S. Ignatius in Epist. ad S. Joannem, B. Mariam vocat *cœleste prodigium, sacratissimum spectaculum.*

2. SS. Patres frequenter dicunt, B. Virginem sanctiorem esse omnibus Angelis et hominibus etiam collective sumptis. « Magnum miraculum fuit semper B. Virgo Maria. Quid namque illa majus aut illustrius ullo unquam tempore inventum est, seu aliquando inveniri poterit? *Hæc sola cœlum ac terram amplitudine superavit.* Quidnam illa *sanctius?* non Prophetæ, non Apostoli, non Seraphim, non Cherubim, non denique quidpiam inter res creatas visibiles, majus aut excellentius inveniri potest; » S. Chrysost., in Serm., quem refert Ecclesia in festo *Nativ. B. Mariæ.* — « *Sanctis sanctior* est, et *omnis sanctitatis* sanctissimus thesaurus, atque *singulorum merita*, et *titulos omnium* antecedit : » Petrus Damian., *ibid.* — « Sicut in mari aquarum, ita in Maria *congregationes gratiarum ;* » S. Bonavent., *de Laudib.* ... c. 7. — « Quidquid *honoris* et *felicitatis* habebatur

n singulis, totum abundavit in Virgine; » S. Laurent. Justinian., *Serm. de Assumpt.* Quare B. Maria dicitur a S. Hieronym., *hortus deliciarum,* in quo condita sunt *omnia florum genera, et odoramenta virtutum;* et a Petro Damian., *locus voluptatis*, quem Deus *omnibus gratiæ divitiis cumulavit.*

Et revera, dignitas Matris Dei omnibus aliis infinite præstat; ergo longe super alias omnes excedere debet gratiæ plenitudo tantæ dignitati accommodata.

515. — *Quæritur* autem quænam fuerit B. Virginis vita *interior* et *exterior?*

Resp. Vitam Deiparæ in tria tempora partiri possumus. Primum protenditur usque ad Filii conceptionem. Porro communiter creditur B. Virginem, tertio ætatis anno, in templum sese obtulisse, ibique circiter duodecim annis, inter virgines vixisse usque ad matrimonii tempus. Erat enim in templo secretus locus, in quo virgines solæ versari solebant. Hoc autem toto tempore, divinæ contemplationi potissimum vacavit, ardentissimis desideriis et orationibus Messiæ adventum impetravit, atque in primis perfectissimæ humilitatis exercitio dignitatem Matris Dei de congruo promeruit. Nam *virginitate placuit,* sed *humilitate concepit,* ait S. Bernardus; quod et ipsa B. Virgo confitetur, dicens: « *Respexit humilitatem ancillæ suæ,* et *ex hoc beatam me dicent* omnes generationes. » Illam traditionem de B. Virginis oblatione in templo, consecravit Ecclesia per festum *Præsentationis B. Mariæ*[1].

Secundum tempus duravit ab Incarnatione usque ad Domini Ascensionem. Porro, per illos triginta et tres annos, nunquam fere a Filio discessit, sed ejus fuit *perpetua sectatrix,* ut ait S. Epiph., *Hæres.* 78. Cum porro audiendo verba Simeonis, vel aliorum, *custodiret ea, conferens in*

1. Sabellicus, in opere *De exemplis*, lib. 2, c. 4, 9, lib. 8, c. 4, ex quadam antiqua traditione, refert B. Virginem tota hac ætate solitam fuisse a prima luce ad tertiam diei horam contemplationi ac rebus sacris vacare; deinde vero usque ad meridiem, alicui operi externo incumbere, reliquam vero diei partem sacræ lectioni et orationi impendere.

corde suo, quid, audiendo per tot annos verba Filii, existimandum est interius effecisse?

Exterius autem, hoc tempore, exercuit summa pietatis officia erga Filium, sponso etiam suo ministravit, ac familiæ curam gessit. At præsertim tunc maximos labores et dolores simul cum Filio sustinuit, ita ut, a primo instanti Incarnationis, fuerit *cooperatrix* omnium operum seu mysteriorum Salvatoris, et ideo nostræ redemptionis.

Tertium tempus duravit usque ad B. Virginis obitum quo tempore cœleslem quandam vitam egisse, nemo pius dubitare potest. Namque, juxta Sabellicum et Nicephor. *Histor*. lib. 2, c. 3, post mortem Christi, in S. Joannis domo habitavit, privatamque et ab hominum consortio semotam vitam egit, atque Filii absentiam perpetua illius meditatione et amore compensavit. Interea Apostolos mysteria fidei edocuit, et, ut creditur, in consolandis ac spiritualiter juvandis aliis fidelibus sæpe fuit occupata. Tandem, vi amoris et ardentissimi desiderii mortua, sed paulo post rediviva, assumpta est in cœlum, ibique, ut *canit Ecclesia*, in æternum *exaltata est super choros Angelorum ad cœlestia regna*.

ARTICULUS IV

De Relationibus Matris Dei cum aliis creaturis.

Hactenus diximus quomodo Deus se habeat ad B. Mariam, et B. Virgo ad Deum. Nunc vero quærendum est quomodo B. Maria ad nos se habeat, et quid ad illam et nos esse debeamus. Porro

316. — I. *B. Maria pro nobis est Regina seu Domina, universalis Mediatrix, et divina Mater*. Hæc tria sunt consectaria dignitatis Matris Dei. Scilicet,

1° *Regina* seu *Domina*. Etenim, « quia Christus Rex est et Dominus, *Mater*, quæ eum genuit, et *Regina* et *Domina vere censetur* » ait S. Athan., *Serm. de Deipara*, et infra, explicans hoc dominium, addit *esse secundum sexum femineum*, ac si diceret esse tale quale decet in uxore vel matre propter conjunctionem ad regem: Quamvis enim mater

non soleat habere supremum dominium, suam tamen imperandi potestatem habet, et omnes illi tanquam dominæ ac superiori deferunt. « Deus B. Virginem *cunctæ secum creaturæ perenni jure dominaturam* in throno gloriæ suæ collocavit; » S. Anselm., *de Excell. Virg.*; c. 8. Nam « decet Matrem Dei *ea quæ sunt Filii, possidere*, et *ab omnibus adorari*, (seu veneratione et obsequio coli), » ait S. Damasc., *de Assumpt.* Similiter Conc. generale VII, act. 4, B. Mariam specialiter vocat *omnium Christianorum Dominam*; et universa Ecclesia illam salutat simpliciter *Reginam*, vel *Reginam cœli*.

Et vero, Christus, ut homo, est omnium creaturarum Rex ac Dominus, n. 229 : porro B. Maria, ut mater, est aliquo modo Christo superior, eique Christus ut homo subditus est, n. 312; ergo et ipsa « vere est Regina et Domina omnium, *a dextris Filii assistens*, et *ubique regnans*; S. Athan. *ibid*. Propterea dicitur *Maria*, seu *Domina* aut *Stella maris*, juxta S. Hieron., *de Nomin. hebraic.*

2° *Mediatrix universalis* inter nos et Salvatorem Jesum. *Prob.* 1. *ex SS. Patribus*. S. Ephrem B. Virginem salutat ut *mediatricem* ac *universi terrarum orbis reconciliatricem*; *Orat. ad Vir.* — « Per ipsam, cum ipsa et in ipsa totam redemptionem faciendam decrevit Deus, ut, sicut sine ipso nihil factum est, ita sine illa nihil refectum sit; » Petrus Damian., Serm. *de Annunt.* — « In te merito respiciunt oculi *totius creaturæ*, quia *in te*, et *de te*, benigna manus Omnipotentis, quidquid creavit, *recreavit*, » ait S. Bernardus, Serm. *de Nativit.* Unde, juxta eumdem, Deus *totum nos habere voluit per Mariam*; et quidquid alii Sancti impetrant, per Mariam impetrant, quia illa est mediatrix ad Mediatorem, et veluti collum per quod influentiæ capitis ad corpus descendunt; atque sit concludit : « Maria *inter Christum et Ecclesiam est constituta...*; ad Patrem verebaris accedere, Jesum tibi dedit mediatorem; sed forsitan et in ipso majestatem vereare divinam : advocatam habere vis, ad Mariam recurre; » Homil. 2 in *Missus est*; Serm. in *Signum magnum*; Serm. *de Nativit.*

2. *Ex praxi Ecclesiæ*. Etenim, invocando alios Sanctos,

Ecclesia non utitur uno uti intercessore ad alium; ad Beatam vero Mariam alii adhibentur intercessores; et ideo preces aliis Sanctis fundimus, ut eas pro nobis B. Virgini repræsentent. Similiter alios Sanctos ad hæc vel illa specialia beneficia obtinenda singulares advocatos habet Ecclesia; B. Virginem autem ad omnia habet universalem advocatam. Propterea illam vocat *spem nostram*, *vitam dulcedinem*, *matrem misericordiæ;* eam omni modo et occasione orat, scilicet, quotidie in Missæ Sacrificio, in Horis canonicis, ter etiam in die signo publice dato, in concionibus publicis, in pluribus diebus festis B. Virgini dicatis. Ergo sentit Ecclesia Dei Genitricem esse mediatricem universalem inter nos et Salvatorem Jesum.

3. *Ration. theol.* B. Virgo « eum, qui plenus est omnis gratiæ in se recepit, et *eum pariendo, quodammodo gratiam ad omnes derivavit,* » ait S. Th. 3. p., q. 27, a. 5, ad 2. « Dieu ayant une fois voulu nous donner Jésus-Christ par la sainte Vierge, cet ordre ne se change plus, et les dons de Dieu sont sans repentance. Il est et sera toujours véritable, qu'ayant reçu par elle une fois le principe universel de la grâce, nous en recevions encore, par son entremise, *les diverses applications*, dans *tous les états différents, qui composent la vie chrétienne.* » Bossuet, *Serm. sur la dévot. de la sainte Vierge.*

3° *Divina Mater* omnium. Etenim, « cum vidisset Jesus Matrem, et Discipulum stantem, quem diligebat, *dicit Matri suæ : Mulier, ecce filius tuus.* Deinde dicit Discipulo : *Ecce mater tua;* » Joan. 19, ℣ 26, 27 : porro communiter creditur S. Joannem tunc personam generis humani gessisse, ac proinde omnes homines ut filios suos tunc cum immensa sua charitate accepisse Matrem Christi. Et revera, per gratiam Christi, omnes homines sunt ejus fratres et adoptivi filii Dei ; ergo iidem eo ipso sunt filii adoptivi Matris Christi. Quare Ecclesia B. Mariam vocat *Matrem misericordiæ.*

517. — II. Nos omnes B. Virginem *colere* debemus, scilicet, ut Matrem Dei, per singularem *venerationem;* ut Regi-

m ac Dominam, per humilem in omnibus *obedientiam;* Mediatricem universalem, per omnimodam *fiduciam*, nnes gratias a Christo *per eam impetrando*, omniaque ofcia Christo *per eam retribuendo*, ut *eodem alveo ad largirem gratiæ gratia redeat, quo fluxit*, ait S, Bernardus; ut atrem nostram, per filialem *amorem*, studiosamque *imitionem*. Et revera his omnibus modis B. Mariam colit Eclesia, ut jam vidimus; nec est auditum a seculo, quemuam ad B. Mariæ præsidia currentem, ejusque imploranem auxilia, et petentem suffragia, esse derelictum, ut ait S. Bernardus.

318. — Tandem, in memoriam sanctissimarum affectionum, quibus præditum est purissimum Cor B. Mariæ erga Deum et homines, jam a plurimis annis specialiter Cor illud in Ecclesia colitur; atque hujusmodi hyperduliæ cultum approbavit Ecclesia, multasque illius sectatoribus indulgentias concessit. Huic devotioni applicari possunt, servata proportione, omnia principia, quibus specialem devotionem erga SS. Cor Jesu vindicavimus, n. 297, 298.

Sit igitur conclusio : « Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam. In periculis, in augustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca; non recedat ab ore, non recedat a corde; et, *ut impetres ejus orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum.* » S. Bernard., Homil. 2. in *Missus est.*

APPENDIX II

DE SANCTIS IN COELO REGNANTIBUS

319. — De Beatorum gloria dicitur in Tract. *de Gratia*, n. 354, et seq; de eorum autem æterna religione jam dictum est, n. 286; superest igitur quod breviter quædam statuamus de cultu ipsorum, reliquiarum et imaginum, quem ut superstitiosum impugnant Protestantes.

§ I

De Cultu Sanctorum.

PROPOSITIO PRIMA

320. — *Licitum est et utile Sanctos aliquo cultu religioso prosequi.* Certum est.

Etenim 1° ille cultus legitimus est, qui in Ecclesia, vel a primis ipsius incunabulis, semper viguit : atqui res ita se habet. Quod testantur 1. festa in Sanctorum honorem antiquitus instituta; nam in Constitutionibus apostolicis, quarum auctor, quisquis ille sit, primis Ecclesiæ seculis floruit, dicitur, lib. 8, c. 33 : *In die autem Stephani Proto-Martyris vacent* (operi servili), *ac reliquis diebus sanctorum Martyrum, qui Christum vitæ suæ anteposuerunt.* 2. Idem testantur templa in Sanctorum memoriam iisdem temporibus erecta. 3. Ejusdem consuetudinis antiquitas patet ex Patribus, qui de Sanctorum cultu scripsere : « Populus Christianus, inquit S. August., lib. 2. contra Faustum, *memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat.* » — S. Hieron. Epist. ad Riparium : *Honoramus servos,* inquit, *ut honor servorum redundet* ad *Dominum.* Quam autem de cultu Sanctorum doctrinam, præfati Patres non ut novam, sed ut antiquitus in Ecclesia receptam tradiderunt : ergo, etc.

2° Honor debetur virtuti, et ideo Christus justo promittit, *eum honorificandum esse a Patre cœlesti;* Joan 12, ℣ 26. Unde : *Nimis honorati sunt amici tui, Deus;* Ps. 138. — *Gloria et honor omni operanti bonum;* Rom. 2, ℣ 10; ergo Sanctis honor a nobis exhibendus est, præsertim quando sunt in securo statu, atque cum Christo regnant. Aliunde, sic Sanctos, ob eorum virtutes, merita et gloriam honorando, illos sicut tot exemplaria præ oculis proponimus, ad eorum proinde imitationem incendimur, atque ardentius per patientiam ad propositum nobis certamen et ad similem coronam currimus; Hebr. 12, ℣ 1. « Solemnitates Martyrum, exhortationes sunt martyriorum, ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat. » S. August.

3° Ecclesia Sanctis non exhibet cultum supremum seu latriæ, sed inferioris ordinis seu duliæ tantum, n. 293, scilicet, illos honorat tanquam Dei servos et amicos, ita ut honor servorum redundet ad Dominum, qui ipse in Sanctis honoratur et colitur; ergo hujusmodi cultus ex omni parte legitimus est atque utilis.

PROPOSITIO II

321. — *Sanctos in cœlis regnantes invocare est licitum atque utile.* Certum est.

Etenim 1. Deus ipse amicos Job ad preces hujus confugere jubet, ut veniam obtineant : *Ite ad servum meum Job...; orabit pro vobis;* Job., 42, ℣ 8. Apostolus fidelium preces sic implorat, Rom., 15, ℣ 30 : *Obsecro vos, fratres, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum.* Et I Thessal., 5, ℣ 25 : *Fratres, orate pro nobis :* atqui, si licitum est ad viros sanctos in terris militantes confugere, ut pro nobis apud Deum intercedant, quanto magis ad Sanctos cum Christo in cœlis triumphantes! Quia si potuerunt nobis apud Deum succurrere, cum hic essent peregrini, quanto magis nunc poterunt in patria, *ubi copiosa eorum turba,* inquit S. Cyprianus, lib. de Mortalitate, *jam de sua incolumitate secura, et adhuc de nostra salute sollicita est!*

2. Id sane licitum est, quod universa non semel approbavit Ecclesia : atqui Sanctorum invocationem non semel approbavit universa Ecclesia, in Conciliis generalibus congregata. In Chalced., act. 11, de S. Flaviano dicitur : *Flavianus post mortem vivit, Martyr pro vobis orat.* In Concilio Nicæno II, sic hortantur Patres, act. 6 : « Cum timore Dei omnia faciamus, expetentes etiam intercessionem intemeratæ Dominæ nostræ... Virginis Mariæ, atque sanctorum Angelorum, et simul omnium Sanctorum. » Conc. Trid., sess. 25, decret. *de Vener. et Reliq. Sanct.*, adversus recentiores Hæreticos statuit, *bonum atque utile esse suppliciter Sanctos invocare, et ob beneficia impetranda a Deo... ad eorum orationes, opem auxiliumque confugere.*

Et vero, Ecclesia invocat Sanctos solum ut, Christi nomine, Deum pro nobis supplices orent nobis ea, quibus in-

digemus, auxilia propter merita Christi largiri : porro hor ministerio Sancti nedum gloriam Christi imminuant et obscurent, eam potius commendant, cum nihil aliud quam Christi merita Deo Patri offerant. Eorum enim merita et satisfactiones a satisfactionibus et meritis Christi vim suam desumunt.

Equidem Sancti non sunt in statu merendi ; at non exinde sequitur eos non esse in statu impetrandi. Meritum enim consistit in quadam actus proportione cum fine, qui ut præmium actionis promittitur; orationis vero impetratio nititur liberalitate ejus, qui rogatur; ergo ex hac liberalitate obtineri potest, quod ut præmium non fuit promissum.

322. — *Quæritur* 1° quotuplici modo pro nobis orent Sancti, et an eorum oratio semper sit efficax?

Resp. 1. Duplici modo Sancti orare possunt, vel per orationem interpretativam, quatenus eorum merita et satisfactiones semper sunt Deo præsentia, eumque sic inducunt ad concedendas gratias; vel per orationem expressam, votis suis aures divinæ clementiæ pro nobis pulsando : porro utroque modo revera orant Sancti, ut jam dictum est de Christo, n. 287.

2. Orationes Sanctorum sunt, quantum est in eis, semper efficaces. Etenim quoties eorum merita nobis non proficiunt, hoc provenit ex defectu voluntatis nostræ. Quoad autem expressam orationem, Sancti nihil petunt nisi quod volunt fieri, et nihil volunt, nisi quod Deus vult : atqui Deus semper largitur saltem gratiam sufficientem ad implendum quod vult; ergo orationes Sanctorum, quantum est in eis, semper sunt efficaces.

323. — *Quæritur* 2° an aliquos Sanctos præ cæteris invocare sit utilius?

Resp. Quamvis Sancti superiores sint magis Deo accepti, quam inferiores, utile est tamen etiam minores interdum invocare. Etenim 1. quandoque quis majorem devotionem habet ad minorem Sanctum : porro ex devotione maxime

endet orationis effectus; 2. diversos Sanctos honorando, uasi in singulis novus fervor devotionis excitatur; 3. quiusdam Sanctis datum est in aliquibus specialibus causis ræcipue patrocinari; 4. tandem plurium orationibus quanoque impetratur, quod unius oratione non impetraretur. . Th., Suppl., q. 72, a. 2, ad 2.

§ II

De Cultu reliquiarum.

Reliquiarum nomine, non tantum Sanctorum corpora, ossa et cineres intelliguntur, sed etiam vestes et alia quibus, cum viverent, utebantur.

PROPOSITIO

324. — *Sanctorum reliquias honorare licet.* Certum est. Etenim 1° tum in Scripturis, tum apud SS. Patres legitur Deum Sanctorum mortuorum reliquias honorasse, et crebris commendasse miraculis. Sic de Josepho dicitur, Eccli., 49, ℣ 18 : *Ossa ipsius... post mortem prophetaverunt.* Voluit Deus ut aquæ Jordanis Eliæ pallio percussæ, in gratiam Elisei dividerentur, IV Reg. 2, ℣ 8. Deus insigni prodigio cadaver Elisei illustravit, cum ad ejus contactum vitam mortuo restituit, *ibid.*, 13, ℣ 21. Multa similia narrantur in Historia ecclesiastica. Ergo Sanctorum reliquias colere licitum est.

2° Cultus ille pius est ac legitimus, qui vel a prioribus Ecclesiæ seculis, quæ tanti se facere profitentur Protestantes, floruit : atqui cultum Sanctorum reliquiis exhibitum, vel a prioribus Ecclesiæ seculis viguisse ex Veterum scriptis compertum est. Nam Eusebius sic narrat, *Hist.*, lib. 7, c. 19 : « Sane Jacobi illius Cathedram qui primus Hierosolymorum Episcopus est constitutus... ad nostra usque tempora conservatam, *fratres illius Ecclesiæ magna prosequuntur reverentia.* » Cum Polycarpus Martyr, anno Christi 163, occubuisset, Judæi Proconsuli suaserunt ne cadaver illius donaret fidelibus, *ne forte... illud deinceps Christiani colere inciperent; ibid.*, lib. 4, c. 15. Judæis igitur persuasum erat, secundi seculi Christianos Martyrum reliquiis cultum

religiosum impendere. Ecclesia Smyrnensis scripsit se Martyris ossa collegisse, quæ opportuno tempore publice colerentur.

3° Qui habet affectum ad aliquem, etiam ea, quæ de ipso post mortem relinquuntur, veneratur, non solum corpus aut partes corporis ejus, sed etiam aliqua exteriora, v. g. vestes et similia; sic paterna vestis et annulus tanto carior est posteris, quanto erga parentes est major affectus : porro Sanctos in veneratione habemus tanquam membra Christi, Dei filios et amicos, et nostros intercessores; ergo eorum reliquias qualescunque honore congruo in eorum memoriam venerari debemus, et præcipue eorum corpora, quæ fuerunt templa et organa Spiritus Sancti in eis habitantis et operantis, et sunt corpori Christi configuranda per gloriosam resurrectionem.

Cæterum « Nos non dico Martyrium reliquias, sed nec solem, nec lunam, nec Angelos adoramus, scilicet, adoratione latriæ : honoramus autem reliquias Martyrum, ut eum, cujus sunt martyres, adoremus; honoramus servos ut honor servorum redundet ad Dominum; » S. Hieron., *Epist.* 53. Ergo, honorando reliquias Sanctorum, non incidimus in errorem gentilium, qui cultum latriæ mortuis hominibus exhibebant. S. Th., 3 p., q. 25, a. 6; Conc. Trid., sess. 25, Decret. *de Reliq. Sanct.*

325. — *Nota.* Quamvis quælibet Sanctorum corporum pars veneratione colenda sit; *hæc est enim Sanctorum gloria, quorum etsi per universum mundum seminetur in cineribus portio, manet tamen integra in virtutibus plenitudo;* nihilo tamen carius major solet esse fidelium devotio erga integrum alicujus Sancti corpus aut ejusdem membra præcipua. Et exinde inducta est distinctio inter Reliquias *insignes* et *non insignes*. Insignes sunt corpus, caput, brachium, crus, aut illa pars corporis, in qua passus est Martyr, modo sit integra, et non parva, et legitime ab Ordinariis approbata. Tibia autem non est reliquia insignis. Ita S. Congreg. Reliq., 8 apr. 1628, 3 Juin 1662. Pro reliquia insigni potest fieri officium duplex.

Non exturbanda est autem longæva fidelium veneratio erga reliquias, quas sine dubitatione coluerunt atque colunt uti reliquias alicujus Sancti, ex unico defectu legalis authenticitatis; neque est aliquid innovandum in Reliquiis in eadem capsa ab immemorabili veneratis, quamvis nonnullæ reperiantur quæ ad eumdem Sanctum cujus reliquiarum nomen gerit, pertinere non videantur. Ita S. Congreg. Reliq. 29 febr. 1864. Multa enim SS. Martyrum corpora *ejusdem nominis* inventa sunt, et adhuc in romanis cryptis inveniuntur; et exinde non raro contigit, ut eadem corpora ejusdem nominis in varias regiones translata, credita fuerint alicujus celebrioris Sancti ejusdem nominis. Vide *Analecta*, 1858, col. 658, 675.

Tandem, juxta ecclesiasticum loquendi modum, *corpus Sancti*... intelligi quoque consuetum est de aliqua corporis parte; sicut etiam *corpus integrum Sancti*... interdum dicitur, quamvis aliquæ partes fuerint subtractæ. Vide *Acta S. Sedis*, t. 1, p. 248, t. 2, p. 252, t. 3, p. 272.

§ III

De Cultu Imaginum.

326. — Inter eos qui imaginibus bellum indixere, nullus est qui in eas atrocius fuerit debacchatus, quam Leo Isauricus, Orientis Imperator. Anno 730, publico edicto jussit omnes imagines a templis submoveri, earumque usum aboleri, et multos ipsarum defensores martyrio exstinxit : unde *Ichonomachus* fuit appellatus. Exstinctam Iconoclastarum hæresim rursus excitarunt seculo duodecimo Albigenses; decimo quarto, Wiclefitæ; decimo sexto, Lutherani et Calvinistæ. Contra quos sit

PROPOSITIO

327. — *Licitus est Imaginum cultus*. Certum est.

Prob. 1° *Script.* Plurima enim subministrat rerum exempla, quæ licet inanimatæ, in maxima veneratione habitæ sunt, approbante vel etiam jubente Deo; unum duntaxat sed insigne exemplum proferemus. Quibus honoribus decorata fuerit Arca Domini, nemo nescit : *Separavit Moyses*

Tribum Levi, ut portaret Arcam Domini; Deuter. 10, ℣ 8. Cum portaretur Arca, *cavete,* aiebat Josue, *ne appropinquetis ad Arcam;* Josue 3, ℣ 4. *Josue pronus cecidit in terram coram Arca Domini usque ad vesperam, tam ipse, quam omnes senes Israel; ibid.* 7, ℣ 6. Cum Osa manum suam ad Arcam, ne forte caderet, admovisset, *percussit eum Dominus super temeritate,* II Reg. 6, ℣ 7. Ibidem narratur quam insigni pompa David Arcam in civitate Sion transferri curaverit. Cur autem licitum erat Judæis Arcam, licet inanimem, tantopere venerari? nonne quia Religionis instrumentum fuit, et quia ad ipsius conspectum procumbere, nihil aliud erat quam Deum ipsum, quem in memoriam revocabat, adorare? atqui de imaginibus Christi vel Sanctorum non aliud dicimus aut sentimus. Ideo quippe honores ipsis impendimus, quia ad alia referuntur, quæ sancta sunt et veneratione dignissima; ergo licitus est earum cultus, nec idololatriam sapit.

2° *Ex Conciliis.* Synodus Nicæna II, generalis VII, 787, sic pronuntiat, act. 7 : Sequentes divinitus inspiratum sanctorum Patrum nostrorum magisterium, et Catholicæ Traditionem Ecclesiæ... definimus... *sicut figuram pretiosæ Crucis,* ita *venerabiles,* ac *sanctas imagines proponendas... congruenter* in sanctis Dei ecclesiis. » Conc. Trident., sess. 25 declarat « *Imagines Christi, Deiparæ Virginis,* et *aliorum Sanctorum* in templis præsertim *habendas* et *retinendas,* eisque *debitum honorem* et *venerationem* impertiendam; non quod credatur inesse aliqua in his divinitas vel virtus propter quam sint colendæ; vel quod ab eis aliquid sit petendum; vel quod fiducia sit in imaginibus figenda, veluti olim fiebat a Gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant : sed quoniam honos, qui eis exhibetur, *refertur ad prototypa,* quæ illæ repræsentant : ita ut per imagines, quas osculamur, et coram quibus... procumbimus, *Christum adoremus,* et *Sanctos,* quorum illæ similitudinem gerunt, *veneremur.* »

3° *Ration. theol.* 1. Deus in gratiam cultus imaginum plurima patravit miracula, quæ in septima Synodo generali referuntur. 2. Cum honore dignus est aliquis, eumdem

sibi vindicant ipsius imagines : sic, quia Rex vel Imperator cultu civili dignus est, ejusmodi cultus ipsius imaginibus impenditur; *nam qui adorat imaginem, in ipsa adorat Imperatorem,* ait S. Athanasius, *Orat.* 3. *contra Arianos.*

3. Ecclesiæ de imaginum cultu doctrina in eo posita est, quod res quasdam creatas et inanimatas aliqua veneratione prosequamur, quia alterius rei per se venerabilis sunt signa, illiusque memoriam revocant : atqui hoc ipsum admittunt Calvinistæ, qui nostras imagines tanto cum studio rejiciunt, honorando, scilicet, imaginem et figuram corporis Christi in pane et vino.

Imo natura ipsa rei ad hujusmodi venerationem nos ducit, imo et impellit. Scilicet, pro diversa ratione, qua ergo aliquem affecti sumus, amore aut odio, existimatione aut contemptu, iisdem animi sensibus ferimur erga imagines aut simulacra, quæ prototypum referunt; et exinde honoramus aut destruimus illius imagines aut simulacra, quem amore aut odio prosequimur. Simili ratione eriguntur statuæ, pinguntur imagines eorum, qui de patria bene meriti sunt, ob civile, litterarium, naturale ac morale motivum. Cur ergo Christi et Sanctorum imagines ob motivum religiosum venerari, et hanc venerationem externis signis ostendere non poterimus?

Sed etiam ita a natura comparati sumus, ut imaginibus quæ sub sensus cadunt, magis permoveamur ad excitandos in nobis pietatis sensus, eosque fovendos, quemadmodum turpibus imaginibus mali in nobis affectus excitantur.

Tandem, ut observat Petavius, imagines ad Religionis essentiam minime pertinent, sed eorum cultus, haud secus ac cultus ipsorum sanctorum, *utilis,* non vero ex se necessarius, ab Ecclesia perhibetur; ac proinde ad Ecclesiam pertinet illum cultum moderari, pro locorum, temporum ac personarum adjunctis. Quare comperimus aliis temporibus Ecclesiam aliquid indulsisse, quod aliis vetuerat, cum res tamen in se salva semper consistat. P. Perrone, *De cultu Sanctorum,* c. 5, prop. 2.

Nec Deus omnem cujuscunque imaginis usum et cultum Judæis vetuit, ut probabilius creditur, nisi ad removen-

dam idololatriæ occasionem, in quam erant propensissimi quod autem periculum nullo modo unquam proximu exstitit pro Christianis; ergo potuit Ecclesia imagin colendas proponere, quemadmodum potuit a lege abstine sanguine et suffocato Christianos eximere.

Quæ ad Christum, ejus Matrem et glorificata memb directe spectant, sic ad eorum honorem et gloriam u tramque maximam utilitatem, evolutis, nunc de Incarna tionis fructu seu de *Gratia* et *Gloria* agendum superest.

FINIS TRACTATUS DE INCARNATIONE.

INDEX TOMI II

TRACTATUS

DE FIDE

TRACTATUS

DE DEO

TRACTATUS

DE SS. TRINITATE

TRACTATUS

DE ANGELIS

TRACTATUS

DE INCARNATIONE

FINIS TOMI II.

Tolosæ, Typis Douladoure-Privat, via Saint-Rome, 39.